





Geo Duffield
1842



George Duffield A.M

In tali nunquam lassat venatio sylva.
A.D.1884.

MANNI VENEMA

TIONES ACADEMICAE


AD

ECHIELEM

ARS I. AD CAP. XXI.

IDIT ET PRAEFATUS EST

S HENRICUS VERSCHUIR,



LEOVARDIAE,

RNELIUM VAN SLIGH,

LUGDUNI BATAVORUM.

ET J. HONKOOP.

MDCCXC.



L. B.

S. P. D.

J. H. VERSCHUIR.


Offerimus tibi novum Celeberrimi *H. Venemae* opus, cui edendo tandem vir optimus, nonagenario major, immortuus fuit, commentarium nempe in difficillimum *Ezechielis* librum, diu desideratum. Post commentarium in *Zachariam* feliciter absolutum, ad fatalem morbum usque semper laboriosus, illico *Ezechieli* manum admovit, sed exiguam tantum ejus partem typis expressam vidit, quando supremus rerum humanarum Arbiter, per morbum paucorum dierum haud gravem, sanctissimum senem, corporis viribus longa vita, et immensis laboribus, exhaustis, felici εὐθανασίᾳ ad aeternam et beatam quietem evocavit. Hujus autem operis curam mihi, discipulo et nepoti suo, demandavit, quam alacriter suscipere pietas et studium publico inserviendi jussit.

Est hoc quoque opus auctore suo dignum, et librum hunc propheticum multis in locis nova luce perfundit. Destinaverat id auctor ab initio juventuti Academicae, cui in lectionibus publicis Ezechielem interpretatus est, deinde in publicam lucem emittere in animum induxit. Multa in mar-

gine manuſcripti ſui immutavit, alia nova ſubinde addidit. Si omnia de integro deſcribere potuiſſet, ſermonem magis nitidum reddidiſſet, ſed nimis erat occupatus, tam multos edidit libros, et aetas adeo ingraveſcebat; ut ultima lima hunc librum perpolire non potuerit, rem ipſam, auctoris ſui illuſtrationem et interpretationem tantum ſpectabat, laureolam ex ſtili elegantia non captabat. Nos autem egregium hunc commentarium exire ſinimus, qualis ex auctoris manibus prodiit, et ab ipſo typographo traditus fuit. Unicum ejus propoſitum erat in veram Prophetae mentem penetrare, eamque claris verbis exhibere, quod egregie praeſtitit; et rectius S. hunc librum interpretatus fuit, quam ullus ante eum fecerat. Nulli itaque dubitamus, quin omnes eruditi et aequi arbitri hunc quoque commentarium magni facturi, et tanquam eximium donum accepturi ſint; vitio autem creatos cenſores, corticem lambentes, et ornatiorem deſiderantes ſtilum, parum curamus. Omnia vitia typographica prorſus evitari non potuerunt, non ſunt tamen valde multa, aut magni momenti, et facile a perito lectore corrigenda, exſtantiora quoque ad libri finem annotata. Pars nunc editur prior, quam ſtatim ſequetur pars altera. Converte B. L. laborem hunc Maximi interpretis in tuos uſus, et ita vale.

Franequerae Kalendis Septembr.
anni MDCCXC.

LEC-



LECTIONES ACADEMICAE AD EZECHIELEM.



PROLEGOMENA.

§. I. Autor libri adpellatur יחזקאל q. d. *nervabit Deus fortis*, ex voto quidem parentum, quo ſpem in Deo forti poſuerunt, fore, ut filium hunc *firmum* reddat, et vitae et fidei ac religionis reſpectu, ſed ſimul ex deſtinatione Dei, quia hunc filium ad arduum opus, non ſine robore Dei et ſingulari conſtantia efficiendum, deſtinaverat: quo reſpici videtur cap. III: 8, 9. uti a Villalpando in praefat. recte eſt obſervatum. *Patrem* habuit nomine בוזי, adpellatur enim c. I: 3. *filius Buzi*; de quo nihil conſtat. Genere et munere fuit *ſacerdos*, ibid., adeoque hac parte illuſtris, quemadmodum et *Jeremias*. Reliqua, quae ad dotes, virtutes, et fata ejus ſpectant, cum ex hoc libro tantum conſtent, ſuis locis ſub manus venient. Fabuloſas vel in-

 certas

certas qui velit de vita et morte ejus narrationes, adeat Fabrit. cod. apoc. V. T. t. I. p. 1117— et autores ibi citatos, ubi etiam de apocryphis ejus libris et dictis agit. Haec enim ad nostrum scopum nihil faciunt. Tantum notetur, vulgo censeri, *duos* libros Ezechieli adtribui a Joseph. Ant. l. X. cap. 5. unde variae sunt Doctorum ortae conjecturae, dum alii ad *duas* hujus libri partes, in quas divisus fuisset, eum respexisse censent, ut Moine V. S. p. II. p. 332. et Huet. Dem. Eu. p. 465., alii librum aliquem apocryphum intendi autumant: de quo vid. Fabric. l. c. Sed, praeterquam quod haec nihil solidi habeant, locus Jos. male intellectus ansam opinionis dedit; non enim de Ezechiele, sed Jeremia tradit Jos., eum duo scripsisse volumina. Cum enim dixisset, *non solum Jeremiam illa praedixisse populo, sed et Ezechielem vatem;* ita pergit; ὃς πρῶτος περὶ τούτων δύο βιβλία γράψας κατέλιπεν, *qui primus de his duos libros reliquit scriptos*; quae verba retulerunt male ad Ezechielem, cum ad Jeremiam pertineant, ut vox πρῶτος *primus* satis indicat; nullam enim emphasin habet de Ezechiele intellecta; relat. ὃς *qui* est mendosum, ex praeced. litteris ortum, nec a MSS. ac vet. Interpr. Lat. agnitum; *primus* itaque est *primus* eorum, modo memoratorum, adeoque *Jeremias*, duorum librorum, *Prophet. et Threnorum*, autor. Ipse Jos. contra Apion. l. I. ubi librorum sacrorum catalogum texit, unius tantum libri Ezechielis meminit.

§. II. De *tempore* muneris prophetici, *a quo*, ut dicitur, et *ad quem* terminum, ex ipso libro facile constat. Incepit enim anno 30*mo* epochae, quae non nominatur, et 5*to* deportationis Jechoniae c. I: 1, 2. et ultima, quae memoratur, revelatio ipsi contigit anno epochae posterioris 27*mo* c. XXIX: 17. adeoque per 22 annos fuit in hoc munere versatus; num diutius, non constat. Quaenam autem sit epocha prior, cujus anno 30*mo* incepit, cuique respondet annus 5*tus* deportationis Jechoniae, non convenit inter doctos; sed alibi in historia Eccles. demonstravi, esse Nabopolassaris

polassaris

polaſſaris ἐνθρόνισμον, cui anni non male reſpondent. Eſt utique aera non Judaica, quia ab ea diſtinguitur, ſed *civilis* populi, in cujus medio tunc degebat, ſicut et *Daniel* ejuſmodi epocham ſequitur in libro ſuo, praeterea nota et illuſtris, ut exprimi non fuerit neceſſe; qualis illa, cujus memini, fuit. Vid. quoque *Pradus* ad h. l.

§. III. Ad hujus temporis adcuratiorem notitiam, et verum conſpectum, pertinet notaſſe 1. illud ex parte incidere in periodum muneris prophetici *Jeremiae* in Cananaea primum, et dein AEgypto poſt deſtructam Hieroſolymam, nec non Danielis in Babylonia; adeo ut hi *tres* prophetae fuerint aequales; ſed duo poſteriores, Ezechiel et Daniel, in exilio Babylonico, Jeremias jam aliquamdiu prophetaverat, a 13*mo* Joſiae uſque, et ejus munus ad finem vergebat, cum noſter incepit, anno 5*to* exſilii Jechoniae et regni Zedekiae, ultimi regis; qui poſt Jeremiam aliquamdiu in eo opere perrexit inter exſules. *Daniel* vero jam in aula Nebucadnezaris erat illuſtris factus, cum incepit Ezechiel; quippe ann. 3*tio* Jojakimi jam in exſilium abductus Dan. I. quare *Danielis*, tanquam eximii interceſſoris apud Deum pro populo, mentio fit in hoc libro; ut ſuo loco videbimus. 2. Deſtructionem Hieroſolymae, et plenariam populi abductionem in exſilium, eſſe ante fores; *ſex* quippe annis poſt initium muneris Ezechielis perfectam: uti notum eſt. 3. Statum populi in Cananaea fuiſſe ſumme et inſanabiliter corruptum, et religionis, et vitae morumque reſpectu; nec in exſilio fuiſſe plane emendatum: uti ex Jeremia et noſtro propheta manifeſtum eſt; adeo ut, niſi populus cito reſipiſcat, brevi actum futurum ſit cum eo. 4. Populum, non obſtante corruptione, ſeſe vana adhuc ſpe lactaſſe liberationis a Chaldaeis, et inſtaurationis rerum, quam pſeudoprophetae foverunt et in Cananaea, et in exſilio Babylonico; contra quos populus erat admonendus, et melior ejus pars inprimis armanda. In ipſo exſilio tales non defuiſſe falſos vates, ex Jer. XXIX. ſatis conſtat. 5. Denique, deſtruc-

ta rep., et populo in exsilium deportato, spem populi, etiam piorum, plane esse fractam, et vicinorum populorum animos esse erectos, ac laetitia super Judaeorum calamitate, tanquam signo falsae eorum religionis, et in perpetuum duraturae, perfusos. Ad quam Judaeorum spem erigendam, et populorum vicinorum animos domandos ac prostituendos opus erat, ut Judaeorum conversio efficeretur, instauratio praediceretur, et vindicta de hostibus sumenda evulgaretur. Quod sicut Jeremias, ita et Ezech., strenue egit.

§. IV. Quod ad *locum* adtinet, quo munere functus est, is non fuit Cananaea, sed Babylonia, inter exsules; quorum sedes erant in Mesopotamia, ubi fluvius *Chaborras* in Euphratem incidit, uti ex c. I: 1 liquet. *Fluvius* enim כבר non est fossa fluvii Euphratis, jussu regis alicujus Babylonii, inde deducta, quae *Neharmalacha fluvius* regius adpellatur, ut multi volunt, et Fuller. misc. l. IV. c. 2. disputat, sed *Chaborras*, ut recte Jun. et Trem. qui ex monte Masio, teste Ptolemaeo, in Euphratem defluit, et Mesopotamiam dividit in *Paddan-aram et Aram naharaim*, illam versus Syriam, hanc versus Babyloniam, illam fertilem, hanc asperam et incultam. De quo vid. Boch. Phal. l. II. c. 6. *Alveus* enim iste non eo nomine, sed alio *neharmalacha* insignitur, et fluvius Mesopotamiae est nomine *Chaborrae* notus. Vid. Cellar. Geogr. l. III. c. 15. p. 437. Tradit quidem Plin. hist. nat. l. VI. c 26. *esse, qui tradunt, Euphratem Gobaris praefecti opere diductum, ubi eum diximus findi, ne praecipiti cursu Babyloniam infestaret; ab Assyriis vero universis adpellatum Armalchar, quod significat regium flumen:* sed non dicit nomen *Chaborrae* tulisse. Nec obstat, quod Fullerus opponit, Jechoniam cum reliquis legi 2 Reg. XXIV. abductum *Babelem*, quia nomine Babyloniae *reliqua pars Mesopotamiae Assyriaeque* quoque adpellata est, ut Plin. l. c. adserit, et res ex Script. nota est. Accedit, Judaeos, secundum Berosum, fuisse in *locis commodis Babyloniae* collocatos; qualia fuerunt circa Chaborram fluvium, ut modo vidimus. Vox

כבר vero exprimit *magnitudinem*, et de aquis aestuantibus ac tumidis usurpatur, sicut Chaborras quoque *magnus fluvius* adpellatur *Procopio* Bell. Pers. l. II. c. 5. Habuit praeterea visiones haud uno in loco, sed in variis: uti ad *ipsum fluvium* c. I: 1, 3. in *valle* c. III: 22. *in domo* sua coram senioribus c. VIII: 1. etc.

§. V. Cum *argumenti et scopi* respectu satis conveniat inter Jeremiam et Ezechielem, moras hic non necesse habeo nectere, sed in *dictis* ad Jer. acquiescere licet, quae huc facile adplicantur. Quare ad *methodum*, verbalem et realem, mox pergo. *Stilus* est gravis, vehemens, copiosus, patheticus, et saepe emblematicus ac figuratus; scatet etiam visis ac parabolis, magis quam reliquorum prophetarum, excepto Zacharia, et propterea intellectu obscurior, praecipue ubi nulla explicationis et adplicationis principia traduntur. Vid. Lowth de poesi Hebr. prael. 21. p. 209. nimiae esse artis et luxuriae disputat Michaelis ad l c. p. 417. Accedit, quo obscuritas augetur, varias occurrere voces, alibi non obvias, et incertae significationis, varia etiam menda in textum irrepsisse, partim ex conjectura, partim ex Vers. Graeca et Syr. emendanda. *Tres* sunt generales libri partes, quarum *prima* et *tertia* ad Israelem directe spectat, *secunda* ad populos vicinos; *prima* est elenctico-prophetica, qua vitia populi in lucem proferuntur, et reprehenduntur, ac judicia Dei ei denunciantur, *tertia* est praecipue *paracletico-prophetica*, qua, inserta ad poenitentiam adhortatione, populi instauratio, et laeta fata praenunciantur, usque ad Oecon. V. consummationem in Nova sub Messia. *Secunda* est mixta, quae populorum vicinorum crimina, et judicia Dei in eos, repraesentat, ad consolationem et defensionem populi Dei. In *partibus* hisce ordinandis observatus maxime est *ordo* temporis, quo visiones aut revelationes contigerunt, *anno* deportationis Ezechielis *quinto*, *sexto*, *septimo* et *nono*; omnes ante destructam Hierosolymam; quae sese ad cap. XXV. extendunt. *Secundae* partis, contra po-

pulos vicinos, sese inde porrigunt ad c. XXXII. inclusum; maximam partem factae tempore obsidionis Hierosolymae, ann. *undecimo* et *duodecimo*. *Tertiae* denique partis, inde usque ad finem libri, post reip. desolationem factae in solationem populi Dei. Praemissa autem est omnibus *partibus* *inauguratio* prophetae in publico munere per illustre visum ipsi factum, et expressa verba, quibus de officio admonetur, et contra oppositiones populi contumacis corroboratur. Inauguratio duplex est, *altera* implicita cap. I. *altera* vera et expressa c. II. III: 1. *Prior* fit per *visum*, quo argumentum et scopus muneris prophetici exhibetur cap. I.

CAP.

CAP. I.

§. VI. Continet hoc caput *inſcriptionem* libri prophetici Ezechielis, et primi viſi, ac ipſum viſum inauguratorium. *Inſcriptio*, verſ. 1—3. *partim* eſt ab ipſo propheta, *partim* ab alia manu, ad temporis et perſonae accuratiorem notitiam dandam, inſerta per modum parentheſios, ut notavit Rev. Hartman; niſi quis potius velit, *primum* ad marginem poſitam, dein in textum irrepſiſſe, cujus indicium eſt in vocibus, *quinto die menſis*, repetitis; quod factum eſt, ut nota marginalis iis adnecteretur. Repetitio vero et harum vocum, et aliarum, *ad fluvium Chebar*, nec non mentio Ezechielis in tertia perſona, ejuſque deſcriptio, haud obſcura indicia praebet gloſſae, ab alio autore, forte Ezra, additae. Praeterea obiter notetur, Verbum ויהי verſ. 1. loco eſſe motum, et praemittendum verbo נפתחו *aperti ſunt*: incipere enim nequit ſermo, abſque ut aliquid praeceſſerit, cum verbo, *et eſt factum*: uiſi forte pro ויהי quis legere malit הנה *ecce*! uti Jeſ. II: 2. et III: 24. et alibi contigit.

§. VII. Ipſum viſum, verſ. 4—28., ante quoad litteram hic illic illuſtrabo, quam ejus ſcopum et ſenſum pandam. *Partes* viſi memorantur ordine ſequentes. א. *Prima* comprehendit *ventum procellae urentis venientem a ſeptentrione*, verſ. 4. *Vidi et ecce ventum procellae urentis venientem a ſeptentrione*, ſcilicet ipſa Babylonia, verſus Judaeam, et Hieroſolymam, cujus reſpectu e ſeptentrione venit; non enim tam prophetae, qui in tractu occidentali Babyloniae verſabatur, quam Judaeae, ad quam ſpectabat procella, reſpectu dicitur e *ſeptentrione*: quia calamitas Judaeorum inde veniret, ut venit ſemper, et paſſim a Prophetis venire ſiſtitur; uti notum: ſi *prophetae* quoque ratio ſit habenda, notio *ſeptentrionis* latius eſt ſumenda pro tractu *Aquilonari-Orientali*,

ſicut ſubinde ſolet; quod hic eo rectius admittitur, quia ex Aſſyria initium ſumſit Iſraelitarum excidium, et regnum Aſſyriacum hoc tempore erat Babylonico ſubjectum et inſertum. Vidit itaque e regione media inter ſeptentrionem et orientem ingruere procelloſum ventum, ut calamitates, quae ab Aſſyriis inceperunt, comprehenderentur omnes. *Ventus* vero סערה eſt ventus *aduſtionis*, turbo aeſtu praeditus, qui in Oriente graſſari ſolet cum pernicie itinerantium; et abſolute etiam סער adpellatur, ſed plene רוח סערה, ut et Pſ. CVII: 25. Radix סער proprie eſt, *uſſit*, *aeſtuavit*. Emphaſin habet verbum בוא; cujus proprietas eſt *tendere*, *intendere*, cum *intenſione ferri*, et ſpecialis uſus in hoſtili et ſubitaneo impetu, quo dicit *ſupervenire*, impetuoſe et hoſtiliter irruere; uti ſaepe obſervavimus, Jer. XXI: 13. XXXII: 24. Pſ. XXXV: 8. XXXVI: 12. XXXVII: 15. XLIV: 8. LXXIX: 1. Sed quo tendit haec procella aeſtuans? illud expreſſe non additur, ſed aliunde, et ex ipſo viſo, colligi facile poteſt, ſpectaſſe *Hieroſolymam*, quod ipſis verbis expreſſum eſt c. XLIII: 3. adeo ut nullum dubium ſuperſit. Eſt autem hoc probe notandum, quia ad intellectum viſi ſequentis haud parum facit.

§. VIII. ב. *Secunda* pars repraeſentat craſſe compactam nubem, in cujus medio erat ignis, ſplendorem per eam emittens, tanquam ex qua ventus urens erat ortus, verſ. 4. his verbis, quae ſequuntur, *nubes magna*, *et ignis ſe continens*, *ſplendor ipſi circumquaque*. Intelligitur nubes craſſa, denſius intorta, et intus ignea, extus ſplendens, ſeu quae ignem in medio habebat comprehenſum, et ſplendorem quaquaverſum extra ſe emittebat. *Nubes* גדול eſt proprie valida, intorta, et craſſa, firmiter compacta; quod proprie dicit radix גדל *implicari* multis filis, et ſic denſius intorqueri, inde invaleſcere, validum eſſe et denſum. *Ignis* vero מתלקחת eſt ſe complectens, proprie *compingens*, capiens et continens, quae vis eſt formae Hithp., ſcilicet in *medio ejus*, ſeu nubis; uti additur Exod. IX: 24. *ignis ſe conti-*

nens

nens in medio grandinis, denique additur, et *splendor ipsi*, non igni, sed *nubi*, אש enim cum foemin. construitur, sed ענן cum masc., ut hic, לו *ipsi circum*; ut sensus sit, nubem intus habuisse *ignem* conclusum, et extus *fulgur* vibrasse, seu fulgurasse, vox enim נגה non simpliciter splendorem denotat, sed splendorem emicantem, seu *fulgur*. Radix enim proprie dicit, *ictu vehementiore pulsare*, *verberare*, indeque splendorem vehementiorem, oculos ferientem et verberantem, ut in *fulgure* et *fulmine*. Quae ignea et fulgurans nubes *vento aestuanti* subjungitur, tanquam ejus causa et principium, unde ventus urens fuit ortus.

§. IX. ג. *Tertia* pars exhibet summatim, quod primum ex medio ignis, nube inclusi, adparuit prophetae, sed cujus descriptionem vel mox subjungit, vel differt ad finem; his verbis, vers. 4. *et ex medio ejus instar coloris Orichalci*: *ex medio ignis*, h. e. ex medio istius ignis prodiit quis, vel quid, colorem referens metalli ex auro et aere conflati. Singulare est, prophetam non memorare, quid vel quem viderit ejus coloris; quale tamen necesse est aliquid fuerit, non enim de ipso *ignis* colore loquitur, nec etiam *in igne* fuisse conspicuum, sed *ex igne* fuisse. Ex quo mihi probabile fit, vel eum intelligi, quem postea formam hominis habuisse docet, adeo ut hic tantum obiter ejus mentionem faciat, ut ordinem adparitionis servaret, mox in ejus notitiam ducturus: vers. 27. enim personae, quae speciem *hominis* praeferebat, colorem tradit similem esse *Orichalco*; ubi eadem voce utitur, qua hic: vel, quod forte verius, introductionem esse ad *animalium* picturam, quae mox sequitur, quia eorum conspectus talis fuit, vers. 13. et de pedibus eorum diserte adfirmatur vers. 7. *animalia* denique mox *ex medio* ignis orta dicuntur. Voce vero חשמל significatur vel *electrum*, ut LXX. verterunt, ex tribus vel quatuor partibus *auri*, et *argenti una*, conflatum, vel metallum ex *aere* et *auro*, quod *ori* vel *aurichalcum* adpellatur, de quo vid. Boch. H. p. II. l. VI. c. 16. *qui* derivat ex נחש *aere* et מללא *auro*

 rudi

rudi apud Chald., ut plene sit נחשמלל. Quod suo loco relinquo; significatus enim מללא pro *auro* non satis certus est apud Chald., vel denique *aes* simpliciter ignitum, seu igne excoctum, ac fulgidissimum; ex נחש et מלל, quae posterior radix originem habet in *incisura* et *fissione*, unde est significatio *urendi*, *amburendi*, quod per ignem fiant *incisurae*, *fissurae*, et sic *coquendi*, *excoquendi*. Est itaque חשמל *aes excoctum*, seu *ustum*, urensque, adeoque ignitum, et fulgidum. Convenit נחשת קלל *aes politum* vers. 7. et χαλκολίβανον *aes candidum*, *rutilans*, a לבן, Apoc. I. Confirmat praeterea, quod additur, sicut Chasmal *ex medio ignis*, quod est epitheton τῷ *Chasmal*, ad illud ulterius describendum; ut de *aere* ignito, et fulgente cogitaremus.

§. X. ד. *Quarta* pars continet specialem descriptionem *quatuor* animatorum, de quibus dixerat in genere, ea colore referre aes ignitum, ex medio ignis ortum, vers. 5—14. Ubi α. *animata* ipsa depinguntur vers. 5—12. β. eorum color et conspectus traditur vers. 13, 14. ut adpareat ea esse instar aeris igniti, ex igne orti: ut modo dixerat. α. In animatorum pictura *a*. sese offert humana forma, quam praetulerunt, vers. 5. *Et*, sive *etenim*, *ex medio ejus species quatuor animatorum*, *quorum haec erat forma*, *hominis iis erat species*. h. e. Quod dixi ex igne prodiisse quid aeri ignito simile, illud constitit ex quatuor vivis seu animatis, speciem humanam praeferentibus. Traditur manifeste explicatio illius modo indicati, sed non nominati, cui *aeris* igniti color erat tributus: quare repetitur *ex medio ejus*, sc. ignis, et ו in ומתוכה *et ex medio ejus*, hic est pro *etenim*, habetque usum explicandi, ut sit *etenim*, *nimirum*, *scilicet*: uti saepe alias. Adpellantur *quatuor viva*; sic enim rectius vox חיות redditur, quam *animalia*; non enim formam et speciem animalium habuerunt, sed *hominum*; exceptis *capitibus* et *pedibus*, in quibus animalium figura obtinuit, ut mox patebit. Verba sunt diserta, *similitudo hominis ipsis*, quibus externa eorum forma humanae similis clarissime depingitur,

pingitur, uti recte viderunt et observarunt. Interpretes: non erant *homines*, sed formam externam habebant iis similem: quare *animata*, seu *viva* in genere adpellantur, ad indicandum iis inesse vim vitalem, et motricem; quemadmodum *spiritus* ipsis in seq. tribuitur. Vox חיות proprie denotat *coagmentationes vitales*, vel eas virtutes et facultates, per quas natura continetur, a rad. חיה vel חי *coagmentare*, in *unum compingere;* unde varii nati sunt usus secundarii. Indicantur itaque *viva* firmiter compacta et vegeta, vi agendi et se movendi praedita. Ceterum non *unum* fuisse animatum cum *quatuor* capitibus, et inde *quatuor* adpellari, quod Pintus censuit, sed *quatuor* cum totidem capitibus, ex textu et seq. manifestum est, et ab Interpr. jam demonstratum.

§. XI. *b*. Partes speciales memorantur, ipsis peculiares, quibus ab humana forma fuerunt distinctae, 1. in genere vers. 6—8 2. in specie respectu alarum et facierum vers. 9—11. 1. Speciales et distinctivae partes in genere recensentur, *quatuor facies*, *alae*, *pedes* et *manus* vers. 6—8. *a*. *facies* et *alae* vers. 6. *Et*, vel *sed*, *quatuor facies unicuique erant*, *et quatuor alae unicuique eorum:* h. e. licet humanam formam praetulerint singula animata, habuerunt tamen illud singulare, ab humana forma distinctum, quod singula habuerunt *quatuor* capita cum faciebus distincta, et totidem *alas*; cum homo *unum* habeat caput, et nullas *alas*. Quae et qualia fuerint *capita*, et quo ordine disposita cum alis, postea exponitur. Hic notasse sufficit, singulis adfuisse vere et proprie sic dicta *quatuor* capita et vultus, cum alis; quae quoque communior est hypothesis, uno alterove dissentiente; de quo vid. *Sanctius*, qui etiam recte observat, *facies* sumi pro capitibus, *vultum* habentibus. Nec praeterea unum caput singulorum cum *quatuor faciebus*, sed totidem capita distincta *superne*, non *inferne*, ut vers. 11. videbimus. Ceterum ו *et* hic recte vertitur *sed*, quia discrimen a forma humana hic traditur; ut recte Ligtf. Templ. Hierof. c. 18.

§. XII. β. *Pedes et plantae* pedum ſequuntur verſ. 7. *Et pedes eorum, unusquisque pes erat aequabilis, et planta pedum ipſorum ſicut planta pedis vituli, et ſplendentes* erant *ſicut ſpecies aeris politi.* Quibus *tria* pedum attributa recenſentur 1. *primum* eſt, quod *aequabiles* et recti fuerint, ſine protuberatione, majore minoreve craſſitie, ſine juncturis, et curvaturis. Radix enim ישר originem habet in *aequatione* et complanatione, unde *recti* notio orta eſt, oppoſite *cum* ad *inflexum* et curvum, *tum* ad elatum et *tumidum*: partes itaque infra ventrem, quae hic, voce late ſumta, *pedes* adpellantur, erant et hominum et animantium partibus hiſce diſſimiles; uti dixi. 2. *Secundum* eſt, plantas pedum fuiſſe rotundas et ungulatas, adeoque *duras*, et in omnem partem incedere aptas; eaque ratione aliquatenus ſimiles *plantis vitulinis*; licet non per omnia. Uſus eſt propheta voce עגל, quae *vitulum* dicit, ut *rotunditatem* exprimeret, non ut perfecte plantas indicaret *vitulinas*; quippe quae *bifidae* ſunt, et ex parte tantum *rotundae*; cum hae perfecte, et ab omni parte, fuerint *rotundae*; quia ſeſe in currendo non vertebant animata, ut mox traditur; quod locum non habet in *vitulinis* pedibus: nec *vituli*, ſed vaccae aut bovis nomen adhibuiſſet, ſi id voluiſſet: nunc cum *vituli* nomen עגל adhibeat, *rotunditatem*, cum *ungulis*, unice in oculis habuit; ad vocis ſignificatum reſpiciens. Dicit enim proprie *rotundum*, unde, a *rotunda* volubilitate, orta eſt *feſtinationis* et celeritatis ſignificatio, nec non *plauſtri*, ipſius *vituli*, a rotunditate, volubilitate et forma terete; ut Boch. H. p. I. l. II. c. 28. jam obſervavit. Confirmat opinionem noſtram Chald., qui *rotundum* vertit. 3. *Tertium* eſt, quod pedes fuerint *ſplendidi inſtar aeris politi*: quare modo color חשמל ipſis fuit datus, ut ſupra vidimus. Nihil hic difficilis. De voce נצץ vid. Cl. Schroeder ad Orig. Hebr. c. VII. p. 9. ubi et *aes ſplendere* illuſtrat. Vox קלל, quae *politum*, vel *fulgidum* cenſetur denotare, unde ſit, non adeo conſtat. Boch. H. p. II. l. VI. c. 16. fin. ex Arab. גלל illuſtrat,

Cocc.

Cocc. ex קלה *torreri, aduri*: non male, si קלל sit pro קלקל; quod verbum occurrit pro *laevigavit, polivit*, Eccles. X: 10. et Ez. XXI: 21. Simon de form. nom. p. 82. a נקל Syr. *purgavit, mundavit*, derivat. Mihi non liquet, forte cum קול comparari potest, cujus proprietas est in *secando, findendo*, unde cum *laevitatis* tum *politurae* notio facile fluit. Ceterum cum *pedes* simpliciter memoret, *numero* non addito, tutius est statuere, in eo nihil singulare fuisse, adeoque *duos* tantum singulis esse dandos, ut hominis sunt; quot etiam sufficiant, cum pedes *rotundi* in omnes partes verti potuerint, ante et post, ut et in *latera*.

§ XIII. γ Sequuntur *manus*, quae et situ et numero aliquid singulare habuerunt, vers. 8. *Et manus hominis de sub alis ipsorum ad quatuor latera ipsorum* h. e. singula animata habebant sub singulis alis ad quatuor partes manum cum brachio, quod haec etiam vox, ut Graec. χεὶρ, comprehendit, uti Jer. XXXVIII: 12. et Ezech. XIII: 18. sicut hominis. Cum itaque, ut mox sequitur, quatuor habuerint alas, ab ante et post, et ad duo latera, ad singulas illas partes unam, tot quoque iis adfuerint *manus* in iisdem partibus, necesse est. Vulgo *duae* tantum manus singulis tribuuntur, instar hominis; sed *quatuor*, quod recte vidit praeter alios a Lapide, requirit textus, *cum* quod alis adjungantur, quae fuerunt *quatuor* numero, *tum* quod diserte addatur, *ad quatuor latera ipsorum*, quae phrasis alium non fert sensum, ac manus per quatuor latera singulorum fuisse dispositas. Quod ipsum quoque lectio textualis וידו in sing. et *manus ejus*, quam LXX. et Syr. confirmant, adfert, modo *manus ejus* sumatur pro manu cujusque, et *sub alis* eodem modo capiatur pro *singulis* earum. Duo itaque de *manibus* traduntur, quorum alterum cum forma humana, quae ipsis data erat, habebant commune, quod articulatae fuerint manus, et digitis instructae, *alterum* inde diversum, quod et *quatuor* habuerint manus, et *alis* tectas, non *infra*, ut multis videtur, sed *sub*, quod phrasis indicat, et ex cap.

 X: 8.

X: 8. confirmatur, ubi non, nisi manu porrecta, vidisse legitur propheta *manus* ipsis adesse sub alis.

§. XIV. 2. Partibus in genere recensitis, propheta pergit ad accuratiorem notitiam *alarum* et *facierum* dandam, praemissa praefatione, qua declarat, se nunc de illis speciatim dicturum; quo refero voces vers. 8. *et facies eorum et alae eorum secundum quaternionem eorum*, scilicet tales erant, seu quod ad eas adtinet; uti modo vers. 7. *et pedes eorum* scilicet ad pedes eorum quod adtinet. Voces itaque illae per se stant, et transitum faciunt ad specialem alarum ac facierum descriptionem; nec cum praeced. cohaerent, secus ac vulgo visum. Praeterquam enim quod cum praeced. connexae commodum non fundant sensum, sequentia clare demonstrant, praefationis et transitus habere conspectum, cum mox sequatur *alarum*, et dein *facierum*, descriptio. In qua α. alarum et facierum situm, nec non harum speciem tradit vers. 9, 10. β. utrarum usum, et situs scopum vers. 11. 12. α. *Prius* his verbis vers. 9, 10. *Junctae erant aliae aliis alae ipsorum, non vertebantur cum incedebant, singula* animata *coram facie sua ibant. Et similitudo facierum ipsorum* erat *facies hominis, et facies leonis ad dextram quaternionis ipsorum, et facies bovis ad sinistram quaternionis ipsorum, et facies aquilae quaternioni ipsorum*. h. e. Facies et alae ea ratione erant secum conjunctae et dispositae, ut animata non necesse habuerint sese vertere, sed quaquaversum haberent faciem et alam versam, coram qua irent. Erant vero facies ipsorum, similes *humanae*, *leoninae*, *bovinae* et *aquilinae*, ita dispositae, ut *humana* fuerit ante, *leonina* ad dextrum, *bovina* ad sinistrum latus, *aquilina* retro, seu a tergo.

§. XV. Quae paraphrasis, in qua habeo consentientem Ligtf. l. c. ut in lucem prodeat; 1. notandum est, vers. 9. aeque pertinere ad facies ac alas, etsi harum expressa tantum fiat mentio; facierum tacita tantum in posteriore membro. Rationes sunt, α. quod vers. 11. *facies et alae* in

in altera parte pericopae, qua ſcopus et uſus ſitus, modo memorati, accuratius enarratur, conjungantur, et expreſſe memorentur, *b.* quod in altero membro verſus *facierum* quoque ratio habeatur, ubi exponitur ratio poſiturae alarum et facierum: ut mox dicam. Non enim *alis*, ſed *faciebus* praecipue, earumque poſiturae, erat tribuendum, quod non neceſſe habuerint ſeſe in eundo convertere; ſed ſemper coram facie procedere poterant, quia habebant ad omnes partes faciem aliquam verſam. *c.* Accedit, in praefatione *alarum* non tantum, ſed et *facierum* expreſſam fuiſſe factam mentionem; quae utraeque itaque hoc verſu conjungendae ſunt. *d.* Denique, cum in *priore* membro *alarum*, in *poſteriore facierum* meminerit propheta, manifeſtum eſt, membra eſſe elegantiae cauſa diviſa, ut ſaepe fit, ſecumque concinnanda, acſi utrobique *alae* et *facies* eſſent memoratae; hac ratione, *junctae erant aliae aliis facies et alae ipſorum, nec vertebantur in eundo, quiſque coram facie et ala ibat ſua.* 2. Duo membra ita cohaerent, ut poſterius pandat rationem, et ſcopum, juncturae facierum et alarum, adeoque exponat, quo modo fuerint ſociatae ſecum invicem facies et alae, hoc nim., ut neceſſe non habuerint ſeſe vertere. Quod verſ. 11, et 12. clarius traditur. Ex quo manifeſtum eſt, ſingula animata habuiſſe in quatuor partibus, in ſingulis unam *faciem* et *alam*. 3. Denique non agitur de quatuor animalium poſitura ad ſe invicem, reſpectu alarum et facierum, ſed *ſingulorum*, ratione quatuor ſuarum partium: habebant enim ſingula *capita* ſeu facies *quatuor*, verſ. 6. adeoque et totidem alas: ut poſtea videbimus. Cum itaque dicitur, et *facies leonis* etc. *quatuor illis*, de *ſingulis* quatuor illorum capiendum eſt. 4. Poſtremo notari velim, *facies* ita fuiſſe diſpoſitas, ut humana *anterior* fuerit, aquilina *poſterior*, reliquae *leonis* et *bovis* ad utrumque latus; illius *dextrum*, hujus *ſiniſtrum*. Cum enim *duabus* faciebus *leonis* et *bovis latera* diſerte adſignentur, de reliquis nihil habeatur, res ipſa exigit, ut *ante* et *poſt* fuerint collocatae.

Humanam fuiſſe anteriorem facile liquet, quod formam humanam praetulerint animata: accedit, prophetae ita occurriſſe hoc viſum, ut facies *humana* ad ipſum fuerit verſa. De loco c. X: 14. videbimus poſtea.

§. XVI. β. Scopum et uſum, ſimul ſpeciale adtributum facierum et alarum, 1. his verbis ſubnectit propheta verſ. 11. *Et facies eorum et alae illorum*, illae *ſeparatae deſuper, cujuſque* animati, hae *duae coagmentantes unumquodque, et duae tegentes corpora eorum.* h. e. Quod ad *facies* et *alas* eorum praeterea adtinet, *illae* a ſuperiore parte inferiorem verſus erant diviſae, et ſejunctae, *infra* in collo adhaerentes, *hae* vero, *quatuor* numero, *duae* adhaerebant animato, illudque compingebant, et obvelabant in eundo, *duae* aliae corpus cingebant, et obvelabant. Verba ſunt difficiliora intellectu, nec recte expediri ſolita propter concilam orationem. Senſus, quem expreſſi, ut eluceſcat, 1. voces, *facies eorum et alae ipſorum*, per ſe quaſi ſtare, et res complecti, de quibus mox quaedam peculiaria proferuntur, adeoque reſpondere Lat. *quod adtinet ad facies et alas;* uti habuimus verſ. 8. in fin., ante omnia notandum eſt. Deinde 2. reliqua, quae ſequuntur, eſſe dividenda, ut alia ad *facies*, alia ad *alas* referantur; uti in verſione expreſſi. Ad *facies* pertinent hae voces, *diviſae deſuper viro;* hae enim conjungendae ſunt, ut ſtructura docet. Vox לאיש non pertinet ad facies aut alas, eſt enim in maſc., ſed ad *animatum* quodcunque, ut ſit, diviſas *eſſe cuique deſuper.* Senſus eſt, facies, licet in collo connexas et junctas, de parte tamen ſuperiore eouſque fuiſſe *ſeparatas*, adeo ut totidem etiam capita diſtincta fuerint, non unius capitis diverſae tantum facies; quod ſupra quoque obſervavi. Ex quo liquet, de *alis* hic non agi, quae ſuperne non tendebant, ſed ſe expandebant, ubi opus erat; quod non eſt *dividere* et *ſeparare:* uti verbum פרד denotat. Ad *alas* vero reſpiciunt ſequentia, *duae coagmentantes virum*, ſeu quodque animatum, *et duae tegentes corpora ipſorum.* Quorum ſenſus eſt, ani-

mata

mata illa ſemper habuiſſe *duas* alas ſibi ſociatas in eundo et agendo, *duabus* vero obtectum fuiſſe corpus ipſorum undiquaque. De *priore* pare alarum dicitur, *eas ſociaſſe virum*, de *poſteriore*, *eas texiſſe corpus*. Quod poſterius non eſt difficile, ſed *prius* male intellectum: non habetur *duas eſſe junctas aliam alii*, uti verſ. 9., ſed *duas junxiſſe virum*, h. e. unumquodque animatum; quatenus ei adfuerunt in agendo et itando, eumque compegerunt, et conſtrinxerunt. Quod proprie eſt חבר, et hic denotat. Qua ratione ſenſus redditur facilis. Solere autem orationem ſaepe ita concinnari, ut, ſubjecto memorato duplice, ſubjungantur quaedam, quorum aliud ad hoc, aliud ad alterum pertinet, notiſſimum eſt. Ex quo ſimul elucefcit, non 6 ſed 4 tantum alas ſingulis eſſe dandas; ſecus ac Ligtf. opinatus eſt. De verſ. 23. poſtea videbimus.

§. XVII. 2. Modum inceſſus ipſorum ſubjungit verſ. 12. *Et quiſque coram facie ſua ibant, quo erat ſpiritus eundi ibant, nec vertebant ſe cum irent.* h. e. quamcunque in partem itabant, ſemper habebant faciem adverſam; ibant quocunque impetus erat eundi, abſque ut ſeſe vertere neceſſe haberent; ratio eſt, quod ad quatuor latera haberent *faciem*, et *alam*, ut ſupra dictum erat. Verba itaque continent peculiarem inceſſus modum, ab aliis animatis, ſeu hominibus, longe diverſum; et accuratius exponunt, quod verſ. 9. obiter tantum erat, ad diſpoſitionem facierum et alarum explanandam: ſubjunguntur vero alarum diverſo uſui, modo memorato, ad modum inceſſus magis illuſtrandum. Alarum enim diverſus uſus eo etiam pertinebat: cum enim itabant, *duae* alae in eundo compingebant unumquodque animatum, et *duae* alae tegebant corpus: praeterea, quod hic additur, ſemper coram facie aliqua ibant, abſque ut ſe verterint, in quamcunque partem impetus eſſet eundi. Solent quidem verba capi, acſi dicerent, animata illa curſum ſuum, ſemel inceptum, recta perſequi; abſque ut alio reſpicerent, aut ſe retro, aut ad latera verterent, ſed, licet illud verum ſit, *hic* tamen

men non dicitur; phrases enim, *coram facie ire*, et *se non vertere*, se mutuo explicant, ut vers. 9. et ad quatuor facies ac alas explicandas tendunt; adeoque simpliciter dicunt, ea se in eundo non vertisse, ut coram facie irent, sed habuisse semper faciem adversam, quacunque irent: ut recte vidit, et verbo notavit Ligtf. l. c. Ceterum *spiritus* eundi in genere denotat *voluntatem* et *impetum* eundi, sive insitum, sive inspiratum, sive potius utrumque. Locutio enim generalis est, et propositum ac impetum in genere exprimit; quare non dicitur Spiritus Dei, aut *ipsorum*, sed absolute et in genere *spiritus*; secus ac in *rotis*, quae spiritu animatorum agebantur; ut mox videbimus. Tantum inde colligitur, animata habuisse *spiritum* sese movendi insitum, secus se *rotae* habebant. Quod mox usui erit.

§. XVIII. *β. Partium* animatorum descriptione tradita, propheta subjungit *cum* colorem et conspectum eorum, *tum* agilitatem et celeritatem motus in eundo. vers. 13, 14. *Et similitudo animalium* (quod ad similitudinem animalium adtinet) *adspectus eorum erat instar carbonum ignis ardentium, sicut adspectus facium: hic*, ignis, *itabat inter animata, et splendor erat ignis, et ex igne emicabat fulgur, et animata currebant et aestuabant instar adspectus scintillationis.* h. e. Animata, quae depinxi, sicut tota erant ignita, et flammantia, ita, igne fulgurante, quem in medio habebant, discursante inter ea, citissime quaquaversum movebantur, nunc huc, nunc illuc, haud secus ac scintillae. Plenior hic datur, ut recte Sanctius, explicatio *adspectus Chasmal e medio ignis* vers. 4., et *partim* adspectus ac species eorum accuratius traditur, *partim* eorum agitatio, cum ejus causa et origine, depingitur. *Prius* his verbis: *et similitudo animatorum, adspectus eorum instar carbonum ignis ardentium, sicut adspectus facium flammantium.* Antea dixerat, eorum similitudinem fuisse instar hominis, et hunc fuisse adspectum eorum, scilicet, quoad formam et figuram externam, quae in oculos incurrebat, nunc specialius declarat, cujus naturae fuerit illa forma

forma humana, quae ejus qualitas interna; esse nimirum totam *ignitam*, et *flammantem*, instar *carbonum ignis ardentium et facium flammantium*; non *coloris* tantum respectu, sed et internae qualitatis, quatenus formae illae humanae fuerint totae igneae, et flammantes, quare dicuntur שרפים *seraphim* Jes. VI. Utitur enim voce דמות *similitudinis*, aeque ac antea ubi formam humanam eorum descripsit; argumento non de colore simpliciter agi, sed et formam seu qualitatem eorum describi, seu materiam, ex qua constabant. Erant itaque corpora ex aere et igne conflata, quae formam praeferebant humanam cum quatuor faciebus et aliis. Cum *carbonibus* ignitis et facibus ardentibus non formae, sed materiae, illis similis, respectu, comparantur; non quod ex eadem, sed simili materia constabant; sicut antea cum metallo igneo, ita nunc cum carbonibus et facibus conferuntur; quod aëreae fuerint et igneae naturae. Voces nihil habent obscuri.

§. XIX. *Posterius* his verbis comprehensum est, *iste*, scilicet ignis, *itabat inter animata, et splendor erat igni, et ex igne emicabat fulgur: et animata currebant et aestuabant instar adspectus scintillationis*. Quibus *cum* causa agitationis, *tum* agitatio ipsa describitur. Haec enim verba cohaerent, et hunc fundunt sensum; animata igne, quem in medio habebant, concitato et inter ea discurrente, fuisse in celerrimum motum quaquaversum agitata, ita ut nunc huc, nunc illuc, citissime cucurrerint, instar scintillarum. Modo dixerat, ivisse quorsum spiritus agebat; quod ut clariore in luce poneret, iis celerrimum motum tribuit, ab igne in medio eorum ortum. Ex quo elucescit, *spiritum* esse igneum, ex medio ignis, quem in medio sui habebant, ortum; adeo ut, illo igne in medio sui currente, et ipsa in agilissimum fuerint concitata motum. *Duo* itaque hic sese offerunt, ut dixi, *causa* agitationis, et *agitatio ipsa*. *Causa* his verbis, *ipse itabat inter animata, et splendor igni, et ex igne emicabat fulgur*. Pronomen relat. היא omnino pertinet

 ad

ad אש passim foem. gen., cujus modo facta fuerat mentio in carbonibus *ignis*, et mox recurrit, cum *splendor ignis* adfuisse dicitur, alio itaque ac ad *ignem* referri nequit. *Tria* vero de eo memorantur 1. eum fuisse *inter animata*; adeo ut in medio sui focum ignis habuerint; quod ex c. X: 6, 7. extra controversiam positum censeri debet. Accedit, nubem supra fuisse cum *igne* in medio, unde animata prodierunt, depictam. Ignis itaque non est cum *carbonibus* ignis modo memoratis confundendus, acsi de animatis, qua carbonibus, ageretur, sed pro causa habendus est ignei conspectus animatorum. Quod observatum sicut omnem difficultatem tollit, ita lectionem, quam LXX. secuti sunt, saltem in versione expresserunt, refutat. De quo plura dixisse nihil adtinet. 2. Eum fuisse *splendidum*, quatenus *splendorem* extra nubem emiserit, ut vers. 4. habetur, et ex eo *emicasse fulgura*: quod nihil habet difficilis. Verbum יצא veram suam hic exserit emphasin; proprie enim dicit, *emicuit ignis*; unde alii usus orti sunt, vid. Schult. clav. p. 319. et Lette ad Jud. V. 3. denique eum *itasse inter animata*, seu vehementius fuisse concitatum in medio eorum: id enim est מתהלכת: rad. הלך primariam notionem habet *volvere*, *volubilem esse*, in Hithp. *se volvere*, et quidem concitatissime, inde *itare*, gradi, in bonum et malum, ut Lat. *grassari*. Vid. Schult. ad Job. I.

§. XX. Ipsa animatorum agitatio, inde orta, his verbis subnectitur vers. 14. *et animata currebant et aestuabant*, *ad instar scintillationis*, proprie, aestu reciproco, eundo, redeundo, celeberrime currebant. Radix רוץ proprie est *quatere*, inde concitatissime currere, et שוב proprie teritur in aestu maximo, identidem et statis vicibus recurrente, dicitque *aestuare*, et de aquis usurpatur, speciatim *crescentibus et decrescentibus*. *Currere et aestuare*, itaque est concitatissime, statisque vicibus moveri, nunc huc nunc illuc, et eundo redeundo. Quod ulterius illustratur ex simili *scintillationis*. Vox בזק in origine habet *vibramen sparsum*, inde

lumen

lumen vibratum, ac ſparſum, et ſcintillationem denotat. Cohaerent vero haec cum ſuperioribus, tanquam effectum cum cauſa, adeoque indicatur, igne concitatiſſime moto inter animata et ea fuiſſe in agiliſſimum motum concitata: ita ut motus eorum fulmineus inde dependerit, et is pro *ſpiritu* ſit habendus, quo ea modo fuerunt dicta *agitata*. Quae ab Interpretibus minus ſunt obſervata.

§. XXI. ה. *Quinta* pars viſi continet *rotarum* in terra juxta animata, antea non viſarum, deſcriptionem verſ. 15—21. ubi *α*. generalis occurrit rei, quam vidit, propoſitio verſ. 15. *β*. ejus peculiaris expoſitio verſ. 14—21. ; *α*. In genere proponitur his verbis verſ. 15. *Et intuitus ſum animata, et ecce rotam unam in terra juxta animata*, (unumquodque eorum) *ad quatuor eorum facies*, h. e. hiſce, quae narravi, viſis, cum oculos in animata defixos tenerem, *ecce* novi quid, non animadverſum! rota erat una in terra poſita ad latus uniuſcujuſque animatorum, tunc in terra ſtantium, idque ad quatuor eorum facies, adeo ut ad ſingulas fuerit rota una et eadem. Quae paraphraſis ut in lucem prodeat not. 1. praefationem indicare, prophetae in animata intento novi quid adparuiſſe, ſive antea non fuerit, ſive non obſervatum. Alterutrum enim ſtatuendum eſt, cum voces quid *novi* requirant: *vidi animata*, *et ecce*, nunc vel poſtquam ea vidi, *ecce* quid aliud et novum ſeſe mihi obtulit, vel, vidi iterum, et intento oculo, et *ecce*: quae eodem redeunt. Probabilius vero eſt, antea non fuiſſe *rotas*, cum alias conſpectum prophetae non fugiſſent: niſi velis, eum oculos ſuperne habuiſſe defixos, cum animata in aere ipſi occurrerent, et ad id quod in terra erat non adtendiſſe: *animata* enim ipſi viſa ſunt ſupra terram in aëre; quae nunc in terra conſpecta ſunt; ut mox dicam. 2. *Rotam* fuiſſe, quam vidit, et non *currum*, aut quadrigam; ſed ſingularem *rotam*, ſimilem quidem *rotae* currus, ſed ſine eo: quia ſolius *rotae*, nulla *currus*, fit mentio: praeterea *thronus* Dei deinceps viſus eſt non in *curru*, ſed *ſuper capita*

 anima-

animatorum, seu *expanso* super ea vers. 26. Radix vero אפן primariam vim habet *inversi* et *impulsi*, dicitque *verti*, et *volvi*; unde vox אופן *volubilem rotationem*, et ita *rotam* denotat; quae cap. X: 13. per גלגל exponitur, cujus proprietas est *volvendi* in *orbem*, et usus de quacunque re *voluminosa*, in specie *rota* currus.

§. XXII. 3. Rotam vidit *unam in terra juxta animata*, non plures, seu primum unam, mox tres alias; sed *unam* numero, nec infra, verum *juxta* animata, idque in *terra*, non in aëre; adeoque et animata nunc in *terra* consistentia; quod ex vers. 19. confirmatur. Sed quo sensu *una* dicitur rota juxta animalia, cum mox rotae adpellentur, et singulis una detur? resp., juxta animata hic esse pro, juxta unumquodque eorum; quod est facillimum, et ex seq. firmatur, praeterea una rota juxta animata adpellatur, quod fuerit una species et forma apud omnia animata; ut vers. 16. expresse traditur. Fuerunt itaque tot rotae, quot animata; rotae separatae, non, ut in curru, junctae; quas non insidebant animata, sed juxta se habebant, et volvebant quaquaversum: ut est vers. 19. etc. 4. Denique additur, *rotam* fuisse *unam*, juxta animata, *ad quatuor facies* eorum, non rotarum, sed animatorum, ut facile cernitur; nec tamen ab omnibus observatum est. Quod qua ratione intelligendum sit, ex seq. est explicandum, ubi habetur, rotam fuisse duplicem, *rotam* in *rota*; quae itaque ad *quatuor* facies animati cujusque sese porrigebat; ita ut unaquaeque facies habuerit juxta se *rotam*, seu ejus partem; *una* enim rota erat inter facies ad ortum et occasum; *altera* transversa per eam inter facies ad septentrionem, et austrum. Qui facillimus est sensus, ab omnibus tamen non perspectus.

§. XXIII. *β*. *Specialis* explicatio versatur *a*. circa *rotarum* structuram et speciem vers. 16—18. *b*. earum *agitationem*, et causam ac modum vers. 19—21. *a*. De rotarum specie et forma sequentia notantur. 1. *Primum* est, eas *colore* fuisse similes lapillo *Tarsis* vers. 16. in primo membro:

bro: *species rotarum et operum earum* erat *instar Tharsis*, seu secundum *oculum Tarsis*; h. e. colore similes erant *chrysolitho*, lapidi pretiosissimo, aurei coloris, a loco Indiae sic dicto; ut probavit Cl. Braunius de vest. sacerd. Hebr. l. II. c. 17. Sed quid sibi velit *opera ipsorum*, vix adparet, cum vox ad formam spectare videatur, quae cum lapide nihil habet commune: superflua itaque est hoc loco vox, vel ex seq. membro hic male inserta; ubi recte locum tenet, nisi quis velit per anticipationem hic occurrere, ut ejusdem coloris fuisse rotam in rota indicaretur. 2. *Secundum* est, eas fuisse per omnia sibi similes, et quatuor numero, his verbis ibid. *forma una quatuor illis*, h. e. quatuor erant ejusdem plane formae; ad singula animata una rota. Potest enim vox ארבעתן et ad *rotas*, et ad *animata*, supra memorata, referri. 3. *Tertium* est, singulas rotas fuisse duplices, se ex transverso secantes, et complexas, his verbis: et *forma earum et opera earum* erant, *quemadmodum rota erat in medio rotae*, h. e. duplex erat quaeque rota, quae duas habebat rotas per transversum implicitas; ita ut *una* spectaret ad ortum et occasum, *altera* ad sept. et austrum: uti a nonnullis recte observatum, et a Coccejo depictum est, pateque ex seqq. verbis vers. 17., quae explicationis ergo, ut de ratione et scopo harum duplicium rotarum constaret, subjunguntur; *ad quatuor sua latera, cum progrediebantur ibant, nec convertebantur cum ibant.* Quae hic obiter inseruntur eo, quo dixi, scopo, mox accuratius explicanda, ut fit vers. 19. Sensus, qui in oculos incurrit, est, rotas quaquaversum ivisse absque ut fuerint conversae, adeoque ad quatuor partes fuisse rotas singulas versas; quod nisi duae fuerint rotae, se ex transverso secantes, fieri non poterat. Quemadmodum itaque animata habuerunt quatuor facies, et pedes rotundarum plantarum, ita ad singulas erat rota, adeo ut nec animata, nec rotae necesse habuerint ad quaquaversum eundum converti.

§. XXIV. 4. *Quartum* est apsides rotarum fuisse ingen-

tis altitudinis, et oculorum plenas in circuitu, verſ. 18. *Et apſides earum*, quod ad apſides earum adtinet, *et altitudo ipſis et timor*, vel terribilitas, *ipſis* erat, et *curvaturae earum plenae erant oculis circum quatuor ipſis*, h. e. quatuor illae rotae habebant curvaturas altiſſimas, et terribiles et in iis circumquaque oculorum ſpecies. Vox גבהם ſeorſim ſtat, et idem eſt ac, *quod adtinet* ad *curvaturas* earum. Radix גבב Arab. eſt *inſecuit*, ſecando excavavit, et ſic curvando fornicavit; unde ſumitur de omni convexa, et ſuſpenſa velut, compage. Apte itaque *apſides*, quas *curvaturas* rotarum adpellat Ovidius, denotat. Tribuitur autem ipſis *a. altitudo et terribilitas*, ſive ſit *altitudo terribilis*, ſeu ſumma et maxima, ſive praeter altitudinem adfuerit *terribilitas* aliunde, ex colore radiante ex. gr., nata, *coruſcatio*, inde ſplendor vibrans uti verſ. 22. Radix enim ראה proprie dicit *vibrationem*, *b.* oculorum inſculptorum copia in circuitu, *et convexitates earum erant plenae oculis circum quatuor illis* rotis, h. e. formas oculorum habebant illae curvaturae undiquaque inſculptas. Vox עין hic non colorem, ut Ill. Grot. putat, acſi fuiſſent *verſicolores*, ſed *oculum* notat, nec alium fert ſenſum vox abſolute poſita, et dualis.

§. XXV. *b.* Quoad rotarum agitationem propheta *a.* in genere tradit, rotas eodem, quo animata, ſpiritu fuiſſe motas, ſive in terra, ſive ſupra eam verſ. 19. *Et cum ibant animata, ibant rotae juxta ea, et cum ſurſum tollebantur animata de ſuper terra, tollebantur rotae* h. e. ſive in terra procedebant animata, ſive de ſuper terra elevabantur, rotae ad eorum latus idem faciebant. Nihil hic obſcuri; obſervari tantum meretur, *rotas* non dici ante animata, ſed juxta ea fuiſſe mota, nec *volatus*, ſed inceſſus tantum tribui animatis; denique non dici, rotas fuiſſe per animata motas, ſed ſimpliciter, eundem motum fuiſſe utriſque communem. *β. In ſpecie* duo de hoc communi motu, ad eum explicandum, adfirmat, *alterum* eſt, ab eadem cauſa fuiſſe motum ortum, *alterum*, non motum, ſed et *quietem* ipſis ab eadem

eadem causa adfuisse aliquando. *Prius* his verbis exponit vers. 20. *Quocunque erat spiritus eundi*, *ibant*, *eo altum versus si erat spiritus ire*, *etiam rotae adtollebantur e regione eorum*, *quia spiritus animati* cujusque *in rotis* erat, h. e. quod dixi de communi animatorum et rotarum motu, illud *partim* ad omnem qualemcunque motum, sine exceptione, extendendum est, *partim* eidem spiritui, qui in animatis et rotis fuit, adtribuendum, tanquam causae. *Duo* itaque de hoc motu communi tradit, modo non memorata; *prius* est, rotas juxta animata fuisse non huc aut illuc tantum, aut subinde, sed semper et quaquaversum motas, adeo ut quocunque impetus fuerit animatorum eundi, sive in terra, sive desuper ea, eo etiam rotae fuerint motae, his verbis, quae repetam et exponam mox: *quocunque erat spiritus eundi* (scilicet in animatis,) *ibant* (scilicet rotae juxta ea; uti ex praeced. et seq. manifestum est,) *eo spiritus eundi* (sc. eo in altum si erat spiritus eundi in animatis.) Hac enim ratione capienda sunt verba. quia alias tautologia vitari nequit, et rectius, ut versiones Graeca et Syriaca fecerunt, expungerentur, nec sequentia apte subjunguntur: non enim hic de incessu in terra, sed sublatione in altum loquitur, cujus utriusque distincta modo facta fuerat mentio, et mox subnectit, *rotas* etiam fuisse elevatas e regione ipsorum; manifesto indicio, se hic de motu animatorum in altum loqui. Vocula itaque שמה hic peculiarem exserit usum, in ejus originali potestate latentem, dicitque *eo*, digito quasi monstratum, *in altum*. Radix שמה proprie dicit, *altum esse*, *eminere*, uti apud Arab., unde שמים *coelum* ab altitudine super caput expansa, et eminente, et שם *ibi*; quod ante oculos exstat, proprie eminet, et imminet; hic vero שמה locum quoque eminentem, ut dixi, denotat; sive digito elevato demonstratum *ibi* vel *ubi*,) *et rotae elevabantur e regione illorum*, (.c. animatorum elevatorum, ut modo erat dictum, vel *sicut illa*, aut in adfinitate illorum, quod est לעמת, cujus primigenia potestas est *glomerandi*, unde, si-

cut Gr. συγκλίνω orta est notio *adfinitatis* et *convenientiae.*) *Posterius* est, eundem spiritum, qui in animatis, fuisse *in rotis*, indeque repetendum esse, quod eodem, quo animalia, fuerint motae *rotae;* quia uno et eodem spiritu agitabantur et illa et hae. *Spiritum* fuisse ab animatis cum *rotis* communicatum non dicitur, sed tantum in utrisque fuisse eundem.

§. XXVI. Repetuntur, per modum conclusionis, dicta de hac communi agitatione, sed cum novo additamento, antea non memorato, *quietis* nim. animatorum et rotarum quoque communis et ejusdem vers. 21. *Cum progrediebantur* illa, *ibant*, (rotae) *cum vero stabant illa*, *stabant* (rotae) *cum illa evehebantur de super terra*, *evehebantur rotae in vicinia eorum, quia Spiritus animati* cujusque *in rotis*. Quae ex superioribus satis clara sunt. Habent vero verba conspectum conclusionis, qua superiora repetuntur, sed cum additamento aliquo novo. Nihil enim hactenus de cessante motu animatorum et rotarum dictum erat; quod nunc expresse memoratur, ne putaremus animata et rotas in perpetuo fuisse motu, et nunquam quievisse. Licet vero non expresse dicatur, ubi quieverint, in terra, an super ea in sublimi? cum tamen *quiescere* et *ire* connectantur, et ab iis *efferri* in altum distinguatur, iisque subjungatur, manifestum est, *locum quietis* atque *stationis* fuisse terram, ubi quoque primum vidit propheta *rotas* positas juxta animata, vers. 15., ut supra vidimus.

§. XXVII.). *Sexta pars visi* et ultima repraesentat supremum Dominum et regem insidentem throno, posito super firmamento, inminente capitibus animatorum, tranquille se in terra tenentium, vers. 22—28. In qua pericopa *a. suppedaneum* throni depingitur vers. 22—25. respectu coloris, situs, et habitus animatorum sub eo Ubi *a*, color et situs exponitur vers. 22. *Et similitudo expansi super capita animatorum instar crystalli, horrendi, extensi super capita ipsorum superne*, h. e. capitibus animatorum superne inmi-

inminebat terribile aliquod expansum aëreum, coloris crystallini, nitidi et pellucidi. Vox רקיע hic denotat *suppedaneum* pedibus calcari solitum, quod proprie est רקע *calcare* pedibus Ezech. VI: 11. Nihil non clari hic; quare illud tantum observo, voce הנורא, cum *expanso* construenda, significari expansum illud habuisse aliquid majestuosi, et verendi, quod reverentiam et timorem incutiebat, sive magnitudine, sive splendore, sive alia ratione. Proprie dicit *coruscationem*, adeoque splendorem se vibrantem, ut vers. 18. habuimus. *b.* Habitus animatorum sub eo firmamento, tanquam suppedaneo throni, mox depingendi, 1. in genere explicatur vers. 23. *Et sub expanso alae ipsorum complanatae* erant, *alia ad aliam*; *unumquodque duae hinc*, *et unumquodque duae illinc tegebant corpus ipsorum*, h. e. quatuor eorum sub firmamento consistentium alae erant compositae, una ad alteram, adeoque omnes complanatae, quarum *duae* hinc, et duae illinc, et sic ab omni parte, obvelabant corpus ipsorum. Solent haec accipi, acsi alae fuerint erectae, et directae in animatis ad se invicem, ita ut se mutuo adtigerint: quemadmodum apud Coccejum repraesentantur, tanquam thronum sustinentes per alas. Cui cum maxime obstat, quod *alae* hic occurrant demissae, et circa corpus flexae; nec *sex*, sed *quatuor* tantum alae ipsis tribuantur; secus ac Ligtf. opinatus est, qui et hinc collegit, ea fuisse *sex* alis praedita: de quo supra dixi. Errandi ausam praebuit vox ישרות male intellecta; acsi *erectas* significaret, et se invicem adtingentes, alas. Quod secus est; denotat vox *complanatas*, sedatas, et demissas; quae vera est et propria ejus potestas, opposite ad *agitatas* et *expansas* alas; uti mox clarius et expressius traditur.

§. XXVIII. 2. In specie exponitur iste alarum habitus accuratius, et ratio ac causa traditur, quare alas habuerint sub hoc firmamento compositas et aequatas, opposite ad tempus praecedens, quo in continuo erant motu, et alas concutiebant, vers. 24, 25. *Etenim audivi sonum alarum ipsorum, instar*

instar sonitus aquarum multarum, instar vocis omnipotentis, quum ipsa ibant (sonus exundantis imbris erat *sicut sonitus exercitus) cum consistebant illa, alae ipsorum flaccidae erant et remissae: facta quippe fuit vox desuper firmamento, quod super capita eorum erat, cum consistebant, flaccidae erant alae ipsorum* h. e. Diversus fuit habitus animatorum respectu alarum sub firmamento: nunc enim stabant, antea in vehemente erant motu, quo quaquaversum ibant. Terribilis enim erat motus alarum, cum ibant, cujus sonus erat haud absimilis tonitru, ac vehementissimi imbris decidentis continuo et cum impetu, instar strepitus exercitus sese moventis; sed nunc erant alae remissae et compositae, voce de superiore parte firmamenti audita, quae hanc quietem et remissionem imperavit, et produxit. Quae paraphrasis, ut sese commendet, notandum est vers. 24. opponi habitum alarum antecedentem, et consequentem, et vers. 25. rationem dari tranquilli habitus, a voce de throno Dei missa repetendam: qua ratione *versus* cohaerent, et faciles habent explicatus. Cum versu praeced. dixisset propheta, alas eorum fuisse sub firmamento compositas, et circa corpus flexas, mox illustrationis ergo discrimen tradit habitus praecedentis et sequentis, dicendo, alas ingentem et horrendum dedisse strepitum, cum quaquaversum irent, sed nunc, cum starent, quietas et remissas tenuisse alas. Quem in finem diserte dicit, se strepitum audivisse *cum irent* animata, sed dein *remissas* habebant alas. *Ire* itaque ipsorum respicit ad motus, et *stare* ad consequentem statum. Antea dixerat ea *ivisse*, sed num tradit ea *stetisse*; cum vero *ibant*, enarrat se terribilem audivisse alarum sonitum, quem non sine ratione, postea tradenda, comparat cum sonitu *aquarum spissarum*, cum vehementiore motu agitantur, et voce *omnipotentis*, seu *tonitru* murmurante, ut recte ab Interpr. notatum, nec difficile est. Addit vero per parenthesin, ad clariorem intellectum soni istius dandum, vocem omnipotentis esse, ut *imbris* vehementioris, et proxime respondere

dere *sono exercitus* se moventis. Voces enim intermediae, vel ad finem descriptionis soni adjectae, habent speciem parenthesios, et per se stant, quare non legitur, ut modo *sicut sonus imbris*, etc. sed *sonus imbris sicut sonus exercitus*, h. e. sonus omnipotentis, cujus memini, est ut imbris fluentis, et aquarum, ut exercitus se moventis: vox מחנה enim hic non denotat exercitum in castris requiescentem, sed in genere exercitum, et hic in specie *se moventem*; quemadmodum et alibi sumitur, ut ex Lex constat. animata enim diserte sistuntur in *motu*. Ceterum vox המלה significat *imbrem exundantem*, et perpetuo fluentem, a rad. המל proprie *libere* et *solute fluxit*, in specie *exundavit imber*, perpetuo fluxit coelum, continuata pluvia, unde המלה *strepitus effusi imbris*. Schult. clav. p. 202. Interpretes sonum *loquelae* seu articulatum, intelligere solent, acsi esset, ut Cocc. conjicit, a מלל, quod valde alienum est. Longe rectius pro הלמה *conlisio* adacto malleo; indeque ortus *strepitus* haberetur, cum Simone form. p. 71. sed non necesse est, nec ita quadrat apte, quam *imbris* strepitus.

§. XXIX. Subjungitur causa hujus *quietis* et alarum nunc remissarum, vers. 25. *Et fuit vox de super expanso, quod super capita eorum* erat, *cum starent illa, remittebantur alae ipsorum.* h. e. Audita est vox de super firmamento, et inde accidit, ut, cum steterint, remissae fuerint alae ipsorum. Hac enim ratione supplenda est oratio; cum manifeste *causa* et *effectus* hic conjungantur; nec alium sensum fundere possunt verba, aut ratio reddi, quare voce de super memorata repetatur illud de quiete et remissione alarum. *Vox* itaque est jussus supremi Domini throno insidentis, qui mox depingitur, quo animata quiescere jussa sunt. Quod Interpretes non latuit: quare plura non addo. In quibus si quis acquiescere nequit, cum vere insolita sit constructio, is voces *cum starent* etc. librarii culpa ex praecedente male repetitas censeat; uti nonnulli codices Graeci ac Syrus habent.

§. XXX. β. Pergit propheta ad *throni*, super firmamento, descriptionem, quam his verbis dat vers. 26. *Et desuper firmamento, quod erat super capita ipsorum*, erat *sicut species lapilli sapphiri, similitudo throni*. Quae satis plana sunt. Thronus comparatur cum *sapphiro* respectu *coloris* tantum, quod sit *coerulei pellucidi* coloris, qui in Sapphiro dominatur, instar *coeli*, Exod. XXIV: 10. *puri* et *sereni*. Vid. Braun. vest. sacerd. Hebr. l. II. c. 12. et Vitr. ad Jes. LIV. γ. Sequitur denique regis in throno descriptio sub forma humana, igneo splendore praediti; vers. 26—28. Ubi *a.* forma humana ipsi aptatur vers. 26. *Et super similitudine throni, similitudo sicut species hominis super ipso superne.* Quae etiam facilia sunt. Cavit propheta, ne de vero homine cogitaretur, cum *similitudinem* hominis, et *instar speciei* hominis, expresse memoret. *b. Ignea* mox subjungitur species, quae splendorem arcus coelestis similem undiquaque sparsit; vers. 27, 28. Ubi *a.* ignea species depingitur vers. 27. β. *splendoris* externi accuratior datur intellectus vers. 28.

§. XXXI. *a. Ignea* species, quae sedenti in throno tribuitur, aliquid discriminis habuit pro partibus supra et infra lumbos; *supra* enim ignem habebat inclusum et absconditum, sed *infra* ignem, qui *splendorem* emittebat, cujus accuratior descriptio mox datur. Verba, quorum conspectum dedi, ita sonant vers. 27. *Et vidi instar coloris aurichalci, sicut adspectum ignis, cui domus circumquaque, a specie lumborum ejus et sursum versus; et*, vel sed, *a specie lumborum ejus et deorsum vidi sicut speciem ignis, et splendorem ipsi circumquaque*, h. e. forma humana sedentis in throno erat instar aurichalci, coloris aurei et ex parte argentei, seu aeris pretiosissimi candentis, tota ignita, sed hoc cum discrimine, quod in superiore parte a lumbis ignis esset inclusus, qui splendorem non emittebat, in parte vero inferiore a lumbis splendidus, qui hominem hunc totum undiquaque cingebat, et inde vibrabatur. Nihil hic difficilis, nisi in phrasi

סביב

בית לה סביב proprie *domus ipsi circum*, quae varie expeditur; mihi dubium non est, quin לה *ipsi* pertineat ad *ignem*, foem. quippe passim generis, uti nonnulli recti notarunt, et בית significare *vas* aut receptaculum aliquid continens; ut observavit Cl. Schroeder de *vestitu mulierum* Hebr. Jes. III. p. 147., adeoque sensum esse, ignem habuisse receptaculum, quo fuit inclusus, absque ut radios splendentes fuerit ejaculatus; opposite ad ignem *splendentem circumcirca* in fin. vers. 8. ubi hoc tantum not. in phrasi, *et splendor* לו *ipsi circum*, pronomen mascul. pertinere ad hominem, et sensum esse *splendorem* ignis fuisse circa hominem respectu partis inferioris. Qua ratione cuncta fiunt facilia.

§. XXXII. β. *Splendoris*, quo circumfulgebat persona regia respectu partis inferioris, notitia traditur accuratior vers. 28. his verbis: *sicut adspectus arcus, qui est in nube die imbris, ita erat adspectus splendoris circumquaque* h. e. splendor, quem vir iste in parte inferiore ignita vibrabat, imaginem praetulit *arcus coelestis*, qui in nube se ostentat die pluviae, et rotunditatis et colorum respectu, quorum dominantes sunt *igneus* et *viridis*, justitiae, longanimitate et gratia temperatae, signa. *Splendor* igitur hic repraesentatur tanquam inferiores personae regiae partes cingens, et colores illos praeferens, instar *vestis* extremitatum, seu *fimbriarum stolae talaris* Jes. VI. Quae nihil habent obscuri. Subjungitur toti descriptioni; *hic est adspectus similitudinis gloriae Jehovae*, ut indicaretur, viso hocce fuisse repraesentatum emblema gloriosae majestatis Dei Israelis, veracis, justi et boni; quam emphasin habet, uti notum, nomen *Jehova*. Sed notandum est, *gloriam Jehovae* proprie esse quid distinctum ab *animatis* et *rotis*, et continere regiam majestatem throno insidentem; *cum* quod hic referatur ad majestatem illam, cui inmediate subjungitur, *tum* quod a Cherubis et rotis distinguitur, et subinde separatur c. X et XI.

§. XXXIII. Viso, quoad litteram per partes exposito,

de ejus ſcopo et ſenſu *emblematico* diſſerendum eſt. Quae tractatio, per ſe difficilis, longe difficilior per varias Interpretum, et Doctorum, diſſenſiones et diſputationes facta eſt; quae ab ipſis petendae, hic diſcutiendae non ſunt. Conſulendus eſt praeter Interpretes Ezechielis, ſatis notos, Cl. Vitringa Obſ. S. l. IV. c. 1, 2. et Witz. AEgypt. l. II. c. 13. Noſtras hypotheſes exhibuiſſe ſuffecerit. Supremam majeſtatem Jehovae, Dei Iſraelis, tanquam regis et judicis, juſti et aequi, in judiciis ſuis in populum Iſraelis rebellem in primis, dein et alios populos peccatores, demonſtrandam per Chaldaeos primum, hic in genere depingi, multa ſunt, quae demonſtrant. 1. Cap. XLIII: 3. ipſis verbis dicitur, hanc gloriam Jehovae *veniſſe ad deſtruendam urbem* Hieroſolymam. 2. Conjuncta fuit majeſtatis divinae imago *nubes* ſcilicet, *ignem* habens incluſum, cum *vento procellae urentis e ſeptentrione* c. I: 4. certo ſymbolo impetus hoſtilis Chaldaeorum in Judaeos: uti conſtat. 3. Cum viſum hoc praetulerit conſpectum inaugurationis prophetae in munere prophetico. ut ex ſeq. manifeſtum eſt, oportet ei fuerit congruum, adeoque *judicii* divini in populum Judaeum rebellem deſcriptionem emblematicam praecipue contineat, neceſſe eſt; cum hic ſcopus, et hoc argumentum fuerit concionum Ezechielis. 4. Denique ipſa imago Dei, animatorum et rotarum, tota eſt terribilis, undiquaque *ignea*; quae juſtitiam ſpirat vindicantem et judicia; ut cuique in oculos ſponte incurrit.

§. XXXIV. Haec licet in genere conſtent, habet tamen partium viſi conſideratio multa, quae accuratiorem merentur explicationem; quam tradere adgredior. Etſi viſum ad Hieroſolymae deſtructionem per Chaldaeos depingendam primo ſeuſu tendit, porrigit ſeſe tamen latius, et judiciorum Dei ſeriem comprehendit cum in Iſraelem, tum populos vicinos, nec per Chaldaeos tantum, ſed et alios populos executioni mandandorum, eventum denique et conſequens eorum, reſpectu populi Dei, in regno Dei inter Iſraelitas

raelitas erigendo, et per orbem propagando, situm, una et ultimo repraesentat. Quo inprimis pertinet quaternarius numerus animatorum et rotarum, versus quatuor orbis plagas, et regni Dei, sub forma *hominis*, erectio, in qua desinit illustre hocce visum. *Tres* sunt praecipuae *visi* partes recte distinguendae: quarum *prima* majestatem Dei Israelis, regis et judicis *cum* Israelis, *tum* totius terrae, judicium pronunciantis et exsequentis, in populum suum rebellem, et vicinos populos peccatores, depingit, vers. 4—14. *secunda* modum executionis per bellicas expeditiones illustrium Imperatorum, sub emblemate *rotarum*, repraesentat vers. 15—21. *tertia* exitum et eventum judiciorum Dei, in regni Messiae manifestatione, majore minoreve emphasi, situm, ob oculos sistit vers. 22—28. *Primae* duae partes cohaerent, quatenus ad *judicia* Dei respiciunt, cum *prima* Majestatem Dei regis et judicis, judicia exequentis, et *secunda* modum executionis exhibeat: *tertia* pars longe aliam scenam, ex judiciorum exsecutione oriundam, et secuturam, introducat in regno tranquillo et glorioso situm; ut suo loco patebit. *Primis* duabus partibus, tanquam connexis, praemittitur generalis earum conspectus et scopus, his verbis vers. 4 *Ecce ventum procellae urentis venientem e septentrione*. Quae est notissima descriptio judicii Divini per bellicas expeditiones, initium habituras e septentrione, seu Assyria et Babylonia, executioni mandandi; de quo alibi saepe dixi. Spectat vero hic directe et primo sensu ad *Hierosolymitanos*; adeo ut *venire* sit supervenire, et cum impetu tendere Hierosolymam versus ad eam destruendam: uti c. XLIII: 3. dicitur. Conf. etiam Jer. I: 13, 14. et ibi dicta.

§. XXXV. Huic Judicio, quod Judaeos primum, dein et alios populos, feriret, explicando inserviunt *primae* duae partes *visi*, quarum *prima* majestatem supremi judicis, *secunda* ipsum judicium et ejus modum repraesentat. In *prima* parte א. judex et rex, judicium habiturus depingitur ב. ejus

 ministri

ministri et executores. ℵ. *Judex* describitur emblemate *ingentis nubis ignem*, radios quaquaversum emittentem, complexae vers. 4. his verbis, *nubes magna erat, et ignis se continens, et splendor ipsi circum.* Respicitur manifeste ad notissimum illud symbolum Jehovae, Dei Israelis, quo se manifestum fecit Israeli ex AEgypto liberato, et in deserto degenti, *columnae nubis et ignis* nomine notum, et deinde in Tabernaculo ac Templo subinde se manifestavit: cujus emblematicam significationem docti satis illustrarunt, in primis Cl. Vitr. Obs. S. l. V. c. 16. quare hic tantum observo, hoc emblemate significari, Deum Israelis esse, qui hic in scenam producitur, eundem illum, qui olim populum ex AEgypto liberavit, et sibi adseruit, in populum peculiarem formavit ad montem Sinai, dein firmavit in Canaanaea et exaltavit, sed nunc judicium exerciturus erat in populum illum rebellem per Babylonios, quare e septentrione fingitur venire contra Hierosolymam; *judicium* quidem severum, et justum, per *ignem* depictum, attamen *bonitate* multiplice temperatum, absque ut populum plane exterminaret, ac repudiaret, quod per *nubem* significatur, qua ignis involutus erat, et per quam *radii* tantum splendentes emittebantur. Quae tetigisse sufficerit.

§. XXXVI. ב. *Ministri* Dei judicis et regis emblemate *quatuor animatorum* veniunt, quorum accurata traditur descriptio. Cum enim conspectum hic gerant *animata*, quo ministri Dei judicis sunt, et judiciorum ejus executores 1. inde patet, quod ex *medio ignis* venisse dicantur, a justitia itaque emissi, 2. quod speciem praetulerint *carbonum ignis et facium ardentium* vers. 13 3. quod *ignem* habuerint in *medio* positum., vers. 13., quo Hierosolyma est destructa cap. X: 2. Sed quae sunt personae, hoc emblemate depictae? et quid sibi vult *partium* earum descriptio? *Angelos* repraesentari per haec animata, equidem non dubitaverim, ob has rationes. 1. Ipse propheta c. X: 20. declarat, se intellexisse, fuisse *Cherubinos*; quo nomine *Angelos* venire

re constat. De quo postea suo loco. 2. quia Jes. VI. ubi simile aliquod visum occurrit, *seraphini* adpellantur, per quos etiam Angelos indigitari notum est. 3. Comparatio cum manifestatione Dei in nube et igne in deserto, monte Sinai, et supra arcam, quo hic respici modo demonstravi, de *Angelis* esse cogitandum confirmat, cum exercitus Angelorum ibi adfuerint, et per Cherubinos super arca depicti sint. Vid. Deut. XXXIII: 2. Ps. LXVIII: 18. Quo etiam facit *angelorum* mentio, tanquam Deo regi et judici adstantium Dan. VII: 10. quemadmodum et hic fit. 4. Processus animatorum *ex medio ignis* vers. 5. et forma seu species *carbonum ignis*, ac *facium ardentium*, quae ipsis aptatur vers. 13., ad Angelos, coelestes creaturas, Deo proxime similes, et cum igne comparari solitos, nos manifeste ducit. Conf. Ps. CIII: 19, 20. CIV: 4. Denique 5. sistuntur hic tanquam in *coelo*, et a *rotis* in *terra* subsistentibus vers. 15. distinguuntur. 6. Postremo quod *alae* ipsis adtribuantur, et *pedes* scintillantes, instar aeris fulgentis, non nisi in *Angelos*, quibus illud tribui solet, convenit. Opponitur quidem, in quo unice fere sese fundant dissentientes. Ap. IV. per *animalia* non intelligi *Angelos*; quin ab ipsis distinguuntur cap. V. et canticum ipsis in os datur, quod non nisi in homines quadrat. Sed 1. Angelorum mentio distincta non magis probat animata illa non esse angelos, quam *angelum Domini* Luc. II: 10. non esse, quia mox vers. 13. *exercitus angelorum*, ipsi adstantes, memorantur. Sunt utique et principes angelorum Dan. X: 13. et cum *exercitus* facere dicantur, oportet et sint eorum duces; quemadmodum *ordo* est inter Angelos; Col. I. et alibi. 2. Cantici, quod Ap. V: 9, 10 occurrit, et animatis ac presbyteris in ore datur, duae sunt partes; quarum *prior* vers. 9. presbyteris, *posterior* vers. 10. *animatis* danda, adeo ut per *choros* accinuerint; *presbyteri* priorem partem et *animata* posteriorem; quae ipsis rectius competit secundum veram lectionem, in MSS. exstantem, quae habet: *et fecisti ipsos*, non

 nos,

nos, ut legitur, *Deo nostro reges et sacerdotes*, et, non *regnabimus*, ut habetur, sed *regnabunt in terra*. Succinuerunt itaque presbyteris, uti mox *angelis* et *omni* creaturae fecisse leguntur vers. 14. dicentes, *amen*.

§. XXXVII. *Angeli* autem hic in scenam introducuntur 1. tanquam supremam et sanctissimam regis et judicis coelestis majestatem augentes et repraesentantes; quemadmodum in monte Sinai; et Ps. LXVIII. ac Dan. VII. quare Deus *exercituum* adpellatur, ad majestatem ejus depingendam, et hic occurrunt *igniti* ex igne orti, et eum in medio sui habentes tanquam satellites et custodes; vers. 13. sicut alias throno Dei adstare, et eum cingere dicuntur, Dan. VII. 2. qua *nuncii* et *interpretes* judiciorum Divinorum, per quos *Deus* voluntatem suam passim *revelasse* legitur, ut et Danieli, ac Johanni contigit, et unus Seraphinorum *labra* Jesaiae purificavit ac aptavit ad loquendum cap. VI. Quo respectu ipsis quoque judiciorum executio tribuitur, sicut prophetae dicuntur *destruere* et *plantare*, quatenus illud faciendum esse declarant nomine Dei Jer. I: 10. Denique 3. instar ministrorum, qui ipsa judicia exequuntur, et homines, tanquam instrumenta, agunt et dirigunt, sive vere, sive scenenice tantum. Sicut enim *angeli* subinde leguntur missi ad ea facinora, uti notum, ita ipsis aliquando ἐνεχύρως in visis propheticis talia tribuuntur, quae Deus ipse agit. De quo vid Cl. Vitringa ad Ap. XV: 6. et Jes. VI: 6, 7.

§. XXXVIII. Angelis, qua talibus, si aptetur emblematica descriptio, quae hic occurrit, difficiles non habebit explicatus, si res in genere consideretur, nec nimium indulgeatur imaginationi. Dabimus generalem *partium* conspectum. *a. Quaternarius* numerus animatorum totidem angelos principes denotat, relate ad totidem regna, quibus censentur praeesse ad judicia Dei exsequenda, et motus in mundo dirigendos, in primis respectu Israelitarum et Judaeorum. Quatuor facies desumtae sunt a quatuor animatorum in terra principibus, *homine*, *leone* inter feras, *bove* inter jumenta,

et

et *aquila* inter aves; adeoque *Angeli* principes designantur, alias Archangeli dicti, *principum* titulo jam insigniti Dan. X: 13. non, quod *quatuor* tantum sint Archangeli, sed quod *quatuor* tantum hic in censum veniant, et missi repraesententur tanquam ministri ad molimina Dei exsequenda, relate ad quatuor non tantum terrae angulos, sed et *regna* totidem per terra dominantia, quorum hic ratio habetur in judiciis Dei exequendis, praecipue in Judaeos. Antiqua traditio Judaeorum de quatuor archangelis, Michaele, Gabriele, Raphaele et Uriele, quam exhibet praeter alios Cl. Vitr. ad Ap. IV. p. 189. videtur partim hinc, partim ex Dan. IX et X. exsculpta. Memorantur apud Dan. Michael, Gabriel, et duo principes, alter Persarum, alter Graecorum: hic autem *quatuor* animata cum quatuor faciebus occurrunt, quibus nomina illa aliqua ratione adcommodari possunt, *Gabriel* enim ex גבר *viro*, אריאל ex ארי *leone*, רפאל per litterarum transpositionem ex פרה *vitulo*, מיכאל ad *aquilam* translatus est, quod coelum versus altissime omnium volet, et Deo sese aequiparare videatur: quo etiam facit, esse *aquilam soli* dicatam apud veteres. Vid. Cuper. ad Harpocr. p. 70. dicit enim vel, *quis sicut Deus*, vel *invalescentiam* Dei, ut מיכל ex יכל. Sed *quatuor* principes angelorum in scenam tantum introducuntur, in *genere* quod ad quatuor terrae angulos in munere hoc suo respectum habeant, in quibus hi motus existerent, in *specie quatuor* regnorum, per quae Deus judicia exsequeretur, fata dirigerent, sicut eam ob rationem *tres* equites cum supremo eorum duce *equite* quoque occurrunt Zach I: 8. et *quatuor* currus, totidem *spiritus*, seu venti, *coelorum* c. VI: 5. Quae *quatuor* regna hoc loco sunt Babylonicum, Medicum, Persicum et Syro-Macedonicum; eadem, quae Danielis in libro, duplice viso, exhibentur, c. II, VII., de quo fuse disputavi in Diss. ad ea visa; quorum et haec ratio est, quod regna intelligenda sint, quorum expeditiones militares respectum peculiarem habuerunt ad populum

 Judaeum,

Judaeum, et praecesserunt regni Dei inter Judaeos erectionem, quae tempore Maccabaico incepit; cujus imaginem gerit *ultima* pars hujus visi, ut suo loco videbimus. Potest quoque ipsum nomen חיות *animata*, aeque ac numerus *quaternarius*, ad regna ea adcommodari, quatenus societatem *coagmentatam* denotat, et unitam. De quo dixi ad Ps. LXVIII: 11. et alibi: ut *quatuor animata* adpellentur Angeli, non tantum quod ipsi sint *viva* quaedam animata, sed etiam, quod respectum habeant ad totidem regna, societates compactas in unum; quibus a Deo destinati sunt, ad judicia ejus adnuncianda et exequenda, et quorum emblemata sunt, ac personam praeferunt.

§. XXXIX. *b. Facies* quatuor, *hominis*, *leonis*, *bovis* et *aquilae*, quae singulis eorum dantur, referri possunt *partim* ad angelos ipsos, et officium eorum in genere, *partim* relate ad regna, quibus hic destinati erant, et judicia Dei executioni danda, quibus hic inserviunt. *Priore* respectu *facies* expingunt facultates et qualitates eorum ipsis proprias, quas ostentant, et a quibus innotescunt; quae ad quatuor cardinales et praecipuas referri possunt, *prudentiae* et *sapientiae*, *homini* propriae, intrepiditatis et fortitudinis, quae *Leonem* characterizat, constantiae et laboriositatis, quae *bovem* distinguit aratorem, denique coelestium et arcanorum Dei cognitionis, ac velocitatis, quae *aquilis* competit. Quae latius deduci, et ex emblematico horum animatorum usu illustrari, facile possent, si exspatiari liceret. *Posteriore* respectu, relate ad personas, quas hic in specie gerunt, tanquam judiciorum Dei praecones et executores, motuumque per quatuor regna, modo monstrata, directores, *quatuor* hae facies, cum totidem capitibus, supra divisis, infra connexis, ut suo loco vidimus, 1. in genere qualitates et actiones, cum earum effectis, pingunt, alias *terribiles* et *destructorias*, alias *jucundiores* et *utiliores*, respectu populorum aliorum, et praesertim Judaeorum, ad quos hoc visum maxime spectat, plane ut *colores* equorum in visis Zachariae I

et

et VI. ac Ap. VI. et alibi. *Prioris* generis conſpicuae ſunt in *leonis* et *aquilae* faciebus, cum ſint animalia terribilia, ferocia, et voracia: unde eſt, quod *aquila* apud Orientales depingat ferociam cum indole ſanguinaria conjunctam, vid. Schult. ad Prov. XXX. p. 469. et avibus ac cadaveribus inhiet, *leo* rugiens et raptans ſit notiſſimum emblema terribilitatis, et vaſtationis. *Poſterioris* generis ſe offerunt in faciebus *bovis* et praecipue *hominis*; mitium, utilium et bonorum animatorum. Utriuſque generis effecta experti ſunt populi, in ſpecie Judaei, a quatuor illis regnis; majore minoreve gradu, per judicia Dei partim ſevera, partim benigna. Chaldaei Judaeos, ut eorum rationem hic tantum habeam, deſtruxerunt, et diſſiparunt, *Medi* eos in exſilio retinuerunt, ſed mitiore, *Perſae* partim benigne partim dure eos tractarunt, Syro-Macedones itidem, ſed ſub finem crudeliſſime ſub Antiocho Epiphane. 2. In ſpecie cenſeri poteſt ad totidem reges, regnorum *capita*, illuſtriores in ſingulis illis regnis ab his actionibus et qualitatibus famoſos, digitus intendi. Utique animadverſionem meretur, ſingula illa regna habuiſſe *quatuor* reges maxime notabiles, *Babylonicum* Nabopolaſſarum, Nebucadnezarem, Evilmerodachum et Laboroſoarchodum cum tutore Nerigliſſore, ſeu Beltzazarem, *priores* duos *leonem et aquilam*, *poſteriores* duos *hominem* et *bovem*, hunc etiam mactatum, quod *bovi* proprium eſt. *Medicum*, Dejocem, Phraortem, Cyaxarem I*mum* et II*dum*, ſeu Darium Medum, primum *humanum*, ſecundum et tertium *debellatores* populorum *aquilae* et *leonis* inſtar, *quartum* pacificum, et ſubactum, inſtar *bovis*, *Perſicum* Cyrum, Cambyſen, Darium Hyſt., et Xerxen, qui *quatuor* Dan. XI. tantum memorantur, ut ibi vidimus, et per *quatuor* capita tertiae beſtiae figurantur Dan. VII: 6. primum *hominem*, prudentem, ſtrenuum, juſtum, et aequum, Judaeis benevolum, ſecundum *aquilam* ſe efferentem, et ſaevientem in AEgyptios, et eorum Deos, Judaeis iniquum, tertium *leonem*, generoſum, magnanimum, Judaeorum patronum, quar-

tum *bovem* ſtupidum, varium, qui fundamenta jecit ruinae regni, quia contra Graecos moverat; ut ad Dan. expoſui. *Syro-Macedonicum* denique Seleucum Nicatora, Antiochum M., Epiphanem et Eupatora, ejus filium; primum *hominem*, ſecundum *leonem*, tertium *aquilam*, quartum *bovem*: quod ex modo dictis facile intelligitur. Denique, ut illud verbo addam, *diſpoſitio* capitum et facierum, quae talis erat, ut neceſſe non habuerint ſeſe vertere, ſed quatuor verſus angulos recta ire potuerint, referri poteſt *cum* ad munus eorum, quod quaquaverſum ſpectabat, ſive *bona* ſive *mala*, ſecundum ſupremae majeſtatis voluntatem, exſequerentur, ſive humanam, ſive bovinam, ſive leoninam ſive aquilinam faciem praeferrent, *tum* ad promtitudinem et facilitatem in officio praeſtando; qua ſemper parati erant, nec moram nectebant, ut qui ſe *vertere* neceſſe habent. Quo etiam facit, quod ſemel notaſſe ſuffecerit, quod totidem *alas et manus* habuerint, et *plantas pedum rotundas*. Ea enim erat *alarum* poſitura, ut ſemper *duas* haberent paratas, una cum *manu*: quare *duae* alae dicuntur *conſtrinxiſſe* animata in eundo, reliquis duabus *ceſſantibus*, et corpori adnexis, verſ. 11. in quo aliud non eſt ibi quaerendum myſterium.

§ XL. *c. Manus* et *pedes*, quorum hi a lumbis uſque ad plantas erant *ſcintillantes*, inſtar aeris candentis et politi, expingere poſſunt in genere *aptitudinem* eorum ad fortiter et perite, adeoque cum felici ſemper et *glorioſo* ſucceſſu, agendum, exequendum, quod ipſis erat demandatum; adeo ut ubique et quaquaverſum promte ire potuerint, plantis quippe pedum rotundis inſtructi, ut modo vidimus, et firmos ubique facere greſſus ac perite agere; quo *pedes et manus* tendunt in homine; uti notum eſt. Quales ſunt Angeli, per ſe quippe *validi viribus*, *facientes verbum* ſeu *juſſum Dei* Pſ. CIII: 20., et relate ad regna memorata, quibus inſerviebant in judiciis Dei implendis, quae ad haec effecta praeſtanda apta forent, viribus et peritia inſtructa, et etiam glorioſe efficerent. *d.* Quo itidem collineat, quod *alae* ipſis dentur,

dentur, praeterquam quod in ſpecie *celeritatem* in agendo expingant. Quod hic in primis intenditur; eſt enim *ala* notum *celeritatis* emblema, quare *alae venti* memorantur Pſ. XVIII: 11. et CIV: 3. Orientalibus, ut et Gr. et Rom., alae ſunt ſymbola ventorum. Vid. Jablonski in Pantheo Aeg. l. V. p. 128. et diſſ. noſtrae ad Dan. l. c. p. 52. Sunt praeterea emblemata *exercituum* et copiarum militarium; uti Ez. XII: 14, 17. et alibi. Vid. Diſſ. ad viſa Dan. emblematica p. 60, 223. quo digitus etiam videtur intendi infra verſ. 24. Nec illud hic alienum eſt; cum *exercitus* angelorum ſint ducibus, ſeu archangelis, ſubjecti, et judicia Dei quoque, quae hic in cenſum veniunt, per expeditiones militares, ut mox videbimus, executioni mandentur. Sed illud non erat omittendum, *alas* ipſis non datas legi ad *volandum*, ſed celeriter tantum *currendum*, plane uti primae beſtiae Dan. VII. *alae aquilinae* eum in finem aptantur; de quo dixi, l. c. Nihil enim hic de *volatu* animatorum occurrit, tantum *inceſſus* memoratur, qui emblemati hominum, quo animata veniunt, et modo, quo per expeditiones militares judicia Dei exequerentur, quoque eſt convenientior.: ſignificatur praeterea ſumma celeritas expeditionum illorum regnorum, quibus praeerant angeli, de qua reſpectu Nebucadnezaris dixi ad Dan. l. c. et de Cyro vid. Jeſ. XLI: 2. Ceterum not. eſt, alium *alarum* uſum, ac quem dixi, hic non memorari, ſecus ac Jeſ. VI., ubi *ſex* alae occurrunt, quarum quatuor capiti et pedibus tegendis inſerviebant, quod hic locum non habet, quia non ſub *throno* Dei hic ſiſtuntur, ut mox, ſed a Divina majeſtate, quae hic ſymbolo *nubis et ignis* venit, *emiſſi* ad judicia ejus exercenda. Quod vero verſ. 11. habetur, *duas alas* conſtrinxiſſe animatum, et *duas* texiſſe *corpus*, illud nihil aliud expingit, quam *duabus* tantum alis opus fuiſſe ad celerrimum inceſſum, duabus tunc quieſcentibus; erant enim *quatuor* alae ita diſpoſitae, ut quacunque irent *duas* ſemper alas, abſque ut ſe *vertere* neceſſe haberent, invenirent paratas.

§. XLI. *e.* Denique animadverſionem meretur, adſpectum animatorum fuiſſe *igneum*, et ea in medio ſui habuiſſe ignem ſplendentem ac fulminantem, quo etiam incitata itarunt celerrime et redierunt inſtar ſcintillationis, quo ſpiritus erat eundi. Quibus ſignificari exiſtimo 1. eos fuiſſe in continuo motu, nunc huc nunc illuc, adeoque perpetuas et connexas fore in regnis, quibus praeerant, tanquam miniſtri Dei, concuſſiones et mutationes, eaſque celerrime factas. 2. Supremam cauſam eorum motuum eſſe Deum Iſraelis, qua juſtum et ſanctum judicem, adeoque ortum habere ex *juſtitia* Dei, ſcelerum vindice, cui inſervierunt. Quo *cum* ignis ardens in medio eorum, *tum* flammans eorum adſpectus, *tum* denique *ſpiritus* quo concitabantur, nos clare ducit. 3. Eo ſpectaſſe eorum motus, ut judicia Dei exſequerentur, et ſingulares ac ſtupendas in orbe producerent mutationes; aliis pernicioſas, aliis utiles. 4. Denique ea efficerentur cum clara demonſtratione juſtae et ſapientis gubernationis Dei, in illis motibus conſpicuae: ut ex igne *ſplendente* et *fulminante* facile patet. Conf., quoad rem ipſam, viſum Zachar. VI. et Hag. II: 6, 21.— nec non Dan. VII.

§. XLII. *Secunda* pars viſi repraeſentat, ex mea opinione, ſtupenda effecta judiciorum Dei per angelos, et regna illa, oritura in terra, una cum modo et inſtrumentis, quibus ea fierent, ſub emblemate *quatuor rotarum* duplicium, ſeu ἐναλληλῶν, in terra conſiſtentium juxta animata, coloris aurei, et ſtupendae ac terribilis altitudinis et contemplationis, eodem ſpiritu, quo animata, agitatarum, et cum iis nunc euntium, nunc ſtantium, nunc e terra elevatarum: uti ſupra, ubi de *littera* viſi, expoſui; verſ. 15—21. Singularis eſt haec viſi pars, et plane nova, ad nullam formam notam expreſſa, licet Cl. Vitringa ad labra aenea minora decem, *quatuor rotis* innixa, in Templo Salomonis, adluſum exiſtimet, ingenioſius, quam verius; cum *rotae* hic ſint ſingulares, et ſeparatae, nihil ferentes, et longe alium conſpectum

spectum habeant, quippe per terram agitatae, et judiciorum ac mutationum in terra emblemata; ut ex hac et praecedente parte visi manifestum est. Sunt autem *rotae* difficilis explicatus, et varias pepererunt Interpretum ac Doctorum hypotheses; quibus meam addam. *Triplicem* potissimum sensum emblematicum habet *rota* per se considerata, cujus hic ratio habenda est. 1. *Primus* est, quo subitam dicit et mirabilem rerum catastrophen, passim exitialem, qua, instar *rotae* volvuntur, et susque deque vertuntur, magnumque strepitum edunt per orbem. Ad citum et streperum cursum respicitur Ps. LXXVII: 19. ut ibi exposui. Rerum stupendam et subitam eversionem expingit Ps. LXXXIII: 14. nec non ubi pro *turbine rotata* sumitur vox גלגל, quae hisce rotis expresse datur c. X., uti eodem Ps., et Jes. V: 28. ubi *rotae* bellicae dicuntur esse instar *procellae*, vel venti rasoris. Accedit, fatorum vicissitudinem, et rapidum cursum, eodem *rotae* nomine insigniri apud autores. Vid. Nepos meus Verschuir in Diss. Acad. sub Cl. Schroedero, et quos ibi citat, p. 24. etc. In specie ejusmodi vicissitudo per *rotam*, et circumvolutionum, significatur, qua idem oritur, floret, et interit. Quod in haec regna apte quadrat. 2. *Secundus* est, quo *rota* denotat judicium destructorium, et poenale, simili ducto a *rota plaustri* triturante, uti Jes. XXVII: 27. ubi vid. Vitr., cujus et hic eo majore jure ratio habetur, quod inter facies animatorum sit *bovina*, et pedes eorum sint *vitulini*. Huc respicitur, et pro gravissimo judicio sumitur Prov. XX: 2. *Ventilat improbos rex sapiens, et super eos reducit identidem rotam*: ubi vid. Schult. Conf. Jes. XLI: 14. Quem conspectum scopus visi nostri omnino exhibet, ut ex dictis liquet, agitur enim hic de judiciorum Dei rotatione per terram: adeo ut *rota* recte habeatur *judicialis* ac poenalis; qua homines conteruntur, et grana separantur a paleis. 3. *Tertius* est, quo *rotae* intelliguntur curruum bellicorum, et expeditionum bellicarum emblemata sunt. Etsi enim nulla *curruum* fiat men-

 tio,

tio, ad eos tamen respici potuit, et *rotae* accipi pro ejusmodi curruum rotis: quemadmodum *rotae* quoque occurrunt Jes. V: 28. et Jer. XLVII: 3.

§. XLIII. Expingant itaque *rotae* magnas mutationes, in specie destructiones, ex judicio Dei ortas, et per expeditiones militares regnorum, quibus angeli praesident, a regibus ac imperatoribus productas, quae hic unice in censum veniunt, et secundum eam hypothesin explicemus, sed brevibus, hanc visi partem. 1. Rotae fuerunt visae *in terra*, ad indicandum, ea, quae dixi, *in terra* locum habitura, et per angelos ibi *esse* executioni mandanda; adeoque praecedentem visi partem ad hasce catastrophas in terra respicere. 2. *Quatuor* erant *rotae*, secundum *quatuor* angelorum numerum, quia totidem forent in terra regna, quae has mutationes in ea judiciales ac bellicas efficerent. *Rotae* non sunt ipsa ea regna, sed eorum expeditiones militares, quae judicia Dei exsequerentur, Babyloniorum, Medorum, Persarum et Syro-Macedonum; plane quemadmodum *currus* bellici Zach. VI. sumuntur. Ubi vid. dicta; et supra, ubi de animatis, demonstravimus ea regna hic innui. 3. singulae rotae erant *duplices*, quae itaque ad *quatuor* angulos terrae spectabant; ut doceretur, expeditiones et mutationes, inde ortas, fore *universales* quaquaversum. Licet enim Propheta viderit animata et rotas tendere Hierosolymam versus, ut supra vidimus, eo tamen solum non spectabant, sed ad vicinos simul populos quaquaversum; cum regna, ex illis mutationibus oriunda, forent aliquatenus *universalia*. 4. Rotae erant magnae, excelsae et terribiles adspectu, coloris aurei; ad indicandum, magnas et terribiles mutationes in terra esse producendas per horrendas expeditiones bellicas, quae judicia Dei exsequerentur, et justitiam Dei, per colorem *aureum* splendentem depictam, manifestarent.

§. XLIV. 5. Arcte connexae erant cum *animatis*, juxta quae stabant, et movebantur, eundem *spiritum*, quem animata, participantes; indicio, mutationes eas ab eodem Spiritu

ritu divino oriri et dirigi, justitiae divinae et potentiae esse acceptas ferendas, ac utriusque indicia praeferre, simul per angelos, et supremos imperatores administrari. Ipsae itaque *rotae* non habebant *spiritum* insitum, ut animata, sed horum *spiritu* tantum agebantur, non ergo suo proprio, sed alieno; adeo ut *rotae* non pingant personas ratione praeditas, quod nonnulli hinc male colligunt, sed catastrophas judiciales a spiritu divino, qui in animatis erat, productas et administratas; licet expeditiones militares per homines, ratione praeditos, fiant, et hoc respectu *spiritus* iis quoque tribui possit. 6. Quo eodem sensu *rotis oculi* dantur, ad indicandum *cum* sapientiam et prudentiam, qua mutationes illae fiunt ad certos fines, *tum* peritiam militarem in expeditionibus conspicuam; quod a multis recte quoque observatum est; opposite itaque ad rotam *fortunae coecae*; cum haec oculata sit; quatenus sapienter et ad certos fines directa est. In quo nihil est difficilis, nec aliud mysterium quaerendum aut colligendum, quod nonnulli faciunt, *rotas* fuisse ratione praeditos homines.

§. XLV. 7. Denique *triplex* status rotis tribuitur successivus, quo primum *ibant*, dein *stabant*, et denique *elevabantur* de terra, vers 21. quo indicari videtur ipsa mutatio, ejus effectus, et finis. *Ibant* rotae cum animatis ad mutationes eas judiciales, et expeditiones faciendas, *stabant*, iis peractis, in signum eas aliquandiu durasse catastrophas in statu eodem, et effectum fuisse durabile; denique *de terra tollebantur*, quando e medio sublatus est status ille rerum, qui per eas mutationes erat effectus, et aliquandiu constitisset, aut alio translatus. Hunc enim sensum putem habere *rotarum elevationem*, uti res ipsa et phrasis indicat. Verbum נשׂא *tollere* etiam *e medio auferre*, inde *vastare* denotat, et diserte habetur, rotas de *terra* fuisse sublatas, cum in *terra* primum visae fuerint *stare*, argumento, eas locum amplius non habuisse, utique non in eo loco. Indicatur itaque, rerum illarum catastrophen, per rotam expic-

tam, evanuisse, nec amplius locum in terra habuisse. Sed quaeritur, num *quatuor* illae rotae simul, an successive iverint, steterint, ac sublatae sint? quod ex ipsa descriptione vix definiri potest, cum successivus rotarum incessus aeque admitti possit ac simultaneus: licet enim a propheta fuerint simul visae; fieri tamen potuit, ut, quod ipse non adnotavit, una post aliam successive fuerint motae; quemadmodum in visis Dan. VII. et Zach. VI. quoque obtinuit: non enim quatuor rotae fuerunt junctae, ut *currum* fecerint, quod probe notandum, sed singulae rotae seorsim sunt conspectae, singulis animatis adnexae; ut vers. 19. innuitur; et supra observavi. Quod ipsum ansam praebet cogitandi, rotas non una, sed aliam post aliam, ivisse, stetisse, et sublatam fuisse: *successionem* autem requirit collatio visorum, modo citatorum, et res ipsa; cum quatuor regnorum mutationes et expeditiones magnae hic sint depictae: quod non simul, sed successive factum est.

§. XLVI. *Tertia* visi pars exhibet regni Messiae imaginem secundum duplicem ejus *periodum*, *alteram*, et priorem, bellicam et praeparatoriam, seu praelusoriam, *alteram*, et posteriorem, veram et pacificam, *illam* sub emblemate *expansi* super capitibus animatorum, quorum alae horrendum sonum primo ediderunt, cum irent, dein complanatae quieverunt, ad vocem de super expanso emissam, vers. 22—25. *hanc* sub emblemate hominis in throno super firmamento sedentis, ignita veste amicti, quae supra ignem habebat inclusum, sed infra splendentem instar iridis. vers. 26—28. Quae scena consideranda est, tanquam nova, et superioribus partibus posterior, ac ex iis quasi nata. Cujus indicium est 1. in serie narrationis; in qua postremum locum obtinet, argumento, eam postea, animatorum et rotarum opere absoluto, locum demum habituram, posteaquam *quatuor* illae superiores mutationes judiciales et expeditiones essent peractae. Quod si enim contigissent, cum thronus jam esset super capitibus animatorum; ejus mox in principio visi meminisset

minisset propheta, et inde incepisset visum enarrare; sicut alias fit, ut Jes. VI. et Ap. IV. s. in longe diverso animatorum habitu, et statu. Antea enim visa sunt ex ignea nube emissa, et ei in judiciis exequendis inservire, hic sistuntur sub expanso et throno, cui hominis persona insidet: antea fuerunt repraesentata instar scintillarum huc illuc citissime currere, nunc vero sub firmamento stantia: antea alas habuerunt, alias cursum promoventes, alias corpus tegentes, nunc alae ipsorum simpliciter *sonum* edunt, et eo facto quiescunt, et corpori adplicitae sunt ab omni parte omnes. Denique antea sejuncta fuerunt, et seorsim iverunt, singula rotis adfixa; nunc unita sub uno et eodem firmamento, et throno.

§. XLVII. Ex quibus, ni fallor, elucescit, longe aliam scenam hic aperiri, quae locum haberet in medio populi Dei post superiores catastrophas judiciales et bellicas *quatuor* absolutas, vel ad finem vergentes; qua *regnum Dei* manifestaretur in terra, cui ministrarent animata, aliam nunc gerentia personam, quam antea, cum judicia Dei per orbem, etiam in Judaeos, exercuerunt. Cujus *duae* distinctae occurrunt periodi, *altera*, qua sub firmamento iverunt, alis sonum terribilem edentia, et mox steterunt, alis compositis, et corpori adfixis, *altera*, qua thronus super firmamento fuit, et in eo persona hominis, instar regis, se conspiciendam praebuit. Cum autem *firmamentum* fuerit expansum super animatorum capitibus eo scopo, ut *thronum* regium sustineret; adeoque eo spectaverit, ut regnum illud Dei, qua hominis erigeretur, eaque ratione cum eo fuerit connexum; *duae* istius regni periodi sese sponte sua offerunt, *altera* praelusoria et praeparatoria, *altera* vera et propria, quarum *prior*, quae bellicum praetulit conspectum, ut ex animatorum processu cum alarum sonitu liquet, alio ac ad Ecclesiam Maccabaicam commodius referri nequit; *posterior* directe spectat ad regnum Messiae, inde ortum. Cui hypothesi ingens momentum addit duplex visum Dan. II et VII., quo

quo utroque regnum Dei repraesentatur, *primo* bellicum et judiciale tempore Maccabaico, sub emblemate *lapidis* de monte excisi, et statuam confringentis, ac *throni* judicialis, quo bestiae sunt condemnatae, *dein* spirituale et pacificum, ac coeleste, sub emblemate *montis* ex lapide orti, et filii hominis regnum a Judice supremo accipientis. Quae latius sunt a nobis in Diss. ad Dan. visa emblematica exposita, et confirmata.

§. XLVIII. Hac jacta hypothesi, *duplicem* hanc visi partem, secundum eam, exponam, et inde ipsam hypothesin confirmabo. In *priore* α. sese offert *expansum crystallinum verendum* vers. 22. seu nubes caerulea, late expansa, quae summe erat majestuosa, plane quemadmodum Deus senioribus Israelis adparuit in monte Sinai, cum foedus solenniter pactum est inter Deum et populum Ex. XXIV: 10. super quo Deus erat sine imagine aut figura, forte in *igne*, alias *nubi* incluso. Quo hic omnino respicitur, adeoque indicatur praesentia Dei *foederati*; qui sese hoc symbolo manifestavit populo praesentem, tanquam *foederis*, ad montem Sinai icti, patronum et defensorem: qualem sese omnino praestitit tempore Maccabaico: uti constat, *cum* respectu hostium et foedifragorum ex Israele, *tum* Chasidaeorum, legis studiosorum, quorum *illos* punivit, *hos* liberavit et vindicavit, super quibus itaque Chasidaeis sese *conspiciendum* praebuit, ut est Zach. IX: 14— ubi vid dicta. Quod ipsum *expansum*, seu Dei foederati praesentis symbolum, mox in suppedaneum throni Messiae versum est; regno Messiae quippe in illo foedere fundato, sed sub pedes misso, de quo mox. *Verendum* autem erat hoc expansum, quod majestatem Dei terribilem hostibus, et piis adorandam, referebat. β. Expansum hoc *aëreum* dicitur fuisse *super capitibus animatorum*, seu angelorum, majestati Dei et ejus foederi Sinaitico inservientium, simul nunc illud sustinentium, et vindicantium, tanquam ministrorum, per *Maccabaeos* fratres; quorum emblemata quasi gesserunt, tanquam a Deo electorum ad foedus

dus Dei tutandum et vindicandum. Conf. Zach. IX: 14, 15. et ibi dicta. *Animata* itaque *angeli* sunt, proprie sic dicti, simul Maccabaei fratres, quos expinxerunt, etc. Animadversionem meretur, *quatuor* quoque fuisse praecipuos Maccabaeos, per quos Deus sua judicia executus est, et populum vindicavit, ac foedus, Judam, Jonathanem, Simeonem et Joh. Hyrcanum, quorum emblemata recte censentur *quatuor* animata sub *firmamento* majestatis Dei; quibus *quatuor* istae facies, humana, leonina, aquilina, et bovina, cum reliquis partibus animatorum, supra descriptis, recte applicari possunt: ut cuique, huc animum adplicanti, sponte sua adparebit. Nobis hic prolixioribus esse non licet. Not., in *Juda* eminuisse *fortitudinem leoninam*, in *Simeone* sapientiam prudentiamque *humanam*, ac *pacem* sub ipso, de Juda et Simeone vid. 1 Maccab. II: 65, 66. in *Jonathane* constantiam et patientiam *bovinam*, rebus, Juda mortuo, fere desperatis, in *Hyrcano* coelestium cognitionem per revelationes divinas, et summam populi gratiam et elevationem.

§. XLIX. γ Singulare plane est, cujus propheta mentionem expresse facit, quod *alis*, cum *irent*, horrendum ediderint sonum, et dein eas remiserint cum steterint, voce de super firmamento audita. Propheta *primum* dicit, animata habuisse *alas* compositas, et corpori quaquaversum adpactas, sed mox, se quasi corrigens, accuratius tradit, quando *alas* habuerint tranquillas, nimirum postquam magno cum alarum strepitu ivissent, et vox desuper esset audita. Quod meretur verbo exponi; cum multa singularia et praeclara hic doceantur. *a. Ivisse* dicuntur animata *cum rotis sub firmamento.* Rotarum licet expressa non fiat mentio, eas tamen adfuisse sub ipso firmamento ex c. X. patet, nec hic expresse negatur; uti factum fuisset, si sine *rotis* fuissent. Emblema est expeditionum judicialium et bellicarum Maccabaeorum in Syros, et populos vicinos, ad judicia Dei in eos exequenda, et legem ac populum Dei vindicandum et liberandum, cum manifestis praesentiae Dei signis. *Ire* cum *rotis* ante expositum est; quare illud notum praesuppono. Hic singu-

lare est, quod *iverint sub firmamento*, seu divinae majestatis, quae Israeli legem dedit, et eum adoptavit populum suum, ut modo explicui, symbolo *iverint*, adeoque tanquam judiciorum Dei Israelis in hostes legis et populi executores, et cum claris praesentiae Dei signis; quo pertinet, quod Deus sese *super ipsis conspiciendum* dicatur praebuisse Zach. IX: 14. et *eos protexisse* vers. 15 ubi vid. dicta. Non quidem, quo *iverint*, additur; sed *quaternarius* numerus, ut supra explicui, etiam indicat, eos *quaquaversum* ad *quatuor* angulos Terrae Cananaeae ivisse, uti fecerunt Maccabaei, populos ab omni latere domantes.

§. L. *b*. In specie notetur, *animata* cum ingente *alarum* sonitu ivisse h. e. cum clamoribus magnis, partim *incentivis* ad bellum, partim *jubilis* super victoria reportata, partim cum fama sonora per orbem sparsa. Quae nihil habent difficilis. *c*. Datur *soni* alarum accuratior descriptio per comparationes cum sono aquarum multarum, voce omnipotentis, et exercitus streperi. Quae, ex mea opinione, nonnulla expeditionum illarum adtributa et effecta repraesentant, non enim *gravitas soni* simpliciter indicatur, sed tale quid cum expeditionibus conjunctum, quod aquarum strepitus, et vox omnipotentis, et exercitus motus, stylo emblematico exhibere solet; non enim frustra adcumulatae censeri possunt comparationes; aptae etiam sunt in hanc rem, et eventui recte respondent. Dicamus de singulis. 1. Prima comparatio est *cum voce aquarum multarum*, et magnarum, seu marium et fluviorum vehementer commotorum; quo manu quasi ducimur ad populorum, et regnorum graves commotiones, quae expeditiones Maccabaicas comitarentur, etiam Ecclesiae Dei causa vel respectu excitarentur, ita ut harum alarum motu censeri possent factae. Respicitur inprimis ad motus bellicos Romanorum, quibus regna Orientis fere absorpta sunt. De quo, et qua ratione cum Ecclesia Maccabaica cohaereant, pluribus disserui ad Dan. visa emblematica diss. VII*ma*, quare hic plura non addo. *Aquas*

vero

vero commotas, et ſtreperas, eſſe Imperiorum et motuum bellicorum emblemata, notius eſt, quam ut ei hic immoremur.

§. LI. 2. Secunda comparatio cum voce *omnipotentis*; *voce exundantis imbris* (haec enim cohaerent, et vocem omnipotentis indicant ſeſe exſerere inſtar imbris ſtreperi exundantis) ducta a tonitruante et imbrifera procella, divinitus concitata (vox omnipotentis enim vox *tonitruans* eſt, et vox *imbris* eſt ſtreperi et vehementis imbris ſonitus, adeoque recte procellae tonitruantis ac imbriferae eſt deſcriptio) ſignificare videtur, illas expeditiones memoratas fore conjunctas cum terribilibus *potentiae* et *juſtitiae* Dei ſignis, et ad ejus judicia exequenda deſtinatas, ſimul effectus habituras eſſe terribiles, tonitruanti et imbriferae procellae haud abſimiles. Conf. Zach. IX: 14. et ibi dicta. 3. *Tertia* comparatio cum *voce* ſtrepera *exercitus* tendere videtur ad *alarum* ſonitum exponendum, ut cogitatio ſuſcitaretur *exercituum*, ſeu expeditionum militarium, per *aquarum* ſonitum etiam depictarum. In quo nihil eſt, quod moram injicit.

§. LII. *d.* Subjungit dein propheta, *alas* animatorum, cum *ſteterint*, fuiſſe compoſitas, et *remiſſas*, oppoſite ad ſonum ab iis inter eundum editum, adeoque poſt expeditiones factas. Quo ſignificatur, ſtatum pacificum et tranquillum, eumque durabilem, fuiſſe ex illis motibus ortum ſub *firmamento*, ſeu majeſtuoſae Dei praeſentiae ſymbolo. Qui ſtatus Eccleſiae Maccabaicae fuit poſt hoſtes ſuperatos, et populos vicinos ſubactos; *mundi* quoque ſeu orbis poſt regna Orientis Romano imperio ſubjecta, quando Meſſiae regnum eſt erectum: ut mox ſequitur. Quae ex harmonia verbi prophetici, et hiſtoria, quoque conſtant: *ſtatus* autem animatorum tranquillus *ſub firmamento* indicat, populum tunc Dei tutela perrexiſſe gaudere, et legem ac religionem, cujus ſupra in *firmamenti* expoſitione memini, obſervaſſe, et exercuiſſe.

§. LIII. 1. Ultimum singulare, quod a se animadversum dicit, est, *vocem de super firmamento fuisse auditam*, adeoque coelitus a summa majestate Dei Israelis, tanquam legislatoris et judicis, emissam. Quae qualis fuerit, et quo tetenderit, licet sileatur, ex nexu tamen et scopo hujus partis visi haud difficulter eruitur. *Vox* enim de super firmamento orta est, et occasione stationis tranquillae animatorum memoratur; quam mox excipit manifestatio regis coelestis in throno super firmamento. *Vox* itaque est Dei Israelis, qua legislatoris, et legis patroni, *vox* est, quae relationem habet ad quietem animatorum, et cum manifestatione regni Messiae connexa est. Unde, ni fallor, colligere licet, 1. *vocem* esse divinam, qua Deus legem et foedus de novo promulgavit quasi et sanxit; sicut olim de monte Sinai fecerat; quo supra dixi symbolum hoc majestatis Dei respicere. Quemadmodum itaque olim hoc symbolo in monte Sinai se manifestavit, et legem promulgavit, foedusque sanxit; ita nunc rursus faceret tempore Maccabaico, quo lex et foedus erant abolita; et per Maccabaicas expeditiones restituta. Cui ergo recte convenit *vox* Dei de super *firmamento* audita. Addi potest, *oracula* Dei Israelis, quae diu siluerant, rursus incepisse *audiri*, *partim* in verbi prophetici studio, tunc maxime suscitato, ejusque et Psalmorum divinorum adnunciatione et cantatione publica, *partim* in praedictionum implemento, vel facto, vel mox faciendo: *partim* denique in *revelationibus* extraordinariis, etiam per בת קול *filiam vocis* tunc concessis.

§. LIV. 2. *Vox* Dei desuper missa recte habetur pro jussu Divino, quo bella et motus hostilesque invasiones cessare fecit, et populo suo *quietem*, pacem, securitatem et prosperitatem omnigenam, procuravit. Memoratur enim haec vox inter *alarum demissarum* descriptionem, argumento, eo spectasse hanc *vocem*, et providentiam Dei designari, cui hoc effectum erat acceptum ferendum. Denique 3. *Vox* divina, de coelo facta, recte habetur pro publica fori coelestis declaratione,

claratione, et promulgatione *tum* finis Oeconomiae legalis, cujus emblema, ut dixi, erat in praesentiae Divinae majestatis hocce symbolo, et cui animata, seu angeli, in specie inserviebant tanquam tutatores et vindices, quare iis dicitur *subjecta* Oeconomia legalis Heb. II: 5. *tum* erectionis regni gloriosi et pacifici in Messia, mox secuturae. *Prius* utique illud ex effecto *remissionis* alarum animatorum, ejusque repetitione, colligi posse videtur. Prior enim *remissio* recte ad expeditionum bellicarum, causa religionis et reip. ad eam vindicandam aut tutandam, cessationem referri potest, et *posterior* ad muneris angelorum, relate ad Oeconomiam legalem, cujus symbolum est in *firmamento*, abolitionem; quae utraque a *voce* Dei super firmamento recte repetitur, uti constat. Quae satis apta ratio est repetitionis *alarum remissarum*. *Posterius* vero, cujus memini, ex connexione cum regno Messiae, mox memorando, sese facile offert. Audita quoque est ea vox Dei de regno Messiae, eo ipso tempore, de quo agitur, *cum* in rumore per orbem sparso de rege Messia revelando, *tum* in piorum vocibus, qui *consolationem Israëlis exspectabant*, ut est in Euangelio, *tum* in Johannis, *vocis clamantis in deserto* Jes. XL., et angeli *praecursoris* Mal. III. praedicatione, qua *regnum coelorum* adesse promulgavit. *Utriusque*, cujus memini, *vocis* divinae mentio fit Jes. XL: 4—11.

§. LV. In *posteriore* parte visi, quae regni Messiae manifestationem veram et propriam repraesentat, ex *priore* ortam, et eam mox secutam, uti hic exhibetur secundum seriem orationis, ℵ. memoratur *thronus* sapphirinus supra *firmamentum*, capitibus animatorum, nunc cessantium et quiescentium, imminens, vers. 26. Quo manifeste ducimur ad regnum coeleste, in supremo coelo positum, et *firmamento*, seu Oeconomia legali, cujus emblema est *firmamentum*, superius, ac illud subjectum habens, instar suppedanei. Cum *firmamentum* sit *coelum aëreum*, Gen. I, thronus super eo oportet sit in *coelo supremo*; quod est proprium et distingu-

ens criterium regni Messiae, uti notum. Praeterea, cum Deus, tanquam rex Judaeorum, in *firmamento* sistatur praesens, adeoque ejus Oeconomiae sit symbolica repraesentatio, regnum Messiae ei super impositum sistitur, tanquam eo superius, divinius, et illud sub pedibus habens, simul ei quasi innixum, quippe ex promissis, et typis ejus stabilitatem consecutum. Quod discrimen *coeli* et *coeli* coelorum egregie adtenditur Ps. LXVIII: 34. ut ibi exposui. Epitheton *regni coelorum*, Messiae regno proprium, nemini non notum est, nec res ipsa ignota: quare plura non addo. Conf. etiam Jes. VI., ubi *sanctum* sanctorum est emblema *coeli* coelorum, et Ap. IV. ubi in *coelo* visus est *thronus Dei*. Color *sapphirinus* summam et coelestem regni Messiae puritatem, et sanctitatem, qua ab omni parte fulget, depingit, ut facile cernitur, sed est et is regni ejus character distinguens, quo nihil vilis, terrestris, carnalis et sordidi admittit. Angeli vero quiescentes sub hoc throno indicabant, eorum ministerium antiquum sub Oeconomia legali cessasse, et regnum hoc esse simul quietum et pacificum: sicut ubique repraesentatur in verbo prophetico, et angeli cecinerunt tempore nati Messiae Luc. II., ne alia adferam in re nota. Sed aliud adhuc in eo latet mysterium, non negligendum, quod supra *firmamentum* fuerit thronus, quo *cum* natura et qualitas, *tum* stabilitas et immobilitas regni Messiae depingitur. *Firmamentum* est sedes meteororum, tonitru, fulminis, venti etc. praeterea in continua mutatione. Indicatur itaque, regnum Messiae, supra firmamentum, nihil habere terribile, nullum irae Dei signum, nihil non grati, amoeni et placidi; denique esse perenne et immobile. Conf. Heb. XII: 18. etc. et Ap XII: 1. ubi Ecclesia Christi exhibetur, tanquam mulier, *quae lunam sub pedibus habet;* indicio, *rebus mutabilibus in religione abolitis* eam *consecutam esse regnum immobile*; ut Cl. Commentator inquit.

§. LVI. ב. *Humana* forma, quam rex in hoc throno sedens praefert, etsi Deo in genere aptari possit, ut Dan. VII.,

VII., quia sese ad homines adcommodat, et cum iis agit, non tanquam Ens infinitum, sed humanae fragilitati ac imbecillitati, captuique hominis, convenienter, vera sua emphasi respicit ad *magnum* illud *mysterium*, quo *Deus manifestatus est in carne*, et *homo factus* est, adeoque Deum in Christo mediatore et sponsore, seu Christum θεανθρωπον designat; in quo Deus rex est, et ipse cum Deo in throno ejus sedens. Qualis etiam hic occurrit, cum de regno Messiae incarnati et exaltati agatur; ut supra vidimus. Quam ob causam Dan. VII. *filius hominis* adpellatur, qui regnum a Deo Patre ibi fingitur accepisse, ad dextram ejus evectus. Cujus tituli loco hic *homo* simpliciter adpellatur, quia propheta Ezechiel passim *filius hominis* vocatur in hoc libro. Messias itaque hic intelligitur, et repraesentatur, qualis foret, cum secundum hoc visum rex coelestis fieret, non igitur, ut humana ejus natura praefiguraretur, sed quia eam hoc tempore, ad quod visum respicit, jam haberet; sicut Dan. VII. in scenam quoque prodit.

§. LVII. 3. *Species* denique, quam haec forma humana praefert, est in genere *ignea* tota, sed dimidia parte superiore *occulta* et inclusa, altera inferiore *splendens* instar *arcus coelestis*, adeo ut *ignis* in parte superiore fuerit quasi *domo* seu vase occlusus, inferiore parte splendorem, similem arcus, emiserit. Quo non tam expingitur, in Christi superiore parte, seu humana, multam claritatem et perspicuitatem, quam regni ejus administrationem esse a parte superiore et anteriore, et respectu consiliorum divinorum, eorumque causarum, finium et nexus, nobis occultam, sed a parte posteriore et inferiore per opera ipsa manifestam; esse praeterea formam regiminis ejus illustrem per duplicis generis virtutes, *justitiae* et *gratiae*, quae ab omni parte inde elucescunt, et secundum quas regnum administrat, peccatores et impoenitentes puniendo severe, fideles et resipiscentes, leniter et misericorditer tractando, justitiam etiam et sanctitatem temperando longanimitate et bonitate. *Arcus*

eſt emblema regiae adminiſtrationis, et colores ejus dominantes, *igneus*, ſeu ruber, et *viridis*, duarum illarum virtutum. Quae ab aliis abunde illuſtrata, hic tetigiſſe ſuffecerit. Convenit autem haec imago proxime viſo Moſis, quo non *faciem* ſeu anteriora, ſed *tergum* et *poſteriora* Dei vidit Ex. XXXIV. de quo in libris Diſſ. S. fuſius egi, nec non columnae *nubis* et *ignis* etc. cujus conſpectum myſticum dedit Cl. Vitr. Obſ. S., ut et viſo Jeſ. VI., quo vidit Jehovam *ſedentem ſuper throno excelſo* in ſancto ſanctorum et *fimbrias* ejus *replentes Templum*, ſeu *ſanctum*: ubi vid. Cl. Vitringa.

§. LX. Explicatione viſi, et litterali, et emblematica ac myſtica, abſoluta, nihil ſupereſt, quam ut de *ſcopo* ejus aliquid moneam, et ad prophetias Ezechielis adcommodem; unde hypotheſis noſtra haud parum firmabitur. Cum enim conſpectum *inaugurationis* ſymbolicae prophetae in munere ſuo gerat, ut facile patet; prophetiarum ejus argumento reſpondeat, neceſſe eſt. Quod ſecundum noſtram tantum hypotheſin plene et perfecte facit. Repraeſentantur enim *primum* judicia Dei in Judaeos et populos vicinos, per bellicas expeditiones exequenda, variiſque vicibus repetenda, ſecundum quatuor regnorum ſucceſſionem: dein populi Judaei inſtauratio perfecta per Maccabaeos, regno Dei inter Judaeos renovato, denique regni Meſſiae erectio, mox ſecutura. Quae omnia in hoc libro eodem fere ordine pertractantur. Agit enim hic liber de judiciis divinis in Judaeos, et populos vicinos, per omnia fere tempora Oeconomiae V., de judicio etiam in ſpecie in Syro-Maced., ſub nomine Gog et Magog, de inſtauratione populi et inperfecta poſt exilium Babylon., et perfecta ſub Maccabaeis, denique de regno Meſſiae, et Eccleſiae Chriſtianae, etiam ſub emblemate Hieroſolymae et Templi, myſtico ſenſu; etc. Quae omnia in ſeq. ſub manus venient.

CAP.

CAP. II.

§. LIX. *Inauguratio* ipsa, explicite et directe facta, cap. II, III. comprehendit א, declarationem et instructionem verbalem, qua Deus ipsi injungit munus propheticum inter Israelitas, et instruit ac corroborat eum contra omnia obstacula vers. 3—7. praemissa narratione status prophetae, post visum superius, primum perturbati et infirmati, dein erecti, et roborati, vers. 1, 2. In praefatione dicit, se in faciem cecidisse perturbatum, et debilitatum, sed voce divina jussum consistere, et spiritu fuisse erectum, aptumque factum ad vocem divinam excipiendam; vers. 28. fin. cap. praeced., et vers. 1, 2. hujus. Ultima enim verba, *et vidi et cecidi in faciem, et audivi vocem loquentem*, manifeste cum hoc cap. cohaerent, inde male avulsa per pravam distinctionem capitum; cujus varia exempla produxi ad Mal. II: 17. Parum hic occurrit, nobis notandum. Verbo tantum observo 1. *vocem loquentis* esse ejus, cujus vers. 25. cap. I. facta fuerat mentio, adeoque, non *hominis*, throno insidentis, sed ejus, cujus symbolum erat *firmamentum*, adeoque Dei Israelis, legislatoris et judicis Israelitarum; qui prophetam misit ad *judicium* suum adnunciandum populo rebelli, nisi ad resipiscentiam se permoveri patiatur. 2. *Spiritum*, quo erectus est, fuisse vim divinam, cum jussu ejus, ut propheta staret, conjunctam. Hic Spiritus enim, qui ipsum intravit, simul *erexit* ad jussum Dei, ut pedibus constiterit firmatus, et ad verbum Dei audiendum aptus. 3. Titulum *filii hominis* ipsi dari hic et ubique, ut admoneretur *cum* de summo honore, quo cum vilis esset homo mactaretur, quod ad tantam cum Deo familiaritatem, et tam illustre munus vocaretur, *tum* de obligatione ad fidelitatem in hoc munere, cum ipse esset homo, et jubens Deus, *tum* de modestia servanda, ne aut suis viribus fidat,

aut se extollat excellentia muneris et visionum. Ceterum, quod non homo, sed *filius hominis* ubique adpelletur, illud inde forte repetendum, quod inter Chaldaeos fuit versatus, ubi ea phrasis erat vulgata: quod observavit Ligtf. Misc. cap. 4.

§. LX. Declarationis et instructionis divinae sunt sequentes partes. α. *Prima* habet, eum a Deo constitui prophetam inter Israelitas: vers. 3. *mitto ego te ad Israelitas*, scilicet, sine discrimine omnes, sive in exilio, sive in Judaea, sed in specie *illos*, in quorum medio degebat; cum ad *hos* non nisi per *scripta* missus sit, nusquam enim legitur adiisse Judaeos in Cananaea. *Mitto* autem est, ut recte Pradus, et alii, *constitui* te mittere, et *prophetam* te pronuncio, sicut mox eo titulo insignitur, vers. 5. Nec emphasi caret pronomen *ego*, et *te*: dicit enim Deum, Dominum, regem, et judicem supremum Israelis, mittere *ipsum* filium tantum *hominis*, eumque inbecillum; sed a Deo corroborandum, ut mox habetur.

§. LXI. β *Secunda* pars atris coloribus depingit Israelitas, quoad statum eorum moralem, tanquam ab antiquis temporibus *defectores*, a Deo, legitimo Domino, et in defectione nunc cum maxime contumaces et obstinatos, qui omnem pudorem decoxerunt, *gentium* propterea rebellium potius, quam Israelitarum titulo insigniendos, vers. 3, 4. his verbis: *ad gentes obstrigillantes illas, quae in me rebellarunt contumaciter; illi et patres eorum eruperunt effuse in me ad hunc ipsum diem usque; et filios duros vultu, et valide adstrictos corde.* Sermo est valde emphaticus, et durus, de Israele, quo longinqua ejus, et summa ac insuperabilis corruptio, et defectio a Deo, ejusque foedere et lege, fortiter describitur, eaque ratione est concinnatus, ut *a.* status corruptus summatim proponatur, *b.* dein illustretur et deducatur latius. *a.* Prius his verbis: *ad gentes obstrigillantes illas, quae in me rebellarunt contumaciter.* Adpellat 1. Israelitas *gentes*; peculiari vinculo aut foedere cum Deo non con-

conjunctas; ut indicaret, eos sese respectu Dei tales habere et gerere; quemadmodum Hos. VI: 7. *illi sunt sicut homo* h. e. *gentes*, uti alibi observavi. Dubium vero non est, quin, non *gentes* proprie dictae, sed Israelitae eo titulo insigniantur, quae communior etiam est sententia, *cum* quod orationis structura requirat, non enim dicitur, et *ad gentes*, sed *ad Israelitas*, *ad gentes*, *tum* quod Propheta non fuerit ad *gentes* missus, licet contra eas quoque prophetaverit, quae longe diversa sunt, *tum* quod *gentes* dicantur *rebelles* contumaciter in Deum, et mox ad Israelitas id adplicetur. 2. *Gentium* epitheton licet satis odiosum, cum gentes essent contemtae in oculis eorum, non tantum iis datur, sed *gentium obstrigillantium*, seu contumaciter *rebellium* eximie sic dictarum; quare cum emphat. הַמּוֹרְדִים, quo titulo digni erant, quod vere tales sese praestarent erga Deum, Dominum et regem suum. Sic enim sermo est ordinatus, ut vocabulum *obstrigillantium* sit pro epitheto *gentium* habendum, et sequentia ad Israelitas pertineant, quibus exponitur titulus iste, Israeli aptatus. Sensus enim est, Israelitas recte appellari *gentes obstrigillantes*, quippe qui in Deum contumaciter sint rebelles. Verbum מרד proprietatem habet *stringendi*, *perstringendi*, et quidem gravius, ut quid adteratur, vel conteratur, et inde ad *rebellionem* transiit, qua quis Dominum regem acerbius perstringit, et pertinaciter *obstrigillat*. Vid. Schroeder Obs. Sel. ad Orig. Hebr. cap. I.

§. LXII. *b. Deductio* propositionis duo, vel tria, comprehendit ad statum, modo definitum, illustrandum, et adgravandum. 1. *Primum* est, quod effusa sit et summa depravatio, qua in Deum sese effuderunt sine ulla mensura, aut temperamento, verbo פשע expressa. Dicuntur enim *in Deum sese effudisse*, seu effuse eum offendisse, et ab ipso ac lege ejus summo gradu defecisse. Quam emphasin habet verbum, cujus propria notio est *erupit e cortice*, inde defecit, exorbitavit a lege; vid Schult. clav. p. 271. Denotat

vero *eruptionem* validam, qualis est aquarum perruptis aggeribus sese effundentium, et late grassantium; unde ad *effusam* corruptionem transiit, quum quis fractis omnibus vinculis sese in omne nefas pro lubitu effundit. Quo summus gradus et universalitas corruptionis emphatice pingitur. 2. *Secundum* est, quod inveterata sit, et a longo ducta corruptio; cum dicitur, *ipsi* et *patres ipsorum* ad *hunc ipsum diem usque* defecerunt effuse. In quo nihil est difficile. Tantum not. emphasis, *ad hunc ipsum diem*, scilicet, quo judicium meum jam experti sunt ob defectionem suam, et in exilio degunt, poenam defectionis ferentes. 3. *Tertium* est, quod impudentes et obstinati sint, adeoque incorrigibiles in eo statu his verbis: *et filios illos duros vultu, ac valide adstrictos corde*, scilicet ex superioribus, *mitto ego te*; non enim cum seq. construenda sunt verba, sed praeced., ut nexus orationis docet. Quemadmodum vero *Israelitas* adpellaverat *gentes rebelles*, ita nunc, ad rebellionem adgravandam, eos vocat *filios* illos *duros vultu*, *et constrictos corde* h. e. impudentes, nullo pudore molliendos, et obstinatos, ac incorrigibiles. Cum autem absolute *filios* eos adpellet Deus, *suos* aeque ac patrum intelligere potest; quos enim modo *eos* et *patres eorum* dixerat, hic *filios* nominat, eos itaque et *patres*, adeoque *filios* utrosque Dei et patriarcharum, sed *degeneres*, et *refractarios*, uti Jes. I: 2. et alibi.

§. LXIII. γ. Tertia pars instructionis exponit naturam muneris, et eventum missionis prophetae ad Israelitas vers. 4, 5. his verbis, *ego mitto te ad eos*, *et dices iis*, vel, *ut dicas*, *sic dixit Dominus Jehova*, *et illi*, *sive audiant*, *sive flaccescant*, *quia domus obstrigillationis sunt*, *et cognoscent*, *prophetam fuisse in medio ipsorum* h. e. mitto te ad eos, tanquam prophetam, qui meo nomine et autoritate loquiturus est, quemcunque effectum habeat munus tuum, sive verbis tuis auscultent, sive sese flaccidos et torpidos praebeant, qui nihil moventur verbis tuis, quod verius est, et magis exspectandum, quia sunt refractarii et obstrigillantes, quic-

quid

quid evenerit, illud constabit, et experientur, *prophetam* fuisse inter ipsos, qui eos ad meliorem frugem voluit revocare, adeo ut inexcusabiles sint futuri, et interminationes ejus non fuisse vanas sensuri. Verba continent muneris prophetici *descriptionem*, et *eventum* ejus declarant. *Prius* in eo situm est, quod *verba* Dei sit elocuturus, seu nomine et autoritate Jehovae acturus, quod est, *dices iis, sic dixit Dominus Jehovae;* quae solennis erat formula prophetarum, satis nota. *Posterius* duplicem comprehendit eventum, *alterum* dubium, seu in incerto relictum, *alterum* certum. *Prior* his verbis profertur, *sive audiant, sive flaccescant, quia domus obstrigillationis sunt*, quae licet in dubio relinquant, num obedituri sint nec *ne*, posterius tamen locum habiturum esse tacite insinuatur, cum additur, eos *esse refractarios;* utique in initio tales se praestarent, licet non defuerint, qui obedierint; postea tamen ad meliorem mentem adducendi; uti docuit experientia. *Posterior* est, reapse, quacunque ratione se gesserint, constituturum et experientia esse manifestum futurum, Ezechielem fuisse verum prophetam, et inter eos munere functum, cujus et minae et promissa implementum consequerentur, contumaces sua culpa, et cum propria convictione fore miseros. In verbis nihil est difficilis, non saepe alibi expositum: quare nihil addo, nisi verba, *ego mitto te ad eos*, cum seq. connectenda et repeti, quia *modus*, quo munere fungeretur, et *eventus* hic traditur.

§ LXIV. *Quarta* pars est consolatoria, qua animus ipsius corroboratur contra quascunque hostiles Israelitarum oppositiones, quas subiret propter eorum perversitatem et obstinationem, vers. 6, 7. *Et tu, fili hominis, ne metuas ab iis, et a verbis eorum, ne metuas*, inquam, *quod refractarii sint, et spinae tecum, et ad*, vel apud, *scorpiones tu habites; a verbis eorum ne timeas, et a facie eorum ne consterneris, quod domus rebellionis obstringillantis sint; et loqueris verba mea ad ipsos, sive audiant, sive flaccescant, quia domus*

mus obſtrigillationis ſunt. Quae admonitionem comprehendunt de non timendo a facie aut verbis eorum, ſed verbis Dei fidenter ac fideliter proferendis, cum conſolatione, qua omnis ratio timendi auſertur, conjunctam, ſed bis cum inſigni emphaſi et variatione repetitam, adeo ut *a.* admonitio conſolatoria hic occurrat, *b.* ejus repetitio emphatica. *a.* Admonitio his verbis profertur; *et tu, fili hominis, ne metuas ab iis, et a verbis eorum, ne metuas, quod refractarii ſint et ſpinae tecum, et apud ſcorpiones tu habites.* h. e. iratas et autoritate praeditas facies, verba quoque ſuperbiae, irarum et minarum plena, offendes, quia ſunt refractarii, ſpinarum et ſcorpionum inſtar, apti ac parati ad te lacerandum, et laedendum, quibuſcum tibi res erit; ne propterea abſterrearis, ſed audacter age, nec mali quid ab iis timeas; ſed ſecurus ſis. Verba nihil habent difficilis, quare paucis defungar. *Ne timeas ab iis et verbis eorum* (vultus et verba eorum ne tibi timorem incutiant, quo in loquendo et agendo te ſubducas, aut mali quid exſpectes. Cum dicitur, ne timeas *ab iis et verbis eorum*, reſpici videtur ad *facies* et *verba*, ut mox exponitur, adeoque ſenſus eſſe, nec autoritatem, majeſtatem, aut irriſionem et iram, quae per *vultum* ſignificantur, nec *verba* aut contemtus, aut interminationis, aut prohibitionis, ipſum deterrere debere, aut metum mali incutere) *ne timeas* (repeto majoris emphaſios ergo, ut altius in animum tuum penetret, et animoſior fias ac ſecurior) *quia refractarii ſunt et ſpinae tecum, et apud ſcorpiones tu habitas* (propterea quod tales ſint, et eos experieris, ne timeas; ſunt revera refractarii, et ſpinarum ac ſcorpionum inſtar, ſed illud tibi metum non incutiat, nec tibi nocebit. Adpellantur סרבים *refractarii*, ſeu rebellantes, et audire recuſantes; quae poteſtas eſt verbi סרב apud Chald., ut obſervavit Boch. H. p. II. l. IV. c. 14. Concinit uſus apud Arab., quo liberam *vagationem* denotat, omni vinculo ſoluto. Forte rectius per *urticas*, herbas adurentes, vertitur cum aliis a rad. סרב *urere*, uti in cognatis

natis radicibus שרב, et שרף obtinet: quod cum seqq. epithetis est conjunctius, etiam cum praeced. *ne metuas*: Latin. *urtica* etiam est ab *urendo*. Dein comparantur cum *spinis* et *scorpionibus* ad animum et potestatem nocendi, carpendi, lethali plaga adficiendi, exprimendum. Vox סלון *spina* est a סלל proprie *nectere*, *connectere*, *implicare*, unde varii usus fluxerunt, et *spinarum* notio derivari potest, quod sint quid *impliciti*, et *implicent*. Sic altera vox, spinas denotans, שוך est a rad., quae *texere* dicit, et *texendo* implicare. Vox עקרב *scorpionem* denotat, et *virgam aculeatam*, ut docuit Boch. H. ib. c. 29., qui derivat a עקצרב *aculeo pungente magno*.)

§. LXV. *b*. Admonitionis repetitio cum emphasi et variatione his verbis fit, *a verbis eorum ne timeas, et a faciebus eorum ne consterneris, quia domus rebellionis sunt; et loqueris verba mea ad eos, sive audiant, sive flaccescant, quia rebellio sunt*. Triplex praecipue hic occurrit variatio a praecedentibus. 1. *Prima* est, quod verbo *metuendi* addatur *consternandi*, emphasios ergo; plus enim dicit quam *metuere*, majorem metus gradum, quo mens quasi *conteritur* et *friatur*, quae propria est verbi חתת potestas; vid. ad Jer. I: 17. ubi eadem occurrit admonitio, Jeremiae facta. Sensus est, *ne metuas*, nedum, vel multo minus, *consterneris*. 2. *Secunda* est, quod admonitioni de metu deponendo addatur de *verbis* Dei *eloquendis*, intrepide scilicet et fideliter; adeo ut *metuere* non tantum non debeat, sed officio prophetae et animose et studiose defungi in verbis Dei proferendis coram ipsis. 3. *Tertia* est, quod *eventus* repetatur, *sive audiant*, *sive flaccescant* etc. uti supra vers. 5. habuimus. Emphasi non caret, quod non, ut modo, *domus rebellionis*, sed ipsa *rebellio* adpellantur, abstracto pro concreto sumto, ut *perfidia* pro *perfido* Nah. III: 1. et *scelus* pro *scelesto*. etc.

§. LXVI. ב. *Secunda* pars complectitur solennem inaugurationem, qua munus ipsi est delatum, et ab ipso susceptum,

tum, ſub emblemate vel ſymbolo *voluminis*, manu coeleſti ipſi porrecti, et expoſiti, ita ut argumentum ejus perceperit, dein in os, ſponte ab ipſo apertum, ingeſti, et in ventriculum immiſſi, cum ſuavi guſtu in ore verſ. 8—III: 3. Quae pericopa cohaeret, ut facile cernitur, male per *capitum* diviſionem divulſa. Praemittitur admonitio de munere prophetico admittendo, et fideliter obeundo; verſ. 8. his verbis: *Et tu, fili hominis, audi quicquid ego ad te loquor, ne ſis rebellis ſicut domus rebellionis hujus.* Quae eo tendunt, ut munus ſponte ſuſcipiat, et accurate exequatur, ſibique ab exemplo populi rebellis ſtudioſe caveat imitando, ne ſeſe in Deum refractarium praebeat, munus detrectando, aut male faciendo. *Rebellio* populi et prophetae, cujus hic fit mentio, non eſt eadem, ſed diverſa intelligenda, cum populi ſit in legem et foedus Dei in genere, ſed prophetae in hoc Dei mandatum, quo munus propheticum ei injungitur; uti ex ſcopo et antecedentibus verbis, quibus *audire* jubetur, quod *Deus* ad ipſum loquitur, manifeſtum eſt: *verba* Dei enim audire, et rebellem eſſe opponuntur; adeoque *rebellem* eſſe dicit *non audire verba Dei*, ipſi proferenda data. Nihil hic praeterea notandum, praeter emphaſin vocis המרי cum ה demonſtrativo. Non enim *domus* מרי, ut modo, ſed המרי adpellatur, ut digito monſtretur populus Iſraelis, adeoque ſit, *domus iſta* vel *iſtius rebellionis.*

§. LXVII. Symbolum, quo inauguratio fit, et confirmatur, muneris injunctionem non tantum comprehendit, ſed et prophetae adſenſum, quo ſeſe ad illud ſuſcipiendum et exequendum demonſtravit paratum: quod ad plenam inaugurationem erat neceſſarium. Situm eſt in *volumine libri*, ſeu membrana, convolvi ſolita pro more Veterum, de quo dixi ad Pſ. XL: 8., *intus et extus ſcripto*, adeoque non magno, ſed preſſe ſcripto, ut facilius deglutiri poſſet, cum *inſcriptione* argumenti; quo refero verba verſ. 10. *et ſcriptum ſuper eo, planctus, exaeſtuatio ſuſpirii, et anxietas profunda:* non enim verba ſcripturae in hoc volumine, ut vulgo putatur,

tatur, sed *inscriptionis* vel *rubricae*, intelliguntur, *cum* quod intus et extus erat scriptum volumen, non ergo *tria* tantum haec vocabula continebat, *tum* quod non dicitur *scriptum in eo*, sed *ad* vel *supra* illud ad titulum vel inscriptionem voluminis indicandum: unde de argumento scripturae constabat. Titulus libri itaque erat, *planctus*, *aestuatio et lapsus*, seu summa tristitia et miseria, in lamenta gravia conjiciens. *Prima* vox קִנִים *plausus* vel *planctus* denotat, a rad. קין proprie *plaudere*; unde ad *planctum*, et *cantum lugubrem* transiit. *Secunda* הגה proprietatem habet in *exaestuatione*, seu fervore aestuante, unde inter alia denotat *gemitum*, *rugitum*, *suspiria* ex profundo cordis commoti aestuantia. Vid. Schult. ad Prov. XXV: 4. Tertia הי vel est vocula lamentantis, a sono ficta, ut אי, et אה, אהה, *ah*, *vae*, vel ab היה proprie *cecidit*, et quidem *lapsu in* profundum, unde inter alia transiit ad casum vel *lapsum* mentis, prae moerore vel anxietate in vastissimum aliquod profundum praecipitatae, Prov. XIX: 13. Job. VI: 2. XXX: 13. ad quae loca vid. Cl. Schult.

§. LXVIII. Hoc volumen vidit propheta *in manu* alicujus ad ipsum porrecta; (ubi obiter notetur pro בו legendum בה *in ea*; respicit enim ad יד foemin, ut Cod. MSS. quoque habet, ut postea vidi, apud Kennicot) quem non nominat, sed quem unum fuisse de *animatis*, ex superiore viso facile patet, conf. etiam c. X. Vidit autem primo *complicatum* in manu angeli, dein *evolutum* et *expansum* coram se, ut illud intus et extus fuisse scriptum animadvertere potuerit, dein rursus *convolutum*, cum inscriptione, seu titulo, cujus meminit; quando jussus est *os aperire*, ut deglutiat: dictum enim ipsi est, *quod inveneris ede* h. e. quod tibi praesto est, ut possis uti, quod hic *invenire* dicitur, ut Jer. XV: 16. quo facto, in *os* suum vidit illud ingestum, ac in *ventriculum* demissum, absque ut dentibus illud fregerit: quod verba indicant c. III: 3. *et dixit mihi*, (scilicet ipse ille, qui c. II; 1. et deinceps prophetam est adlocutus) *fili hominis!*

minis! ventrem tuum comedere facies, et viscera tua repebis; non ergo *ore*, sed ventriculo comederet, et per *os* apertum tantum demitteret non mansum in ventriculum et viscera; quod etiam est naturae rei convenientius; cum volumen non sit *manducationi* aptum. Tetigit tamen palatum et linguam, cum *suave* illud esse gustaverit, his verbis: *et comedi*, vel potius *comedi illud*, ut Graeca versio habet, leg. ergo ואכלה cum ה mappik., *fuitque in ore meo instar mellis prae dulcore*. Singulare est, quod dicat *in ore* tantum fuisse dulce; quo videtur indicari, illud superficiem habuisse *mellitam*, sed intus amaritudinem, adeoque dissolutum in ventriculo alium habuisse effectum, licet expressa ejus non fiat mentio: quod ex vers. 14., ubi acerba *tristitia*, qua animi adfectione post hoc visum legitur abiisse, confirmatur; non quidem *ventris* amaritudinem, ex libello deglutito ortam, memorat, videtur tamen eo respexisse, cum rem ipsam, per *ventriculi amarorem* depictam, expresserit. Accedit, Ap. X. in simili viso, nostro plane respondente, illud ipsis verbis occurrere.

§. LXIX. *Sensus* et *scopus* emblematis non est in difficili, quare paucis defungar. Tendit manifeste ad prophetam in munere prophetae inaugurandum, ac confirmandum, et a *parte Dei* repraesentat ipsum munus, ipsi a Deo demandatum, ejusque officii naturam, et modum exequendi, a *parte* vero prophetae ejus promtitudinem ad illud implendum, una cum animi adfectione partim grata, partim tristi. *Libellus*, cum dura illa inscriptione ipsi divinitus datus, in ventriculum demittendus, significat a parte Dei 1. ipsum notitia voluntatis Dei esse immediate a Deo imbuendum, et verba proferenda ab ipso hausturum, 2. materiam fore maximam partem tristem et lamentorum causam, 3. revelationem ipsi factam toto animo esse recipiendam, et recondendam, ita ut eam recte sit percepturus, et memoria retenturus, meditationibusque continuo ruminaturus: quemadmodum usitata phrasi homines dicuntur libros *devorare*,

ac

ac *in succum et sanguinem convertere*. 4. Eum itaque aptum esse reddendum ad voluntatem Dei perite et promte adnunciandam, et ex intimo corde quasi eructandam: quod ipsi faciendum injungitur; c. III: 1. et deinceps fusius vers. 4. Cum vero propheta *os* aperuerit, et libellum in ventriculum admiserit, simul *suavitatem* in ore, et *amarorem* in ventriculo expertus sit, significatur 1. ipsum hoc munus sponte et pleno consensu adsumere, 2. fidelem functionem promittere, 3. cum delectatione quidem in omni verbo Dei, ipsi revelando, acquiescere, tanquam Deo glorioso, et hominibus utili, quod est *ore* gustare suavitatem libelli, sive judicio sano, per palatum et gustum expingi solito, illud adprobare tanquam justum, sanctum et bonum. Sic in proverbiali locutione, *auris explorat verba, ut palatum gustu explorat cibos* Job. XII: 11. XXXIV: 2. ubi vid. Schult., attamen 4. tam duram et tremendam revelationem, severum judicium in populum Dei complexam, ejusque rationem in horrenda populi contumacia sitam, acerbum in propheta, prae adfectu ergo populum, suscitare moerorem, per *amaritudinem ventriculi* expictum; de quo ad vers. 14. dicemus. Conf. Jer. XV: 17. et ibi dicta.

C A P. III.

§. LXX. 3. *Tertia* pars continet actualem *missionem*, inaugurationi jam factae apte subjunctam, una cum instructione indolis populi et effectus missionis, ac consolatione, eamque *bis* factam, vers. 4—11. Hac enim ratione cohaeret haec pericopa, quae missionem prophetae, post factam solennem inaugurationem, complectitur, *bis* cum insigni variatione et emphasi factam, *primum* vers. 4—9. dein repetitam vers. 10, 11. In *priore* parte occurrit *a*. mandatum de domo Israelis adeunda cum verbis Dei in ore vers. 4.

b indolis populi perversae, et frustranei effectus inde orituri, declaratio vers. 5—7. *c.* consolatio et corroboratio prophetae contra duritiem et contumaciam populi, qua omnis metus ipsi interdicitur, vers. 8, 9. *a.* Missio prophetae his verbis vers. 4. *Fili hominis! ito, adi domum Israelis, et loqueris ipsissima mea verba ad eos*: ita enim recte vertitur vox בדברי, cum ב elegantem suum usum hic exserat, quo cum emphasi redundat, vel intimam rei naturam denotat, uti saepe alias; ceteroquin etiam posset verti, *verbis meis eos adloqueris:* sed prius est magis emphaticum. *b. Instructio* prophetae, quoad indolem populi et effectum irritum concionum ejus, habet, Israelitas, licet ad audiendum aptos, verba ejus sponte et obstinate esse spreturos, vers. 5—7. his verbis: *Quia*, vel *quamvis*, *non ad populum profundis labiis et gravibus linguis tu missus sis*, *ad domum Israelis*, *nec ad populos multos profundiorum labiorum et gravium linguarum*, *quorum verba audire*, vel intelligere, *non poteris*, *si non ad eos tales te misi*, *ipsi utique te audient*, vel audire deberent; *attamen domus Israel te audire nolent*, *quia me audire nolunt*, *quia tota domus Israel fortes sunt fronte, et duri corde.* Quorum sensus est, Israelitas, licet ad prophetam audiendum et auscultandum facultatibus idoneis instructos, illud tamen ex perversitate animi et obstinatione voluntatis esse recusaturos; adeoque scopus est, irritum non tantum concionum prophetae effectum tradere, sed et rationem ejus pandere, non in defectu facultatum populi, sed perversa ejus voluntate sitam: sicut et alibi a prophetis declaratum est, populum habere *oculos ad videndum*, *aures ad audiendum*, nec tamen *videre ac audire.* Ez XII: 2. Hunc sensum et scopum esse pericopae ex verbis recte intellectis, ex nexu vers. 7. cum praeced., facile patescit. Quod enim vers. 5 et 6. dictum erat, eos esse aptos ad audiendum, cum verba prophetae recte possint intelligere, et tale quid ab hujusmodi populo exspectari posse, illud vers. 7. negatur ab ipso praestandum esse propter voluntatis et animi obstinatam pra-

vitatem. Constat itaque pericopa e *duabus* partibus, quarum *prior* exponit quid possit populus, et ab eo exspectandum sit, *posterior* vero tradit, quid facturus sit, et quare? quia Deum audire prae cordis duritie sit recusaturus.

§. LXXI. In *priore* parte *α*. occurrit populi aptitudo ad audiendum, vers 5, 6. *β* exspectatio, in ea fundata, boni eventus vers. 6. in ult. membro. *α*. Aptitudinem populi haec verba declarant vers. 5, 6. *Quia*, vel *quamvis*, *non ad populum cum profunditatibus labii et linguae gravitatibus tu missus es ad domum Israelis*, *non ad populos multos profundos labio*, *et graves lingua*, *quorum verba non audies*, vel intelliges. Quorum sensus est, ipsum non esse missum prophetam ad populum Israelis cum lingua barbara, et ipsis non intelligibili, nec ad populos variarum linguarum, quas ipse non intelligebat, sed ad populum unum, quocum sermonem conferere poterat, cui nec ipse barbarus erat, nec is ipsi; sed scopus est exponere, Israelitas fuisse idoneis praeditos facultatibus prophetae conciones intelligendi, et admittendi; sed, non obstante hac aptitudine, eos renuisse audire, ut mox sequitur. Vocula itaque כי *quia* hic omnino vertenda est *quamvis*; uti saepe alias, uti ad Gen. IX. demonstravi. Quando oratio omnibus partibus recte fluit, et facilis est intellectu. Duo autem videntur negari de sermone prophetae, respectu populi, ad quem a Deo mittitur, *alterum*, eum non esse barbarum populo, *alterum*, populum non esse variarum linguarum et ignotarum, quae prophetae sunt obscurae, ut indicaretur, prophetam mitti ad populum et unius linguae, et vernaculae prophetae, ita ut commercium sermonis inter ipsum et populum sit facile intellectu, quatenus et ipse ab eo capi, et ipsius sermonem capere possit; praeterea populus sit, ad quem mittitur, non peregrinus, sed proprius et familiaris. *Prius* vers. 5 indicatur his verbis, *non ad populum cum profunditatibus labii*, *et gravitatibus linguae*, *tu missus es ad domum Israelis*, h. e. ad populum, scilicet domum Israelis, non es missus cum

lingua ignota et barbara, sed vernacula et facili intellectu; sic enim rectius videntur verba capi et verti, quam vulgo solet, ita ut *profunditas labii et gravitas linguae* respiciat ad prophetam, ejusque sermones relate ad Israelem, cui ipse sit barbarus, *cum* quod distinguatur a populis, quos ob barbarum sermonem ipse intelligere non poterat, ut expresse additur, *tum* quod Jes. XXVIII: 11. Deus declaret, se in poenam populi obstinati *locuturum* esse ad eum *labiis balbis*, vel *ridiculis*, *et lingua peregrina*. Voces itaque, *profunditates labii*, *et gravitates linguae*, non sunt cum עם *populo* construendae, acsi populus tali labio et lingua esset praeditus; sed ad prophetam loquentem referendae, qui tali labio et lingua uteretur, adeoque supplenda praepositio ב ante עמקי, *in* vel *cum*; quae Jes. l. c. additur, vel etiam particula עם *cum* censeri posset ex praeced. עם excidisse, et עמקי ac כבדי substant. capi debeat, vertique per *profunditates* et *gravitates*, sicut Jes. l. c. בלעגי *in vibrationibus ac contorsionibus labii*. *Prior* vero phrasis videtur ad linguam incognitam, posterior ad vitium pronunciandi respicere, ita ut *profunditas labiorum* sit lingua abstrusa, in profundo latitans, et longe ab intellectu audientis remota, *gravitas* vero linguae sit pronunciatio difficilior et impeditior, lingua non facili ad movendum, sed *gravi* et onerosa: quemadmodum Moses se dixit *gravem ore* et *lingua* Exod. IV: 10. opposite ad virum disertum et promtum eloquio. Praeterea *prior* phrasis referri potest ad *res*, *posterior* ad *linguam*, qua proferuntur, ut sensus sit, prophetam ad populum mitti, nec cum rebus abstrusis, nec cum lingua ignota, sed res prolaturum populo non ignotas, quippe saepius ab aliis prophetis inculcatas, easque faciles captu; lingua quoque usurum vernacula. *Labia* pro rebus per labia prolatis, et *linguae* pro verbis et vocibus, facile sumuntur. Conf. Cl. Vitringa ad Jes. XXVIII: 11. *Gravitas linguae* recte ergo usurpatur de lingua peregrina, per quam quis audienti videtur *balbutire*, quatenus non intelligit, magis quam balbutientem. *Posterius* ad

ad populos barbaros, et rebus et lingua, respiciens, ita habet vers. 6. *non ad populos multos, profundos labio, et graves lingua, quorum verba non audies*, scilicet *missus es*, ex praecedentibus. Quorum sensus est, ipsum non ad multos et peregrinos populos mitti, quorum nec doctrinam et instituta nec linguam novit, sed ad populum unum ejusdem secum religionis et linguae, a quo facile intelligi poterat, et fructum concionum exspectare debebat, quem sibi promittere non poterat inter peregrinos et gentiles, a quorum institutis et lingua erat alienus, ita ut *audire* non potuerit. Huc enim verba tendunt, ut doceatur, prophetam ad eos non mitti, apud quos nihil proficere posset, quales sunt gentiles et peregrini.

§ LXXII. β. Subjungitur etiam eum in finem exspectatio boni effectus concionum prophetae inter Israelitas, quia non ad tales peregrinos et barbaros, sed populares et familiares mittebatur; his verbis vers. 6. fin. *si non ad eos tales misi te, ipsi audient te* h. e. cum te ad tales populos, *profundos labio et graves lingua* non mittam, quorum instituta et verba a te sunt aliena, sed ad populares, eorundem tecum institutorum et linguae, nec cum profunditatibus labii ac gravitatibus linguae, ipsis non abstrusa, aut lingua peregrina, adnunciaturum, utique audire te deberent, et merito ab illis hoc exspectaretur. Qui sensus, sicut scopo et nexui est adcommodatus, uti facile cernitur, ita ex verbis sese sponte offert, modo notetur, 1. negativam locutionem per reticentiam involvere positivam contrariam, hac ratione, ut in paraphrasi expressi; *non ad eos tales*, sed alios, *populares* scilicet et *ejusdem linguae* etc. 2. pronomen הֵמָּה *illi* respicere ad eos, qui non tales erant, sed populares, ut sint *illi*, ad quos te mitto, populares et ejusdem linguae, 3. *audient te* esse pro et debebunt, et facerent, si non obstinati essent animi, et volentes respuerent. Quod non est difficile. Interpretes haec verba passim capiunt acsi dicere vellent, peregrinos audituros esse, sine

לא expunctum velint, ut versiones antiquae, sive, voce לא *non* retenta, capiant vel non obstante linguarum discrimine, ut sit interrogative, *nonne*, si ad tales te mitto, te audient, sive adfirmative quasi per juramentum, *si non futurum sit* etc. vel sublato linguae discrimine, ut sit, si tales non essent gentiles, profundi labio et graves lingua, et ad eos te mitterem, *audirent te*. Quae omnia valde aliena sunt et a scopo, et re ipsa, et verbis. Quibus non immorabor. Nostra interpretatio sponte sese commendat.

§. LXXIII. *Posterior* pericopae pars, quae tradit, quid facturus sit populus, et quare? his verbis continetur vers. 7. *et*, vel *attamen*, *domus Israel nolent audire te*, *quia nolunt audire me*, *quia tota domus Israel fortes fronte*, *et duri corde ipsi*. h. e. quamvis non sint peregrini, sed populares, nec tu profundus sis labio, gravisque lingua, adeoque deberent et possent te audire, illudque exspectandum foret; longe secus tamen eveniet, non audient, quia *nolent* te audire, quod mihi omne obsequium renunciarint, et impudentes sint ac obstinati. Culpa itaque penes ipsos erit, et ratio in obstinata eorum pravitate quaerenda. Hac ratione omnia recte fluunt, et faciles habent explicatus. Emphasin habet 1. quod habeatur, *non volent audire;* significatur enim eos posse, et debere, sed *nolle*; esse itaque *voluntariam*, ex libidine ortam, inobedientiam. 2. quod in fin pronomen המה *ipsi* repetatur, quippe quod ad praeced. המה vers 6. respiciat, ut de ipsis illis cogitaremus, *qui audirent*, vel deberent et possent, vers. 6. Reliqua sunt facilia

§. LXXIV. *c*. Consolatio et corroboratio prophetae vers. 8, 9. his verbis subjungitur, ut c. III: 6. habuimus. *Ecce vultum tuum fortem posui e regione vultus ipsorum*, *et frontem tuam validam e regione frontis ipsorum*, *instar durissimi lapidis rupe firmioris reddidi frontem tuam*, *non timebis eos*, *nec consterneris a facie eorum*, *quia domus rebellionis ipsi*. Quae planiora sunt, quam ut nos detineant. Promittit Deus prophetae animum constantem, intrepidum et firmum contra

ipsorum

ipforum impudentiam et obftinationem, autoritatem, poteftatem et minas; imo firmiffimum, nulla re frangendum, inftar duriffimi lapidis, rupe fortioris; adeoque exigit, ut non metuat, nedum confternetur; uti fupra c. II: 6. Vox שמיר proprie non eft *adamas*, fed lapis tam durus, ut eo gemmarii ad gemmas expoliendas utantur. Vid. Boch. H. p. II. l. VI. c. 11., qui lapis adpellatur *fmiris*. Vid. Harenberg in muf. Brem. vol. II. p. II. p. 287. Radix eft שמר proprie *conftringere*, et ita *compingere*, unde שמר lapis *fortiter* compactus, et ita *durus*.

§. LXXV. *Repetitio* miffionis, cum variatione et emphafi facta, ita habet verf. 10, 11. *Et dixit ad me, fili hominis! omnia verba mea, quae ad te loquar, recipe in cor tuum, et auribus tuis audi, et ita adito tranfmigrationem, filios populi tui, et loqueris ad ipfos, dicefque ipfis, fic dixit Dominus Jehova; five audiant five flaccefcant*, feu definant. Miffionem hic repeti, facile cernitur, fed notanda eft variatio, quacum fit. 1. Quod fupra in genere dictum erat, *eum verba Dei elocuturum*, illud hic circumductius fit, et ad *omnia*, qualiacunque, et cujufcunque naturae, verba extenditur; *omnia verba*, dicit Deus, *quae loquar ad te*. 2. Additur et hic, eum verba Dei *in cor recepturum*, et *auribus auditurum*; quo haud obfcure refpicitur ad libellum in *ventriculum demiffum*, et *ore guftatum*; illudque emblema hic exponitur, *demiffioni in ventriculum* refpondet *receptio in cor*, et *guftationi* oris, feu palati, *auditus aurium*: *auris enim explorat verba, ut palatum guftu cibos* Job. XII: 11. XXXIV: 2.— de quo fupra dixi. Ex quo fimul patefcit, *auribus audire* fimul comprehendere verborum Dei dijudicationem et adprobationem. 3. Qui fupra in genere dicti erant *domus Ifrael*, illi hic diftinctius adpellantur *tranfmigratio et filii populi* prophetae; ut indicaretur, eum in fpecie et directe mitti ad Ifraelitas et Judaeos in exilio degentes, in quorum medio verfabatur; quo vox גולה ducit, proprie *deterfio*, *denudatio*; unde ad *exules*, libertate et patria denudatos ac

K deterfos,

detersos, transfertur: jubetur vero adire *exsules*, quia in visione alio erat transportatus, sicut visione finita ad eos tendere traditur. v. 15. Additur epitheton *filiorum populi* prophetae, ut indicaretur, eos esse non peregrinos, sed populares, eorundem institutorum et linguae, ut supra habuimus, praeterea *populum* prophetae potius esse, quam *Dei*, quia sese Deo immorigeros praestiterant, et quasi a Deo erant exterminati. 4. Denique, additur quoque hic expositio et *muneris prophetae*, *et eventus ejus*, uti supra c. II: 4, 5—

§. LXXVI. *Inauguratione*, partim emblematica partim nuda oratione, peracta, vidit propheta in visione se a spiritu alio transferri, et symbolicam gloriae Dei repraesentationem auferri, ipseque, ad se redactus, spiritu leniore est adprehensus, et e loco illo, ubi visio ipsi obtigerat, discessit, effectum visi in animo amaro retinens. Quae summa est pericopae vers. 12—14. qua finis et exitus visionis praecedentis narratur, qui verus est pericopae conspectus: cujus *duae* sunt partes, *altera* ad visionem adhuc pertinens, *altera* ad prophetam extra visionem constitutum; *prior* occurrit vers. 12, 13. *posterior* vers. 14. *Prior* in visione comprehendit prophetae abductionem, et symbolicam gloriae Dei repraesentationem e medio sublatam, adeoque visi cessationem, vers. 12, 13. *Et abstulit me spiritus, et audivi post me sonum ingentis fragoris, valedicta sit gloria Dei e loco suo! et sonum alarum animatorum, se invicem attingentium, et sonum rotarum juxta ea; et sonum fragoris ingentis.* Quae ad simplicem sensum redacta nihil aliud dicunt, ac finitum fuisse visum, propheta abducto, et gloriae Dei symbolo ablato; quod Interpretes minus recte perceperunt. Constituunt autem haec partem visi, sed ultimam, quacum visum penitus cessavit: cuncta, supra memorata, in visione itaque prophetae obtigerunt, quae nunc finita est. Vidit autem a. se a *spiritu tolli* et alio *transferri*; non ergo vere et corporaliter est sublatus, sed in visione tantum; uti phrasis indicat, et seqq. extra dubium collocant, quibus narratur, ipsum

ſum abiiſſe ſpiritu ducente; non ergo vere in ſublime raptus et tranſportatus eſt, ſed in viſione, in ſignum diſceſſus mox ſecuturi. Quod enim in viſione ſibi contingere vidit, illud ipſe mox abeundo praeſtitit et implevit. *b.* Statim ac tergum ſibi viſus ſit vertere, audivit, in viſione quoque, ſymbolum gloriae Dei ingente cum ſtrepitu e loco ſuo auferri. Audivit autem 1. *ſonum ingentis fragoris* clamantium, *benedicta ſit gloria Jehovae e loco ſuo*, h. e. ſonoram et ſtreperam vocem multorum clamantium audivit, dicentium cum benedictione, diſcedat hinc gloria Jehovae. Ad quorum intellectum not. 1. verba, *benedicta ſit gloria* etc. habenda eſſe pro vocibus ſonoris, quas audiviſſe ſe dicit, adeo ut haec verba audiverit magno cum clamore prolata; quod ex ſtructura orationis clare elucefcit. 2. Verba eſſe valedictoria, quibus alicui diſcedenti cum fauſta adprecatione aut gratulatione adclamatur. Quo nos clare dicit vox ממקומו *e loco ſuo*; quam minus recte expediverunt Interpretes, qui varia commenti ſunt; *e loco ſuo* nihil aliud eſt ac *e loco ſuo* diſcedens *benedicta ſit gloria Jehovae.* Intelligitur itaque hic ipſe locus, quo gloria Jehovae adparuerat prophetae in illuſtri hocce ſymbolo, unde nunc diſcedebat; voces autem, *benedicta* ſit *gloria Jehovae*, ſunt fauſtae adclamationes, quibus gloriam diſcedentem laeti et gratulabundi proſequebantur coeleſtes ſpiritus. Quem ſignificatum verbum ברך ſubinde habet, ſive in bonum, ſive in malum, ab interpretibus minus obſervatum, nam ברך *benedicere uſurpari amat*, verba ſunt Cl. Schult. ad Job. II: 5., *pro validicere alicui, hinc porro gradus factus ad uſum ſecundarium κατ' εὐφημίαν, quo valere jubemus ea, quae rejicimus, ſeponimus, amandamus, parum curamus*, etc. Proprie itaque, ut hic, pro fauſta et grata adclamatione valedictoria ſumitur, quae hic unice locum habet. 2. Praeter has voces valedictorias audivit ſtreperum ſonum *alarum* animatorum ſe plaudentium, et *rotarum*; eumque gravem et ingentem, inſtar ſoni ingentis fragoris. Ultimae enim voces, *et ſonum ingentis fragoris*, diſtinctum

distinctum aliquem sonum ab eo alarum et rotarum non designant, sed superioris soni adtributum, seu gravem esse sonum denotant, sicut modo sonus clamantium, *benedicta sit* etc. quoque cum tali sono fuit comparatus. Accedit, sonum *alarum* supra cum sono *aquarum multarum* fuisse collatum c. I: 25. Potest itaque ו in וקול ult. membri sumi pro כ *sicut:* uti haud infrequenter alias. Reliqua sunt facilia. Selecta phrasis est, qua alae dicuntur aliae alias משיקות *arcte comprehendentes* ad sonum edendum, et plaudentes cum sonitu, ut in osculando fit, cum labra labris arcte adpinguntur, et fortiter non sine sono. Proprie enim נשק dicit *labra labris conjunxit*, et arctius adposuit, unde est, *arctius adhaesit.*

§. LXXVII. *Posterior* pars tradit, prophetam, visione finita, ab eodem spiritu, a quo in visione erat abreptus, fuisse adprehensum, et ductum, ac alio discessisse ad locum suum, vel solitarium, quo meditationibus visi posset incumbere, et adfectui indulgere, ex hoc viso orto; vers. 14. *Et*, vel *cum*, *spiritus abstulit me*, *et*, vel *tunc*, *adprehendit me*, *et abivi amarus in aestuatione spiritus mei*; *etenim manus Jehovae fuerat super me valida.* h. e. Postquam visus mihi fuerim a spiritu raptus in sublime et abreptus, contigit mihi, ad me redacto, et visione finita, ut ab eodem spiritu fuerim adprehensus, et, eo ducente, discesserim in locum alium, quando amaro et aestuante adfectu fui occupatus super viso, et munere mihi demandato: fuerat enim *manus Dei super me valida* in viso, mihi oblato. Hunc existimaverim verum esse verborum conspectum et sensum. Duo de se, post visionem finitam, tradit, *alterum*, se fuisse a spiritu adprehensum, *alterum*, se tristitia fuisse ob visionem illam, et zelo aliquo repletum. *Prius* his verbis, *et sustulit me spiritus et adprehendit me* h. e. cum me in visione sustulisset spiritus, ea cessante me adprehendit, et totum occupavit, sibique vindicavit in posterum, tanquam prophetam, a spiritu Dei agendum et ducendum. Interpretes se

hic

hic implicuerunt, quod non observarint, verbum *sustulit me* ad visionem pertinere, et alterum *adprehendit* me exponere, quid spiritus iste post visionem fecerit, adeoque ו repetitum exserere usum, quo prius dicit *cum*, postquam, et posterius *tum* mox: cujus usus varia prostant exempla, ut 2 Reg. XI: 1. *et vidit — — — et perdidit*, pro *cum* vidisset, *tunc* perdidit: sic et Jer. II: 7. XX: 9. XXXII: 23. et alibi. Quo etiam facit, quod *prius* sit in praet., *posterius* in fut., ad indicandum *prius* esse factum, *posterius* nunc fieri et futurum in posterum. Exponit itaque propheta *raptus ecstatici* sensum et scopum, in spiritus ductu, quo gauderet, situm, quidque raptum illum fuerit secutum. Verborum differentia et significatus nos eo quoque ducit. Verbum *tollere* enim manifeste pertinet ad superius illud, quo in visione fuit *abreptus* a spiritu, alterum illud *adprehendere* denotat, ductum spiritus perpetuum, quo tanquam propheta gavisus est. Denotat enim לקח proprie *carpsit*, *decerpsit*, unde varii usus *capiendi*, in bonum et malum, orti sunt, idea *carpendi* in nonnullis locis in bonum adhuc residet, ut ubi de *electione* actuali in populum peculiarem sumitur Ex. VII: 7. *decerpsi vos in populum e reliquis gentibus* etc. quae idea huic loco recte adplicatur; nec non ea *capiendi* ad ducendum, uti Prov. VI: 25. et alibi; denique ad *docendum*, et doctrina ac sermone florido foecundandum; de quo peculiari usu vid. Schult. ad Job. XI: 4. Prov. I: 5. XI: 30. quo sensu pseudo-vates Jer. XXIII: 31. לקחים *foecundantes linguas suas* dicuntur: ubi vid. dicta.

§. LXXVIII. *Posterius*, quo propheta suum adfectum exponit ex viso conceptum et sibi relictum, haec verba exhibent: *et abii amarus in aestuatione spiritus mei, et manus Jehovae super me fuerat valida*. h. e. e verenda visione, quae mihi valide incubuit, hunc retuli effectum, quod tristis et aestuabundus in locum secretum discesserim. Verba continent adfectus animi, et ejus originis descriptionem; ad eum enim respiciunt voces, *ivi*, vel *abivi*, *amarus*, *cum*

aestuatione spiritus mei, et ad *hanc* ultima verba, *et manus Jehovae fuit super me valida*. *Prius* membrum nihil habet obscuri, indicat se inde, ubi visionem habuerat, alio *discessisse*, absque ut locum, quo tetenderit, definiat; qui itaque est in incerto relinquendus: praeterea declarat, se fuisse *tristem*, et *aestuabundum*, animo; respiciens ad effectum voluminis in ventriculo; ut supra observavi, et ab aliis jam notatum est. Possunt vero haec duo, vel conjungi, tanquam effectum et causam, adeoque verti *acris prae aestuatione*, et מר accipi pro *acerbo*, seu acri, indignatione exacerbato, qui in opere inpetuosus est, et fortis, sicut milites dicuntur *acerbi animo* fortes et acres Jud. XVIII: 25. 2 Sam. XVII: 8., vel ita distingui, ut *amaritudo* humanum adfectum denotet, quo *tristis* fuit super populi contumacis statu et fatis ipsi imminentibus, et a propheta denunciandis, *aestus* vero *spiritus* zelum divinum, quo animatus intrepide et contra omnia obstacula et pericula munus exsequeretur. Radix חמה proprie est *fervere*, inde fervore generose a se repellere noxam. Vid. Schult. ad Har. conf. I. p. 27. Hinc ad *socerum* transiit a fervente defensatione, nec non ad *moenia* q. d. fervidam defensatricem et inaccessam, quae se violari non patitur impune: qualem Deus promiserat se futurum vers. 8, 9. Hunc duplicem adfectum, *alium* tristem respectu populi, *alium* generosum et firmum respectu Dei et muneris, declarat se retulisse ex superiore viso, quum haec verba subjungit, *et*, vel etenim, *manus Jehovae super me valida*, scilicet, non est, sed fuit, et hinc mihi relictus est duplex hicce adfectus. Phrasis enim est in visione ecstatica describenda usitata; ut ex hoc libro manifestum est, adeoque respicitur ad *visionem* praecedentem, et ejus effectus in propheta post visionem declaratur: non itaque indicatur, *manum Dei* nunc esse super ipso, sed fuisse, et inde hunc adfectum mansisse superstitem; nunc enim non erat in visione, sed fuerat: ו in ויד *et manus*, idem est, ac *etenim*, ac rationem reddit adfectus, modo memorati. Qua ratione cuncta fiunt facilia.

§. LXXIX.

§. LXXIX. *Inauguratione* hac ratione peracta, *revelationes* sibi ordine factas recensere incipit propheta. *Prima* est, quae vers. 15. usque ad finem cap. V*ti* narratur; nova enim incipit revelatio c. VI. cum formula illa solita, *factum est verbum Jehovae ad me:* quae etiam huic revelationi praemittitur vers. 16. Praemittitur *loci* et *temporis* adnotatio, ubi et quando revelationem acceperit, vers. 15, 16. *Et adii exsules Tel-abib sedentes ad fluvium Chebar, et quia sedebant ipsi ibi, etiam sedi ibi, septem diebus obstupefactus in medio ipsorum, et factum est post finem septem dierum, verbum Jehovae ad me factum est.* Quae verba exponunt *cum eos*, quos adierit, *tum* habitum et statum situm ac eorum, *tum tempus*, quo revelatio facta est. 1. Exules, quos adiit, erant incolae *Tel-abib*. Est enim תל אביב nomen loci, ut תל חרשא, et תל מלח in Mesopotamia apud Ezr. et Nehem., et notare videtur *tumulum viridem*, seu pascuum aut sativum. Vid. Simon Onom. p. 63. Proprietas radicis אבב est in *micando*, unde fluxit *viroris* et *vigoris* rerum crescentium usus. Proxime convenit Ptolemaei *Thelda et aphphadana* ad Chaborram fluvium, quae duo sunt unius urbis nomina, ut ex tabula Peutingeriana liquet, ubi *Thelbon* tantum adpellatur. *Thelda et Thelbon* sunt ex תל formata, et ex אביב *apphadana*, addita voce פדן, unde פדן ארם pro שדה ארם; locus irriguus, pascuus, et sativus. Vid. Boch. in Phal. l. II. c. 6.

§. LXXX. 2. Quod ad statum et habitum eorum adtinet, tradit propheta *eos sedisse ad fluvium Chebar*, scilicet lugentes, et jejunantes; non enim de habitatione eorum, sed statu ac habitu adflicto agitur, quemadmodum ex seq. liquet, ubi propheta cum iis et in medio eorum *sedisse* traditur *obstupefactus*, una ergo cum iis. Quod etiam est proprie *sedere*, ut Ps. CXXXVII. ubi vid. dicta. 3. Hos exules, ibi congregatos, ut lugerent, propheta dicitur *adiisse*, et una *cum iis sedisse.* Fuerat ibi paulo ante, cum visio, supra memorata, ipsi contigit, sed, finita,

alio discesserat, ut vers. 14. habuimus, nunc vero eundem locum, ubi populus in unum erat coactus, repetiit; qua ratione omnia recte cohaerent. *Sedit* autem una cum ipsis, et in medio ipsorum, tanquam doctor, quoque taciturnus et moerore obrutus. Quo tendunt verba, quae verti: *et quia ipsi sedebant ibi, etiam sedi ibi obstupefactus in medio ipsorum.* Turbas concitavit vox אשר, quae varie punctatur, et explicatur; sed vera est lectio textualis אשר, et vocis punctatio esse debet, ut sit particula relativa, quae hic exserit usum *causae* redditionis, ut sit pro *quia*, *quod*; quemadmodum alibi haud raro. Vid. Schroeder ad Ps. X: 6. p. 141. et Jer. XVI: 13. XXXI: 32. ubi vid. dicta. Sensus ergo est, ideo se sedisse, quod illi ibi sederent. Qua ratione cuncta sunt facilia. Addit propheta, *se obstupefactum sedisse*, ad luctum et moerorem exprimendum, quem *sedendo* expingebant, ipse et illi; sed *in medio* ipsorum indicat, ipsum *doctoris* personam gessisse, cujus erat illos instruere aut consolari. Sedebant enim doctores in medio auditorum: uti notum est. Verbum שמם proprie est *siderari*, tanquam urente et pestifero adflatu, unde ad *vastationem*, et ad *obstupefactionem* animi, ut hic, transiit; adeoque denotat, ipsum, una cum illis, fuisse in mentis adtonitae horrorem defixum, et ore clausum, ut prae moerore, horrore, et stupore ne verbum potuerit eloqui.

§. LXXXI. 4. Duravit hic status et habitus prophetae et exulum per *septem dies*, quot scilicet luctui solenni, ut propter mortuos, dari solebant. Gen. L. et Eccles. XXII: 12. et Job. II: 13. uti a nonnullis, in primis Sanctio, recte observatum est: addo 2 Sam XII: 18. Vid. etiam Cl. Schult. ad Job. l. c. aliud itaque mysterium hic non est quaerendum. 5. Hoc septiduo solennis luctus finito, Deus prophetam nova revelatione dignatus est; uti diserte dicitur vers. 16. sive quod Deus prophetae hoc luctus tempus indulserit, sive quod ipsum tentare voluerit, quam esset animosus et fervens in munere, cui modo erat inauguratus: quo sequens respicere

respicere videtur pars introductoria ad novam revelationem ecstaticam vers. 17. etc. quae tacitam comprehendit reprehensionem prophetae ob stupidam illam taciturnitatem, uti mox patebit.

§. LXXXII. Duae sunt revelationis partes, *prior* introductoria et nuda sine visione, *posterior* prophetica et ecstatica. *Prior* vers. 17—21. continet admonitionem de officio speculatoris extraordinarii et vigilis, cui muneri modo erat inauguratus, fideliter fungendo, cum interminatione conjunctam, si officio deesset, respectu peccatorum, a Deo puniendorum. Ubi *a.* officium ipsi demandatum exponitur vers. 17. *Fili hominis! speculatorem dedi te domui Israelis; et audies ex ore meo verbum, et argues eos ex me*, h. e. ad animum revoces velim, personam publici vigilis in medio Israelis tibi a me commissam esse, adeoque officii tui esse, verba, quae ex mea revelatione acceperis, fidenter et fideliter eloqui, et peccatores, quibus ego mortem inflicturus sum, nisi resipiscant, serio ac convictorie admonere de judicio meo ipsis inminente. Declarat Deus, se Ezechielem constituisse *speculatorem* Israelitarum, et *officium*, ab ipso praestandum, exponit. *Dedi te*, inquit Deus, *speculatorem domui Israelis*, cujus est mala et pericula ingruentia adtendere, et populo adnunciare, ut sibi caveant, et ea praeveniant aut avertant: respicitur enim ad vigilem in specula constitutum; qui quod videt promulgat, Jes. XXI: 6.— Sed hoc loco, uti et Hab. II: 1. *speculator* est, qui in gratiam populi, et ad ejus instructionem, adtenta mente considerare debet, quid Deus ipsi in mandatis det communicandum cum populo, in specie quae judicia in peccatores pronunciet, ac paratus sit exsequi. Quo tendit *officii*, quod praestare qua speculator debeat, expositio his verbis: *et audies ex ore meo verbum, et argues eos ex me.* Duae itaque partes erant officii, ipsi demandati, *audire verbum ex ore Dei, et arguere populum ex Deo*, *prior* ad Deum, *posterior* ad populum respicit. 1. Adtendere debebat ad Dei revelationem,

eamque exspectare, et intenta mente recipere, in genere quidem omnem qualemcunque revelationem, sed in specie quae sententiam condemnatoriam in peccatores continet; ut seqq. demonstrant, 2. revelationem receptam communicare cum Israelitis, idque ea ratione, ut eos conveniat, redarguat, et ad saniorem mentem, si pote, adducat, ut judicium Dei praeveniant, vel avertant: quod est הזהיר proprie *splendentem*, vel *lucidum* facere, inde erudire, convincere, sapientem et prudentem facere. Sed quid est, quod additur, *ex me?* dupliciter capi potest, ut sit vel *ex me*, vel *a me*; *prius* dicit, eum ex Deo ejusque verbis argumentum sumere debere ad convictionem suam urgendam; adeoque *nomine et vice Dei* id agere, et ipsius verbis uti; sic Eccles. XII: 12. *posterius* dicit, eos admonendos esse, ut sibi caveant a Deo, ejusque verbo condemnatorio, et a se illud avertant, uti vers. 18., et Cocc. in Lex. accepit. Ex dictis manifestum est, prophetam hic constitui speculatorem extraordinarium, qui verbum immediate a Deo audit, et nomine Dei defert ad populum, praeterea sententiam condemnatoriam in peccatores, jam jam puniendos, latam ex Deo haurit, et peccatores de eo admonet, ut sibi caveant, et resipiscant. Quod itaque omnes pastores, et praecones euangelii sibi adplicare non debent; licet nonnulla hinc in usum suum vertere possint. Quae latius non exsequor.

§. LXXXIII. β. Officii accuratior explicatio, et prophetae ipsius ad illud fideliter implendum excitatio interminatoria, vers. 18—21. exhibetur *a.* respectu peccatorum vers. 18, 19. *Quum dixero improbo, morte morieris, nec argueris eum, nec locutus fueris ad ipsum arguendum a via ipsius improba, ad ipsum vivificandum, ipse improbus in sua perversitate morietur, et sanguinem ejus e manu tua requiram. Sed tu quum argueris improbum, nec reversus sit ab improbitate sua, et a via sua improba, ipse in perversitate sua morietur, sed tu animam tuam eripuisti.* h. e. ut officium accuratius cognoscas, et ad illud faciendum accenderis, scias velim; tu

tuum esse, ut sententiam mortis, mox exsequendam, a me pronunciatam fideliter adnuncies improbo populo, et cuivis ex ipso, eumque omni ope ad saniorem mentem compellas; ejusque officii exsecutionem cum morte vel vita tui ipsius esse conjunctam: quod si enim eam neglexeris, eandem sortem cum improbis subibis, cum iis e medio tollendus, si vero praestiteris, pro fructu et praemio habebis conservationem in vita, solo improbo morte sublato. Offert sese hic α. officii accuratior expositio β. excitatio prophetae ad illud implendum ex consideratione propriae sortis, inde pendentis α. Antea Deus duo in genere memoraverat, ad officium prophetae pertinentia, *verba ex ore Dei audire*, *et arguere* populum *ex eo*; quae nunc clarius traduntur: *prius* his verbis: *quum dixero improbo*, *morte morieris*; h. e. quum hoc verbum ex ore meo audiveris, *improbus* iste a me ad mortem est condemnatus. *Dicere Dei improbo*, *morte morieris*, est prophetae id revelare, et in mandatis dare, ut hoc ei nomine Dei declaret. Continent verba non generalem interminationem mortis, sive temporalis sive aeternae, cuivis improbo factam, sed sententiam mortis temporalis, de judicio divino testantis, in improbos latam, et mox executioni mandandam. *Improbus* est vel populus Israelis in genere, vel quisquis ex ipso in specie, foederis Sinaitici manifestus violator aut idololatra: missus enim erat propheta ad domum Israelis, et ejus erat speculator constitutus. Phrasis *morte morieris* comprehendit, stylo Script., mortem temporalem, divinitus inflictam; nec ulterius extendi debet: de quo ex cap. XVIII. clarius constabit. *Dicere Dei improbo* est sententiam in eum ferre, illudque prophetae deferendum, et cum improbo communicandum, tradere: adeoque respicit ad tempus, quo Deus eam exsecutioni mandare decrevit; sicut hoc tempore, quo missus est propheta, factum est. *Posterius*, ad prophetae officium spectans, modo in genere verbo *arguendi ex Deo* propositum, nunc latius deducitur, verbo *arguens* nonnullis additis, *ad modum*

et *scopum* ejus explicandum, quum dicitur, *loqui ad arguendum eum a via sua improba ad vivificandum eum*: quorum sensus est, eum sententiam Dei, in peccatores illos latam, non simpliciter *pronunciare* debere, sed longius deducere, quod est דבר, et ad convictionem eorum disserere eo scopo, ut a via seu vita improba sese convertant, et a morte liberati in *vita* relinquantur, quod est *vivificare*, uti constat. *Arguere improbum a via* etc. est ut ab ea recedat, et se convertat; uti vers. 19. additur. Vult itaque Deus pro singulari sua bonitate, ut propheta nomine Dei ante admoneat populum improbum, quam sententiam mortis, jam latam licet, exsequatur, ut resipiscentiae et vitae conservandae locus detur.

§. LXXXIV. *β*. Excitatio prophetae ad hoc officio probe defungendum fit per sortem ejus bonam vel malam inde pendentem; quum ipse eodem judicio sit involvendus, si negligat, liberandus, si faciat. Quo tendunt verba, *si non argueris* — — — *ipse improbus in sua perversitate morietur; sed sanguinem ejus e manu tua requiram*: si vero *argueris*, nec se converti patitur, *morietur ipse in perversitate sua, sed tu animam tuam eripuisti*. Quae huc redeunt, prophetam, si non admonuerit improbum de judicio mortis in ipsum pronunciato, tanquam reum caedis ipsius esse e medio tollendum, si fecerit, esse *salvum* futurum; *sanguinem alicujus ab aliquo requirere* est ipsum caedis reum agere, et tanquam homicidam punire. Conf. Gen. IX: 5. 6. et ibi dicta. *Sanguis* ejus est caedes ejus. Vid. cap. XVIII. Cui oppositum est, *animam suam eripere*, scilicet judicio mortis, adeoque *vitam* suam retinere. Plura ad intellectum non sunt necessaria, nec phrases ulterius extendendae sunt.

§. LXXXV. *b*. Sequitur altera pars deductionis officii, et excitationis prophetae, respectu justorum, a justitia deficientium, vers. 20, 21. *Et quum recesserit justus a justitia sua, et fecerit perversitatem, et posuero offendiculum coram ipso, ipse morietur; quia non arguisti ipsum in peccato suo morietur,*

morietur, nec commemorabuntur justitiae ejus, quas fecit, et sanguinem ejus e manu tua requiram. Sed tu quum argueris justum ne peccet justus, et ipse non peccat, vivendo vivet, quia argui se passus est, et tu animam tuam eripuisti. Quibus verbis *duo* ponuntur casus respectu justi exorbitantis, quorum *prior* habet, eum non admonitum mala morte perire; *posterior*, eum admonitum et conversum in vita conservari; in *priore* propheta idem judicium subiret, in *posteriore*, tanquam officio bene functus, salvus maneret. Uterque casus itaque pertinet ad *justum* a *justitia* deficientem, quod in *priore* diserte traditur, sed in *posteriore* subintelligitur; ut mox dicam. Ante omnia notandum est, *justum* intelligi non euangelica justitia praeditum, regenitum et vere sanctum, nec etiam hypocritam, qui externam tantum habet istius justitiae speciem, licet de alterutro cogitent Interpretes, pro diversis hypothesibus de perseverantia sanctorum, sed *legalem* justitiam habentem, in foederis Sinaitici externi et legalis observantia, quae jus dabat ad promissa externa ejus foederis, sitam. De hypocritica enim justitia ex nullo constat indicio agi; *euangelicae* quoque obstat non tantum *defectio* secundum nostram fidem, quae hic praesupponitur locum habere aliquando; sed et scopus ac orationis structura; agitur enim de *justo*, qui facit justitias, et eo ipso jus ad vitam habet, quo excidit, et mortis poenam incurrit, qui deficit, non obstante justitia ante praestita; *mors* et *vita* est temporalis et corporea; ut supra observavi. Accedit c. XVIII., ubi eadem res fusius pertractatur, legaliter *justum*, et vitam ac mortem temporalem manifeste intelligi, ut in libris Diss. S. demonstravi lib. II. c. 6. In *justum* secundum foedus legale Sinaiticum cuncta recte conveniunt, et faciles habent explicatus. Vidit quoque illud et recte urfit Rev. Hartman ad h. l. in de *Huis-bybel*.

§. LXXXVI. In *priore* casu parum est obscuri, quod nostram requirit operam; tantum not. 1. verba, *et posuero offendiculum ante ipsum, ipse morietur*, non de occasione pec-

candi et tentatione esse capienda, sed de judicio Dei, quo justus deficiens in mortem traditur; quemadmodum ex ipsa phrasi, et *morte* cum offendiculi positione connexa, facile liquet. *Ponere ante faciem alicujus offendiculum*, non est ansam peccandi praebere, et tentare, sed in ejusmodi ponere circumstantiis, quibus quis in *mortem* praecipitatur, uti mox additur, *ipse morietur*. Radix כשל proprie est *adpactus haesit*, unde מכשול *offendiculum*, ad quod ita impingitur, ut simul in eo haereatur, unde latius ad omne illud transiit, quod ruinam et interitum trahit. Sic Prov. XVI: 18. *ante confractionem elatio, ante ruinam*, כשלון, *altitudo elatio spiritus*, Ps. CXIX: 165. *pax multa diligentibus legem tuam, et non est ipsis offendiculum*, Ez. VII: 19. *quia offendiculum* exstitit *iniquitas ipsorum*, seu causa ruinae. Ipsa phrasis Lev. XIX: 14. occurrit, *coram coeco non dabis offendiculum*, quo cadat; ita hic *dare offendiculum et ante ipsum, ipse morietur*. 2. *in peccato suo mori* est propter illud tanquam causam; adeo ut sensus sit, illum peccati poenas luiturum per mortem non obstante multiplice justitia, quam ante fecerat, sed cui nunc renunciaverat.

§. LXXXVII. *Alter* casus habet, justum deficientem a justitia, sed admonitum a propheta et conversum, non moriturum, sed in vita mansurum esse, et prophetam muneris bene functi praemium consecuturum in animae suae liberatione vers. 21. Ubi not. 1. *justum* intelligi, qui quoque a justitia defecerat; uti ex praeced. liquet, et suppleri debet: nec non ex eo firmatur, quod ejusmodi justus proprie sit objectum *argutionis* prophetae, tanquam *speculatoris* extraordinarii; cum *justus*, qui viam illam retinet, ejusmodi redargutione non indigeat admodum: *promissum* quoque *vitae* non necesse erat, ut per prophetam ejusmodi *justo* fieret, cum illud notum esset, et in foedere datum justis, sed *justus*, justitiae tramite relicto et mortis reatui subjectus, opus habebat ejusmodi promisso erigi, et ad conversionem excitari. 2. Justi admonitio *ne peccet* itaque est, ne porro

peccet,

peccet, in peccando perseveret, sed resipiscat: quem sensum etiam habet phrasis *et ipse non peccet*, scilicet amplius. 3. Phrasis, *quia* נזהר *admonitus* est, significat admonitionis receptionem, et usum salutarem, ita ut idem sit, ac *admoneri se passus* est, et ita permotus ad peccati cursum sistendum. 4. Promissum, *vivendo vivet*, dicit, eum, licet per peccata morte dignum, in vita mansurum, et, sicut modo de impoenitente justo dictum erat, *ejus justitias* in censum non venturas, ita poenitenti promittitur, ejus *peccata* ipsi non nocitura, sed eum, non obstantibus peccatis, esse *victurum*. Conf. infra cap. XVIII., et ibi dicenda.

§. LXXXVIII. Pericopa exposita, *duo* subjungam observata, quorum *alterum* ad scopum ejus spectat, *alterum* ad usum, quem pastores Ecclesiae inde capere possunt. *Prius* non est in difficili; cum enim occasione *silentii* prophetae in medio exsulum in unum coactorum haec revelatio ipsi facta sit, postquam in munere prophetico esset solenniter inauguratus, facile patet, eo tendere, ut propheta ob hoc silentium tacite reprehenderetur, et fortiter instigaretur per muneris ipsi demandati considerationem, et interminationem mortis, ad munus fidentius et accuratius exsequendum; quemadmodum Deus Jeremiae dixit c. I. 17. *ne consterneris a faciebus ipsorum, ne conteram te coram ipsis.* Quod ad *usum* adtinet, quem inde capere debent pastores, et ministri euangelii; ante omnia notandum est, eos haec verba non posse tanquam sibi dicta considerare, sibique adplicare, quia non sunt ejusmodi *speculatores* a Deo missi, et ex ejus ore verba ad homines deferenda recipientes; nec etiam sententiam condemnatoriam a Deo judice in peccatores latam promulgare possunt, et eo nomine eos ad poenitentiam excitare, nec poena mortis ipsis incumbit, si id non agant, singulisque dicant, eos esse a Deo devotos morti. Conveniunt haec tantum in prophetas, ad id speciatim et expresse missos, uti Ezechielem et similes. Possunt tamen et debent hinc colligere, se in munere sibi demandato debere fideles

esse

esse et constantes, peccatores per minas et promissa permovere ad resipiscentiam; quod nisi fecerint, se Deo fieri obnoxios, et ejus vindictam in se provocare: etc.

§. LXXXIX. *Posterior* revelationis pars, quae ecstatica est, continet, post praefationem, varias visiones tunc acceptas, vers. 23.— VII: 27. Praefatio vers. 22, et 23. init. notitiam tradit *cum* ecstasios, in quam incidit, *tum* loci, ubi visiones ipsi contigerunt, his verbis. *Et fuit ibi super me manus Jehovae, et dixerat mihi, surge et egredere in vallem, ibique tecum loquar; et surrexi et egressus sum in vallem.* h. e. cum mihi dixisset Jehova, ut me in vallem conferrem, egoque id fecissem, manus Jehovae mihi mox incubuit, ita ut in ecstasin inciderim. Hac ratione voces sunt ordinandae, quia phrasis, *manus Jehovae fuit super me*, ecstaticam revelationem constante suo usu denotat, quae ipsi non contigit, nisi quum in vallem venisset; oportet itaque *dictum*, seu *jussum* Jehovae de *valle* adeunda, et exitus ejus ad eam, praecesserit; adeoque ויאמר *et dixit* vertatur, *et dixerat*, cum, seu postquam *dixisset*, et ego venissem in vallem. Conf. similem usum verbi hujus Jes. XXXVIII: 21. et ibi Cl. Vitr. Interpretes aliter instituunt, sed contra usum phrasios, *manus Jehovae fuit super me;* qui si retineatur, ut debet, *alterutrum* dicendum, vel ipsum in visione surrexisse et abiisse in vallem, non vere et corporaliter, vel praecessisse mandatum de valle petenda, ejusque exsecutionem. *Prius* admitti nequit, quia, si in eodem loco mansisset, ratio mandati cessaret, nec ipse in valle, sed ad fluvium Chebar, visum habuisset, cum tamen *fluvius* iste hic distinguatur a loco, ubi visum nunc recepit vers. 23. Oratio quoque, *dixit mihi surge* ——— *et surrexi* ——— nimis plana est et simplex, quam ut de *visione* capi possit, conf. c. XXXVII. ubi longe alia phrasis. Ceterum, quae *vallis* fuerit, et *quare* eo secedere debuerit propheta, non constat. Fuisse videtur *campus* aliquis patens, eo nomine notus, quare ה demonstr. praemittitur, nec inde longe remotus:

motus, et ideo in locum *visi* electus, ut ibi liberior esset propheta, a loco, ubi lugens cum lugentibus sederat, obstractus. Alia ratio fuit secessus prophetae in *vallem* cap. XXXVII. de quo postea.

§. XC. *Prima* visio, quae ipsi contigit, est inaugurationis symbolicae renovatio et confirmatio, simul *instructoria*, qua ratione sese in posterum gerere debeat, ad superiorem admonitionem, vers. 17—21. clarius explicandam. Continet itaque *duas* partes *α*. visi gloriae Dei, antea facti cap. I., renovationem vers. 23. *Ecce ibi* (in valle,) *gloriam Jehovae stantem! sicut gloriam, quam vidi ad fluvium Chebar.* Scilicet in omni complexu suo, omnibus itaque partibus eandem; cap. I. descriptam, et expositam. Cujus renovatio eo videtur spectasse, ut *cum* animo ejus altius imprimeretur, *tum* ipse in munere confirmaretur, et magis corroboraretur, ad munus fidenter et fideliter exsequendum, *tum* denique, ut in visi istius scopum et sensum duceretur per nova visa, quae judicia Dei in populum Judaeum repraesentarent; quae mox sequuntur. *β*. *Altera* pars est verbalis, et instructoria, qua Deum ad se audivit loquentem, posteaquam *spiritu Dei* fuerat erectus et firmatus, seque instruentem, quando sese occultare, aut in publicum prodire, tacere aut loqui debeat. Misso effectu, quem visum in ipso habuit, et spiritus confortatione, quae ipsum ad Deum audiendum reddidit aptum, de quibus supra vidimus c. II: 12.; sermonem instructorium consideremus, et exponamus, vers. 24—27., cujus *tres* partes sunt; *prima* ad *occultationem* ejus spectat, opposite ad manifestationem ejus publicam, vers. 24, 25. *secunda* de silentio agit aliquando tenendo vers. 26. *tertia* de tempore, quo loqui debeat, vers. 27. Quae, quoad sensum *litteralem* parum videntur habere difficilis, sed quoad verum conspectum et scopum multum, nec hactenus, quantum novi, recte expeditum. Inspiciamus 1. *litteralem* sensum, et dein 2. in scopum et conspectum inquiramus. 1. *Primum*, hic memoratum, continet mandatum de inclusione domi, tan-

quam in carcere, absque ut in publicum prodeat, his verbis vers. 24, 25. *et dixit mihi, intra clauditor in medio domus tuae; et tu, fili hominis, ecce posuerunt super te funes, iisque te ligarunt, nec egredieris ad eos, seu in medium eorum.* h. e. ecce, fili hominis, funes in te conjecti, quibus ligatus es; jubeo enim ut domi te contineas, tanquam in carcere, nec in publicum libere prodeas. Continent verba et mandatum, et signum externum status, quem secundum mandatum teneret: ipsum *jussum* est, ut domum intraret, et ibi tanquam *clausus* haereret, ita ut egredi non potuerit in publicum. Additur signum externum, ad illud expingendum et confirmandum, in *ligatione* prophetae situm, *ecce dederunt super te funes, et ligarunt te iis*; scilicet ministri Dei, seu angeli, in visione; non enim verba de fut., sed praesente loquuntur, et significant, non, quod *vinciendus* sit, uti capi solet, et varie exponi, sed quod *vinctus* jam sit. Quod non nisi de *visione* intelligi potest. Statim itaque ac verbum Dei de *inclusione domi* ad ipsum delatum est, vidit se funibus vinctum, in signum inclusionis tanquam in carcere, ad statum illum, quem domo inclusus teneret, expingendum et confirmandum.

§. XCI. *Secundum* est, linguam ipsius a Deo esse palato ejus adfigendam, ipsumque esse *mutum* futurum; nec *arguentem* fore virum in medio populi, vers. 26. *Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, erisque mutus, nec eris ipsis vir arguens, quia domus rebellis sunt.* Quae continent *antecedens* et *consequens*, una cum ejus causa. *Antecedens* est, *linguam* ejus *palato* adhaesuram, et eum futurum *mutum*, h. e. tristitia et moerore confusum non nisi triste murmur editurum, non libere et hilariter quicquam prolaturum. Sensus itaque non est, ipsum vere et litteraliter *mutum* futurum, qui vitio linguae plane ineptus est ad loquendum, *cum* quod ejus nullum exstet indicium, *tum* quod ubique in seq. sistatur semper loquens, *tum* denique, quod non simpliciter dicatur, eum *mutum* fore, sed *linguam palato*

lato adhaesuram, et inde *mutum* esse reddendum. Phrasis, *lingua palato adhaeret*, usurpari solet de eo, qui vel sui quasi enectus, vel moerore confectus est. Conf. Ps. XXII: 16. CXXXVII: 6. Thren. IV: 4. aut etiam stupore et pudore confusus, ut vix fari possit, Job. XXIX: 10. et apud Poetam.

Obstupuit, steterumque comae, et vox faucibus haesit.

Quod idem verbo אלם comprehensum est: proprie enim dicit *ligavit*, *ligando* adstrinxit, unde transiit ad os vel linguam ligatam, et *obmutescere* dicit, praeterea ad graviorem dolorem et luctum, quo tanquam vinculo ligamur. Declarat itaque Deus, prophetam personam praelaturum tristitia et stupore obrutam, quae libere et fidenter loqui nequeat, sed triste tantum murmur ciere solet. Quo sensu *mutus* etiam usurpatur Jes. XXXV: 6. et *lingua balbutiens* ib. XXXII: 4. opposite ad nitidam, disertam et hilarem, loquelam. Quod ipsum ex consequente quoque confirmatur, *nec eris ipsis vir arguens*, qui ad convictionem et persuasionem loquitur, in specie laeta et grata; quae *candent*, et animum permulcent. Est verbum הוכיח proprie facere, ut quid *candicet*, inde ad evidentiam demonstrare, convincere simul et emendare, etiam, in bonum, pro aliquid in clara luce collocare, et jus alicujus demonstrare, atque adjudicare: de quo vid. Schult. ad Job. Licet sese quoque in malum flectat, pro *increpare*, imo *conviciari*; hic tamen potissimum sumerem in bonum, ut exposui, ob has rationes, 1. quia illud rectius antecedenti, tanquam consequens, respondet. Moerore confectus, et inde mutus, rectius dicitur non posse animum alterius luce perfundere, quam non posse increpare, non posse animum flectere et erigere in spem laetam, quam non posse reprehendere. Est enim ejus, qui linguam habet palato adfixam, et inde *mutus* est, magis proprium, tristia murmurare, et alios absterrere, quam ad convictionem, et

consolationem ac emendationem loqui, et fidenter disserere. 2. Quia proprium prophetae munus foret, increpare et objurgare populum, et per minas ac judicia Dei perterrefacere: ut modo, vers. 17.— et supra cap. II. ac III. vidimus. Dici itaque non poterat, ipsum non fore virum redarguentem, et increpantem in medio Israelitarum: accedit, ipsum, antequam liberam nactus est linguam, in populo reprehendendo fuisse totum: ut ex hoc libro patet usque ad c. XXXIII: 22. quando cessavit esse *mutus*. Interpretes varia sunt commenti ad hoc expediendum, sed frustra laborarunt. 3. Ratio, quae datur, quare non sit futurus vir arguens, in hanc hypothesin unice quadrat, non in communem illam de populo non reprehendendo, *quia domus rebellis sunt*. Tantum abest, ut propterea ab hoc officio desistere deberet, ut contra eo cum maxime fungi: quemadmodum cap. II et III. diserte habetur. Sed, quia tales erant, recte dicitur, prophetam iis non fore virum *arguentem*, quatenus eos convincere, flectere, et laeta iis annunciare non posset. 4. Denique sequens, seu *tertium*, quod subjungitur, ingens momentum huic interpretationi addet, si recte intelligatur: ad quod pergo.

§. XCII. *Tertium* his verbis profertur vers. 27. *Et*, vel *deinde*, *cum te adloquar*, *aperiam os tuum*, *dicesque ipsis*, *sic dixit Dominus Jehova*, *audiens audiet*, *et flaccescens flaccesset*, *quia domus rebellis sunt*. h. e. Quum deinceps tempus venerit, quo laeta et prospera tibi promulganda commisero, personam tristem, et obstupefactam, mutamque depones, et ore aperto libere, facunde ac hilariter, proferes mea dicta, nomine meo usus; nec sine successu, *audiens* enim, seu qui aures habet, audiet inter illos, reliqui, qui non adverterint, sint maneantque tales, quales non deerunt, *quia domus rebellis* sunt. Quam paraphrasin α. illustrabo β. adstruam. α. Ad eam explicandam duo tantum sunt observanda, *alterum*, verbum דבר hic singularem exserere usum, quo *verbis solantibus adloqui*, quod alias dicitur *loqui ad cor*, denotat, ut

Lat.

Lat. fuum *adloqui* ufurpant. De quo egi ad Gen. XLIX. §. 201. et Mal. III. §. 169. *alterum*, *aperire os* effe, poteftatem dare libere, facunde, et ad perfuafionem ac confolationem loquendi, oppofite ad trifte illud murmur moerentis, et muti. Conf. Jef. XXXII: 4. XXXV: 5. et ibi Cl. Vitr. in primis Ezech. XXIX: 21. Addatur, ex fuper. repetendum et fupplendum, ipfum tunc fore populo *virum arguentem*, quo fenfu fupra expofui. β. Quod ad demonftrationem adtinet; licet ex modo jacta hypothefi de perfona trifti et muta fponte fua fefe commendet, cum *apertio oris* fuperioribus fit contraria, ex cap. XXXIII: 22. extra dubium collocari videtur. Narratur ibi, nuncio de Hierofolyma deftructa ad prophetam delato, ipfum ceffaffe effe *mutum*, os apertum effe nactum, et retinuiffe. Ab illo enim tempore, quod not., prophetae non nifi laetae et jucundae revelationes de populi liberatione et inftauratione contigerunt, ut ex feqq. capitibus manifeftum eft. Ex quo, ni fallor, manifeftum eft, *os* prophetae claufum ad triftia, et *apertum* ad laeta effe referendum, conf. Ez. XXIX: 21. Accedit, non dici, ut fupra, *five audiat*, *five flaccefcant*, fed *audiens audiet*, *et flaccefcens flacceffet*; quo indicatur, conciones prophetae a nonnullis effe recipiendas, fecus ac antea erat factum, cum triftia et minacia prophetabat, quae rejiciebant, dum adhuc ftabat Hierofolyma, et fpes eos alebat proximae liberationis. Additur *flaccefcens flaccefcet*, *quia domus rebellis* funt, ad indicandum, ab omnibus eam converfionem non effe exfpectandam, propter nimiam eorum perverfitatem et obftinationem.

§. XCIII. 2. Ex dictis difficile non fuerit, in verum pericopae *confpectum* et *fcopum* penetraffe, quem Interpretes, qui hic varia commenti funt, et a nobis fuo loco relinquuntur, non perceperunt. Licet non negaverim prophetam, hic in genere admoneri de fe in tota converfatione fua ad voluntatem Dei, fibi revelandam, adcommodando, ita ut fe domi contineat, in publicum prodeat, filentium teneat, os

aperiat, non quando ipse, sed Deus voluerit, et ipsi praeceperit; secus ac modo fecerat, quum coetum exsulum adiit, et obstupefactus in medio eorum sedit ore clauso: nullus tamen dubitaverim, quin pericopa eo collineet, ut *duplex periodus* muneris ipsius ipsi ob oculos poneretur, *altera*, qua tristia et dura proferret, nec aliquid proficeret, apud exules contumaces, *altera*, qua laeta et prospera praenunciaret, majore cum fructu apud eos: *prior* mox cum munere suscepto inciperet, et *posterior* deinceps, quando Deo fuerit visum, quum laetior ipsi daretur revelatio: quae ratio est, quare non tantum *illa* praemittitur, sed propheta *jubetur domo* se includere; *posterior* suspenditur ab *adloquio* Dei, suo tempore post futuro. Ex eventu vero adparuit, *priorem* durasse usque ad Remp. Jud. penitus destructam, et nuncium ejus rei ad prophetam adlatum; tunc incepisse *posteriorem*; uti ex c. XXXIII. clarissimum est. Eousque in vitiis ac criminibus populi proferendis, et reprehendendis, ac judiciis divinis promulgandis totus fuit, ut ex revelationibus, eousque habitis, elucescit, sed ab eo tempore non nisi laeta et prospera adnunciavit, et populum cum fructu ad mores emendandos adhortatus est, ut ad bona illa consequenda praepararetur: quo tendunt revelationes c. XXXIV. et seq. Ad *priorem* periodum depingendam jubetur propheta, durante illa, secessum quantum pote quaerere, domi se conclusum tenere, quasi funibus ligatum; et instar lugentis, cujus lingua palato adhaeret, verba quasi lamentando, et mutiendo proferre; ut *cum* ipse sese tristitia et stupore esse obrutum demonstraret, ne adflictione publica, et duris revelationibus, videretur laetari, *tum* statum populi, in specie arctam Hierosolymae obsidionem, et destructionem in sua persona repraesentaret, uti cap. XXIV. diserte habetur, *tum* denique ipsi insinuaretur, non nisi tristia et calamitosa ipsum a Deo auditurum et cum populo communicaturum esse; adeo ut laetorum et prosperorum respectu vox faucibus haereat, et mutescat, sive obstupefacti et muti instar sit, et

tristium

tristium respectu lamentabile murmur magis cieat, quam libere et fidenter loquatur. Convenit huic statui prophetae quod Jer. XV: 17. de se fatetur, *non sedi in coetu residentium, et exsultavi, propter manum tuam solitarius sedi, quum aestu effervescente implevisti me*: ubi vid. dicta. Ad *posteriorem* periodum pingendam pertinet *apertio oris*, ut facile cernitur ex supra dictis: quare plura non addo, nisi illud unum, simul includi publicam sui manifestationem, ut in die solenni et laetiore, opposite ad inclusionem domi, et ligationem. Conf. Jer. XV: 16.

CAP. IV.

§. XCIV. Secunda visio, *quatuor* vel *quinque* comprehendit *urbis* obsessionis, et destructionis *populi*, per Chaldaeos emblemata, successive ipsi contemplanda oblata, cap. IV et V. Quorum א, primum est tabulae lateritiae positio ante ipsum, Hierosolymae insculptio, et instrumentorum adparatus ad oppugnandum ipsi imperatus vers. 1, 2. *Et tu, fili hominis! sume tibi tabulam lateritiam, eamque coram te constitue, et in ea urbem sculpe Hierosolymam, et pone contra eam turres, et funde contra eam aggerem, et pone contra eam castra, et adpone in eam arietes, circumquaque.* Quae, ut facile adparet, symbolicam continent descriptionem obsidionis et oppugnationis Hierosolymae per Chaldaeos, quorum personam hac in visione praefert propheta; sicut *tabula lateritia* emblema est Hierosolymae, ipsi inscriptae, ita prophetae habitus et actiones expingunt obsidionem et oppugnationem Hierosolymae per Chaldaeos; addidi expresse *oppugnationem*, quia eam existimem comprehendi ultima phrasi, *ponere in eam arietes*, quae non collocare simpliciter, sed et emittere denotat; secundum usum verbi שׂוּם *ponere* bellicum, quo impressionem denotat hostilem, ut Gr. ἐπιτίθεσθαι

Job. I: 17. IV: 20. 1 Sam. XV: 5. 1 Reg. XX: 12. Quod etiam instrumento poliorcetico, hic occurrenti, est convenientius. *Arietes* enim non ponuntur simpliciter, sed imponuntur in urbem seu muros, cum in eos quatiuntur. Vox כר est a כרר *salire*, *insilire*, et inde ad *arietem* transiit, animal saltatorium, nec non in oves insiliens, ad instrumentum poliorceticum eandem ob rationem, quod in muros insiliat, refertur, Gr. dicitur *κριος* et Latin. *aries*, ut et *ἑλεπολις*: uti notum est. Conf. Ez. XXI: 22. Reliqua pertinent ad *obsidionem*, uti *aedificare* דיק, et *fundere aggerem*, *constituere exercitus*, seu *castra*: quae nihil habent difficilis. Vox דיק recte sumitur pro *turri* moenibus *pulsandis* et *comminuendis* admota, a rad. דוק, eadem ac דקק, *contudit minutissime* in pulverem veluti, aut farinam: *cum* quod verbum *aedificare* ei conveniat, tum quod cum *aggere* recte conjungatur. Utramque, et *obsidionem* et *oppugnationem*, quoque comprehendit phrasis generalis, quae praemittitur, *dabis*, vel *da*, *contra eam* מצור proprie stringentem *arctationem* ad summum usque discrimen, a rad. צור proprie *stringere*, *arctare*, vid. Schroeder ad Ps. X: 1., quae et obsidionem et oppugnationem involvit. Imaginem vero Hierosolymae gerit *tabula lateritia*, *nomen* vel *figuram* Hierosolymae inscriptam, vel incisam, habens, alterutrum, vel utrumque, enim intelligi potest. Sed Sanctius ulterius ad sequentia, seu machinamenta et castra mox memoranda, extendit, acsi ea omnia fuissent incisa, contra clara textus verba, et ex falsa hypothesi, acsi propheta, domo inclusus, populo spectandam misisset in lamina quadam universam obsidionem et oppugnationem. Vox לבנה *laterem* designat; a *linendo*, quo pingitur et formatur: adeoque non crudum et mollem, sed coctum et igne induratum, cui quid insculpi potest, quod est חקק proprie *incidere*, incidendo lineas insculpere, uti Job. XIX: 23. in specie *albicantem*; propria enim verbi לבן potestas videtur esse *linendi* vel *liniendi*, unde multi alii usus fluxerunt. Quod emblema in rem erat satis aptum, cum urbs

urbs sit *muro* circumdata, et splendidis aedificiis constructa; sed quae confringi et contundi poterat: nec aliud hic quaerendum est mysterium.

§. XCV. ב. *Secundum* est *sartaginis* ferreae, in usum parietis ferrei inter prophetam et urbem, ab ipso tollendae, et obsessionis cum effectu repetitae, qua urbs expugnaretur, vers. 3. *Et tu sume tibi sartaginem ferream, eamque pone parietem ferreum inter te et inter urbem, et adpone firmiter faciem tuam ad eam, et erit in obsidione, et coarctabis illam: signum hoc sit domui Israelis!* h. e. ferreum instrumentum, parietis instar ferrei, inter te obsidentem et urbem obsessam erectum ad te arcendum ab obsidione, et urbem tutandam, vultu tuo adposito, e medio tolle, et resume cum effectu obsidionem, urbemque expugna; in signum impedimenti obsidionis a Chaldaeis auferendi, et urbis denuo arctius obsidendae ac expugnandae ab illis. Littera emblematis parum habet difficultatis, modo recte capiatur. Jubetur 1. propheta sumere *sartaginem ferream*, eamque erigere in *parietem* ferreum inter se et urbem: vox Hebr. מחבת notat *sartaginem*, seu instrumentum planum et latum, ad coquendas placentas, a rad. חבת *planus*, *complanatus* fuit, unde vox חבת omnem terram planam et late patentem denotat, et hinc *placentam* Gr. πλακοῦντα panem in πλάκα *planiorem* et *latiorem formam* ductum: πλὰξ est tabula plana et lata, cui convenit מחבת. Haec tabula ferrea inserviret loco *parietis* ferrei, inter prophetam et *urbem* scilicet tabulae lateritiae insculptam, quo hic respicitur, adeoque litteraliter inter *ipsum* et *laterem* ab ipso obsessum; non itaque ad juvandam, sed intercipiendam et avertendam obsidionem; quod probe notandum: non enim *paries* ejusmodi erectus alio poterat respicere, quam ad obsessorem impediendum. Cum enim aggerem et turres circumdedisset urbi; *paries* ferreus, cui usui ipsi foret? Tendebat itaque ad obstaculum injiciendum obsessioni, et urbem obsessam tutandam; quare cum pariete comparatur, et sartaginis imago sumta est,

cum adlusione ad radicem similium litterarum חבא et חבה *occultavit*, tanquam *sub vase superinjecto*. Licet enim *sartaginis* usus sit, a חבת *planus*, *complanatus* fuit, adludi tamen potuit ad aliam rad. חבה; uti et aliis in casibus fit; ut Jes. XIII: 6. *ficut* שד משדי *vastatio a Schaddai*; et alibi. Quo etiam facit, quod propheta 2. mox jubeatur faciem contra *hanc sartaginem* ponere, ut eam loco moveat, et sic resumere obsidionem, ac ad finem perducere. *Prius* his verbis effertur, *et firmam dabis faciem tuam ad eam* scilicet *sartaginem* intermediam, de qua hic agitur, et modo sermo factus erat, quae quoque proxime in oculos incurrebat, cum *urbs* per interjectam hanc tabulam ferream fuerit oculis erepta: in *eam firmare vultum* est, vultum minacem et hostilem in et contra eam vertere, et fixum tenere; adeoque declarare, eam esse destruendam; quemadmodum ex vers. 7. elucescit, ubi huic phrasi, explicationis gratia, additur, *et brachium tuum* sit *nudatum*, *contraque eam vaticinaberis*: *Posterius*, ad urbis obsidionem resumtam pertinens, habet, *et erit firmiter in obsidione*, *et coarctabis illam*. Quae dubium non est quin ad *urbem* respiciant, ut facile patet, dicantque, eam, remota nunc sartagine, pressius esse et sine intermissione obsidendam, donec expugnetur. Verbum היה exserit hic usum, quo *stabilem* dicit et plenam existentiam, in omni vigore suo; de quo dixi ad Mal. II: 5. p. 173. Indicatur, obsidionem, modo memoratam, fuisse minus stabilem, sed interruptam per interjectam *sartaginem* ferream in *parietem ferreum*; nunc vero fore stabiliorem, et immotam, ad finem usque; praeterea fortiorem et arctiorem fore, adeo ut ad incitas sit redigenda urbs, et expugnanda; quod indicatur verbis sequentibus, et *arctabis eam*. summa constrictione ad ultimum discrimen; ut supra in מצור observavi.

§. XCVI. Hac admissa explicatione litterali, sensus emblematicus longe alius sese offeret, ac quem Interpretes, qui hic in diversa abeunt, et mirifice ludunt, perceperunt: quae

quae suo loco relinquo, cum sponte ruant. Cum novum sit emblema, a superiore distinctum, ad eandem tamen obsidionem Hierosolymae pertinens, *sartago ferrea* hic conspectum ferat *parietis* inter obsessam urbem et obsidentes hostes interjecti, adeoque impedimenti, ad urbem tutandam et obvelandam destinati; sponte ducimur ad Hierosolymae obsidionem interceptam et intermissam per AEgyptios, in ejus defensionem sese moventes; et docemur, illum *parietem*, quam firmum etiam in oculis obsessorum, esse e medio tollendum, seu AEgyptios esse repellendos; et, eo facto, obsidionem fortius et cum majore successu resumendam, ac ad finem, seu expugnationem usque, immobilem futuram. *Sartago ferrea*, in *parietem* erecta inter urbem obsessam et obsidentes, expingit AEgyptios, ad urbem tutandam accurrentes, et efficientes, ut obsidioni fuerit aliquod impedimentum injectum, eaque sit soluta. Quod cum a propheta, jussu Dei, fuerit factum, indicatur, illud speciali Dei providentiae esse acceptum ferendum, et a propheta, tanquam *vate* effectum, cum ut tempus daretur Judaeis excidium urbis praeveniendi per deditionem et subjectionem Chaldaeis, tum piis occasio daretur *elabendi*, uti Jeremias voluit, et nonnulli fecerunt Jer. XXXVII. XXXVIII. *Remotio* hujus impedimenti, per *vultum* prophetae in illud conjectum indicata, respicit ad AEgyptios per Chaldaeos repressos, et fugatos; uti ex historia constat. Minans enim et fixus prophetae intuitus in hanc sartaginem instar realis prophetiae erat de ejus sublatione; quemadmodum per *prophetare contra* urbem explicatur vers. 7. Egit itaque hic personam *vatis*, ut modo in sumenda *sartagine*, sed simul expinxit hoc suo habitu AEgyptios a Chaldaeis esse prosternendos, et metu percellendos, ut discesserint: quemadmodum *videre* in re bellica usurpatur de conflictu; uti 2 Chron. XXV: 21. Ps. XLVIII: 6. CXII: 8. LIX: 5. et Deus Ex. XIV: 24. *ex columna nubis* et ignis *intuitus* est exercitum AEgyptiorum. Talis etiam hic est prophetae intuitus firmus fixusque

que in hanc *sartaginem*, qua impetum bellicum in eam fecit et destruxit. Quo facto, *urbs fuit in obsessione*, et *a propheta arcte pressa*, quatenus longe gravior et tortior secuta est Hierosolymae obsidio et angustatio, quae firma fuit et fixa ad usque expugnationem. uti notum est.

§. XCVII. Commendat hanc hypothesin 1. quod emblemati, et eventui, apte respondeat, ut ex dictis liquet. 2. quod utriusque emblematis, et hujus et superioris, connexio et discrepantia sibi hac ratione constet. Utrumque pertinet ad obsessionem urbis per Chaldaeos, et haec est *connexio*, sed prius ad urbis priorem obsidionem, posterius ad ejus solutionem per injectum impedimentum, et repetitionem arctiorem, adeo ut per hoc quid novi figuretur, sicut requirit distinctum emblema, 3. Casus hic singularis interceptae et resumtae obsidionis negligi non poterat, et in seqq. emblematibus etiam locum invenit, ut quod primum 390 dies, dein 40 lateri incumberet, quorum illud ad priorem, hoc ad posteriorem obsessionem pertinet, ut mox patebit; nec non quod cum mensura quaevis legumina tantum ederet et aquam biberet, dein panem tantum hordeaceum, cum excremento hominis vers. 12. quorum illud ad 390 dies restringitur vers. 9., hoc itaque ad reliquos 40 dies, seu posteriorem obsidionem, referendum est.

§. XCVIII. ג. *Tertium* emblema est prophetae, funibus a Deo ligati ac super sinistro latere 390 dies, et dein super dextro 40 dies decumbentis, vultumque Hierosolymam versus tendentis cum brachio extenso, et prophetantis, vers. 4—8. In qua pericopa cum litteralis et emblematicus sensus permisceatur, ita ut uterque tradatur; nos α. litteram β. sensum emblematicum et scopum distincte contemplabimur. α. Ad *litteram* tria pertinent, *ligatio* prophetae, *cubatio* super lateribus, et *prophetandi* actio. *a. Primum* continet *ligationem* prophetae, ultimo quidem loco narratam, sed cum cubatione mox factam, ut facile liquet ex scopo ligationis addito, *ne se ab uno latere in alterum converteret*,

vers.

vers. 8. statim itaque ac super sinistro latere cubaret, funibus a Deo constrictus et terrae adligatus est, ne se verteret; dein momento solutus, ut in dextrum latus se verteret, rursus ligatus est eodem modo. Quae ligatio diversa est ab ea c. II. 25. ut facile adparet; licet confusa sit a multis. Visa enim sunt longe diversa. Respicit itaque ligatio non ad cubationem super uno latere dextro, sed utroque, et significat, eum in ea positura mansurum constantem et immobilem, usque ad terminum fixum. *b. Secundum* continet *cubationem* primum super *latere sinistro* per 390 dies; dein *dextro* per 40 vers. 4—6. adeoque in universum dies 430. seu annum I. M 2 D. 6., intelliguntur enim anni lunares dierum 365. Sunt, qui volunt, prophetam in universum in utroque latere tantum cubasse 390 dies, reliquos 40 censentes eo numero comprehendi, sese in vers. 9. fundantes, ubi 390 dies tantum memorantur, quibus ad mensuram ederet et biberet: sed non adtenderunt, id tantum pertinere ad cubationem *super latere sinistro*; et vers. 12. referendum esse ad *super dextro*; ut patebit suo loco. Nostrum emblema ab eo est diversum, et nihil de cibo et potu habet, nec textus illam interpretationem admittit, 1. quia diserte distinguuntur, et separatim memorantur, 2. posteriori cubationi praemittitur, vers. 6. *et absolvisti illos et cubabis super dextro* h. e. cum illos absolveris, tunc *cubabis*, seu illis exactis cubabis, nec aliam patitur phrasis explicationem, 3. quia subjungitur ibid. שנית *altera vice*: argumento, 40 dies pertinere ad alteram et distinctam cubationem. *c. Tertium* est, eum in ea positura vultum debere fixum habere contra urbem Hierosolymam, et brachium nudatum, eoque extensum, ac *prophetare* contra eam: vers. 7. *Et ad obsidionem Hierosolymae firmam figes faciem; et brachium tuum sit nudatum, et prophetabis contra eam* h. e. Vultu, brachio, et ore repraesentabis Hierosolymae obsidionem, ejusque consequentia tristia, diu duratura. *Priora* duo consideranda sunt, tanquam signa obsidionis, vastationis,

tiodis, et ejus consequentium, per Chaldaeos; uti facile cernitur, et ex voce *obsidionis* addita clarius elucescit. *Vultum figere* et *brachium nudare* contra Hierosolymam obsessam, est declarare, ac expingere, eam vultu minace ac viribus exsertis a Deo per hostes esse oppugnandam. Quod nihil habet difficilis. *Posterius*, *prophetare contra* illam, comprehendere potest, et *realem* per signa memorata, et *verbalem* prophetiam, ore prolatam. Quod utrumque hic conjungi potest. Ceterum haec verba eo tendunt, ut prophetae posituram, modo descriptam, ad Hierosolymae obsidionem ejusque consequentia, spectare, significaretur; nec tamen, acsi obsidentium personam in ea positura praetulisset, sed obsessorum, ad quam declarandam oculos, et brachium tendere debebat Hierosolymam obsessam versus: acsi haberetur; obsessorum praefer statum et habitum, et signis gestisque declara urbem esse obsidendam ac exscindendam; ut intelligant, tuam posituram ad urbem obsessam spectare.

§. XCIX. β. Intellectus emblematis figuratus, ejusque scopus, ut in lucem prodeat, notandum est, 1. prophetam hic non, ut antea, hostium obsidentium, sed *Judaeorum* obsidendorum, et in exsilium abducendorum, personam gerere. Cujus clarum est in eo indicium, quod *iniquitatem* domus Israelis et Judae dicatur *portaturus:* quemadmodum in seq. emblemate penuriae et sordidi victus ac potus diserte subjungitur vers. 13. *sic comedent filii Israelis inter gentes* etc. Quo etiam facit, quod positura ejus referatur ad *obsidionem ejus* vers. 8., argumento, ipsum nunc obsessorum gerere personam. *Judae* vero additur *Israel*, ut, emblema ad totum populum, ejusque defectionem, et statum poenalem, respicere, indicaretur. 2. Posituram prophetae praeferre conspectum non *peccati*, sed *poenae*, adeoque phrasin, *ferre iniquitatem*, significare *poenam* peccati ferre; uti a nonnullis recte observatum est: licet passim de contumacia in peccatis interpretentur, vel *peccatum* et *poenam* conjungant. Rationes nostrae sunt. a. Phrases, *ponere iniquitatem super se*, et *ferre eam*,

tam, non patrationem, sed *poenam* ejus denotant. Conf. cap. XVIII: 20. Jes. LIII. et alibi. *b*. Positura prophetae, quae et ligationem et cubationem super lateribus comprehendit, non nisi ad *poenam*, seu malum triste ex peccato ortum, referri potest. Exprimit enim conditionem vilem, servilem, adstrictam, et miseram. *c*. Manifeste spectat ad *obsessorum* statum, ejusque consequentia; ut modo vidimus, et mox ex *numero dierum* quoque adparebit.

§. C. 3. *Tertia* thesis est, *durationem* posturae prophetae habere duplicem respectum, *alterum* ad tempus obsidionis Hierosolymae, *alterum* ad tempus status vilis, servilis et adflicti post Hierosolymam destructam: de quo distincte est agendum. *a*. Prior relatio, quae directe et primo intenditur, ad durationem obsidionis Hierosolymae claris et certis nititur fundamentis. 1. *Primum* est, quod dies *obsidionis* adpellentur, quibus cubaret, nunc in uno, nunc in altero latere, vers. 8. 2. *secundum*, quod ea in positura jubeatur vultum vertere, et brachium nudare ac prophetare contra Hierosolymam obsessam vers. 7., argumento, eo spectasse hanc posituram, ut supra observavi. 3. *Tertium* est, quod numerus dierum in tempus obsidionis conveniat, et inde ratio unice capi possit aptissima *dierum* 390 super uno, et 40 aliorum super altero latere. Duravit obsidio 18 mensibus in universum, seu *anno* et *dimidio*; incepit enim anno IX*no* Zedekiae, M. 10*mo*, Die 10*mo*, et duravit usque ad annum ejus XI*mum* M. 4*tum* d 9*num* 2 Reg. XXV. Jer. LII. Jos. Ant. X: 10, 11. Quibus d erum numeris demendi sunt 3. menses et dies 27, quibus soluta fuit obsidio per AEgyptios ad Judaeorum auxilium advenientes; quibus debellandis totum illud tempus insumtum est, quando resumta est obsidio, et urbs expugnata, adeo ut, intermedio illo spatio ablato, obsidio duraverit annum *unum*, menses *duo*, et dies *sex*; seu dies 430, quot faciunt 390, et 40, iis additi. Divisio autem temporis 390, et 40 dies, et diversa positura super latere sinistro primum per dies 390, et dein dextro per 40,

spectat ad duplicem eam obsidionem, per bellum Chaldaeorum cum AEgyptiis interceptam; cum *prior* duraverit 390 dies, et *posterior* obsidio 40 dies. Resumta enim est anno XI*mo* Zedekiae, mense 3*tio*, die 1*mo* Ez. XXXI: 1. expugnata est urbs eodem anno, mense 4*to* die nono, 2 Reg. XXV. Jer. XXXIX et LII. De quibus omnibus legendus est *Vignolius* Chron. S. t. I. p. 489. et t. II. p. 450. Cum vero *cubatio* in latere expinxerit obsidionem, seu statum obsessorum, in *utroque* latere recte repraesentavit duplicem obsidionem, unam post alteram, et *solutio* prophetae, ut in alterum latus decumbat, delineavit spatium intermedium, quo cessavit obsidio; adeo ut *tres* hic sint distinctae periodi, *prima* obsidionis, quae dies 390, *secunda* solutae obsidionis, quae in emblemate tempus non habet notatum, *tertia* obsidionis repetitae, quae duravit 40 dies. Quam utramque obsidionem ut expingeret cum tempore durationis, non in uno latere cubare debebat per 430 dies, sed alternatim primum in uno per 390 dies, dein in altero per 40 dies, sed quare primum in *sinistro*, et dein *dextro*, et quare in illo dicitur portare iniquitatem *domus Israel*, et in hoc *domus Judae?* Ad *prius* resp. *vel*, nullum esse quaerendum mysterium, cum initium ab uno latere esset sumendum, adeoque perinde foret, quodnam prius sit, adeo ut idem sit, ac si haberetur, *cubabis* in *uno* latere 390, in *altero* dein 40 dies, *vel*, cubationem in *sinistro* latere fuisse praemissam, et dein *secutam* super *dextro*, ad indicandum utriusque obsessionis aliquod attributum, ei proprium, respectu majoris minorisve virtutis et resistentiae obsessorum; quae in *priore* obsidione major, in *posteriore* minor fuit, cum in *illa* minor fuerit penuria et pestis, in *hac* major, quare et illa diutius duravit, et soluta est. *Priori* convenit cubatio super latere sinistro, quae *dextrum* brachium ad defensionem relinquit liberum, *posteriori* respondet super *dextro* latere, quae brachii dextri usum aufert. Quod ad *posterius* attinet quaesitum, nihil mihi suppetit rectius, quam elegantiae causa *do-*

mum

num *Ifraelis* in una periodo cubationis, et *Judae* in altera memorari, et utrobique Ifraelem et Judam comprehendi, adeo ut nomine Ifraelis *Juda*, et vice verfa, comprehendatur; cujus indicium quoque in eo eft, quod verf. 13. *Filii Ifraelis* tantum adpellentur, fed *Judae* includantur; fenfus itaque fimpliciter eft, totius populi iniquitatem puniri in obfidione et expugnatione Hierofolymae, *Judae* non tantum fed et *Ifraelis*, quia erat totius populi metropolis ab Ifraele fcelefte repudiata, a Juda contaminata. De quo plura dixi ad Jer. XXXII: 30. ubi ratio defolatae Hierofolymae, aeque ab Ifraelis ac Judae defectione repetitur. Accedit, emblema hoc fefe ulterius extendere ad ftatum populi poft deftructam Hierofolymam, utrique populo in exilio et deinceps communem; cujus notitiam nunc dare adgredior.

§. CI. β. *Pofterior* emblematis relatio, cujus memini, ad ftatum vilem, fervilem et infirmum, Ifraelitarum et Judaeorum, poft Hierofolymam expugnatam, his *duobus* nititur fundamentis, *altero*, quod *dies* prophetae dicantur pro *annis* dati, *altero*, quod fequens emblema, idem temporis fpatium continens, diferte adplicetur ad ftatum in exilio, feu inter *gentes* verf. 13. Quod ad *prius* adtinet, *pofterius* enim per fe clarum eft, cum *dies* dati dicantur Prophetae pro *annis*, quibus ferret iniquitatem populi, *alterutrum* ftatuendum eft, vel totidem annos *duraffe* iniquitatem populi, vel *duraturam* poenam ejus, adeoque hanc ulterius extendi quam ad tempus obfidionis. *Prius* communiter quidem ftatuitur, fed recte eft a Vignolio refutatum Chron. S. p. I p. 473. Nobis hae fufficiunt nunc rationes. 1 Phrafis, *ferre iniquitatem*, et *ponere fuper fe*, et ipfum emblema ligationis ac cubationis, nos unice ducunt ad *poenam* iniquitatis, tam diu duraturam, nec de ipfa iniquitate intelligi poffunt, ut fupra vidimus. 2. Cum *chronologia* conciliari nequit, *cum*, quod *terminus* a quo defectionis figi pro certo nequeat, folet in *tertio* Rehabeami, fed minus recte, *cum* quod ejus certum non fit in Script. indicium, et ab eo tempore dici nequeat

O duraffe

durasse iniquitas, utique non sub piis regibus Judae, nec etiam Israel tot annos 390. superfuit, *tum* quod anni 430, tot enim numerandos esse ex 390 et 40 additis, supra demonstravi, in illud tempus a 3*tio* Rehabeami non conveniant, ut in *institutionibus* Hist. demonstravimus. 3. Nulla ratio dari potest, quare prophetae injungeretur repraesentatio temporis durationis iniquitatis, multo minus per *cubationem* tot dierum super lateribus; cui bono hoc? et quo hoc tendet? quid tot anni defectionis huc facerent? 4. De *annis* dies facti sunt in gratiam prophetae tantum, non populi, adeoque indicatur manifeste, quod propheta per tot dies faceret, illud populum *per tot* annos pati debere, nec dici potest, tot annorum defectionem per tot dierum miseriam tantum luendam esse. 5. Denique visa, et somnia prophetica non ad praeteritum, sed futurum tempus respicere solent, quemadmodum et hic fit vers. 13.

§. CII. Referamus itaque ad statum populi futurum, et statuamus, Deum diserte dixisse, *dies* pro *annis* ipsi esse datos, non ut ad eum statum unice respici indicaretur, sed ulterius, et sensu secundario, eo etiam spectare. Cum enim directe et primo sensu obsidionem, et ejus durationem, expingeret per hanc cubationem, ut supra vidimus, ne ulterius non spectasse existimaretur, Deus hoc diserte addidit, *dies* prophetae pro tot annis, respectu populi, habendos, adeoque statum populi, cubationi et ligationi prophetae respondentem, statum abjectum, infirmum, et servilem tot annos duraturum esse. Sed, quot *anni* tunc numerandi sunt? et qui sunt termini, *a quo* et ad *quem?* Annos esse 390 et 40 simul sumendos, et 430 conficere, adsumere licet, cum divisio in 390 et 40 tantum ad tempus duplicis obsidionis respiciat, ut supra exposui; quia eo primo et directe pertinent *dies* memorati. Cum vero de singulis, et 390 et 40, dicatur, *dies* esse loco annorum, eos simul sumendos in *annorum* supputatione indicatur. *Terminus a quo* cum sit Hierosolymae destructio, agitur enim de statu populi post eam

deso-

desolationem, quippe per *dies* cubationis proprie sumtos expictam, et in exsilio, vers. 13., *terminus* ad quem, si historiam consulamus, erit *tertius* Jonathanis Maccabaei, quando status Judaeorum factus est liberior et firmior; sunt enim 421 anni inde ad Judam, cui 6 competunt, quibus si tres Jonathanis addantur, anni erunt 431. De quo dixi ad Dan. XI et XII. §. 234. quare plura non addo. Ceterum toto illo tempore Judaeos et Israelitas quasi cubasse in *lateribus*, et *ligatos fuisse*, licet majore aut minore emphasi, facile patet, cum status ipsorum etiam in Canaanaea fuerit toto illo tempore *servilis*, *infirmus* et *adflictus*: uti constat.

§. CIII. ד. *Quartum* emblema continet *cibum et potum*, toto illo spatio dierum, modo memoratorum, a propheta sumendum, in genere vilem et parcum, sed in specie primum vilem parva copia, spatio 390 dierum, dein sordidum et obscoenum altero spatio 40 dierum, in signum partim penuriae et famis tempore obsidionis, partim contaminati et polluti status inter gentes, post destructam Hierosolymam: vers. 9—17. Ubi α. litteram β. sensum emblematicum et scopum illustrabo. α. *Duo* sunt, quae prophetae in visione injunguntur, ad *cibum* et *potum* ipsius pertinentia, quorum *prius* est tolerabilius, et ad priorem periodum obsidionis 390 dierum refertur, *posterius* longe molestius, et vix ferendum, ad posteriorem periodum pertinens, ut probabile est. Hac enim ratione recte distinguuntur, quae hic occurrunt, ut mox patebit. *Prius* vers. 9—11. describitur, *posterius* vers. 12—15. *Prius*, vers. 9—11., continet *a*. *cibum*, ejusque mensuram, durante spatio 390 dierum vers. 9, 10. *b*. potum, ejusque mensuram vers. 11. *a*. In *prioris* descriptione 1. memoratur materia cibi, seu panis ex variis frugibus ac leguminibus confectus vers. 9. *tritico* nim, *hordeo*, *faba*, *lentibus*, *milio*, vel potius *panico*, et *zea*, *in unum vas conjectis*. De quibus praeter alios legendus est Olavus Celsius in Hierobotan., nobis enim in hisce vocibus illustran-

dis non est morandum. Sensus est, qualescunque fruges, qualiacunque legumina, sine discrimine, sine molitione et praeparatione ulla in panem, quae alias fieri adsolet, cibi loco esse futura, et *panis* vicem habitura: et scopus est, penuriam, famem, ac status vilitatem et anxietatem expingere, adeo ut homines, instar jumentorum, sint alendi, cibum crudum et fortuitum qualemcunque, ad famem pellendam, sumturi. 2. Additur *duratio* hujusmodi alimentorum, his verbis: *pro numero dierum, quibus super latere cubabis, 390 diebus vesceris iis.* Quibus manifeste respicitur ad superius emblema, et indicatur, eum tot diebus, quot super *latere sinistro* cubaret, ejusmodi cibo tantum esse sustentandum. Sunt, qui 40 dies alios super latere dextro comprehendi statuunt, sine ulla ratione, et contra clara verba, etiam scopum emblematis, ut mox dicam, cum hic respiciatur ad priorem periodum obsidionis Hierosolymae. 3. Sequitur *mensura* cibi quotidiana, valde modica, vers. 10. *Cibus*, quo *vesceris*, erit *ad mensuram*, 20 *siclorum in diem*, *a tempore ad tempus comedes illum*. h. e. de cibo, quem praescripsi, quotidie sumes per omne illud tempus, non quantum voles et desideres, sed exiguam portionem, infra libram. *Siclus* si dimidiam ponderet unciam, ut putatur, 20 erant *decem unciae*, adeoque nondum *libra*; in nervum autem conjectis ex lege XII. tabularum dabatur *libra* farris, ut observat Grot. Phrasis *a tempore ad tempus* comedere, simpliciter exprimit per omnia temporis istius spatia, uti Lat. *de die in diem*, et belg. *van tyd tot tyd*; etc. *b*. In *potus* definitione itidem *materia et mensura* occurrit; vers. 11. *Et aquam mensura bibes, sextam partem Hinis; a tempore ad tempus bibes.* Vili cibo additur similis potus ex *aqua* tantum, et parca etiam mensura, *sexta pars hinis*: הִין *Hin* capiebat 12 logos, seu quantitatem 72 ovorum; *dimidium* itaque *hin* 36 ovorum, quarta pars 18 ovorum, et sic porro. Ex quo liquet, quam parca fuerit mensura aquae, ab ipso per *diem* bibendae.

§. CIV.

§. CIV. Ad *posteriorem* periodum 40 dierum cubationis super dextro latere, pertinet pericopa vers. 12—15. qua prophetae praescribitur cibus stercoris humani, et mox, ad ejus deprecationem, *stercoris bovini* in ejus locum; adeo ut, vers. 13. misso, de quo mox, in sensu emblematico tradendo, tres sint pericopae partes. 1. Prima continet *cibi* abominabilis praescriptionem e stercore humano; vers. 12. *Et placenta hordeacea*, quam comedes, *ipsa erit in stercoribus globatis excrementi hominis*, *coques eam coram oculis ipsorum*. h. e. spatio 390 dierum finito, quo fruges et legumina quaevis loco panis comedisti, longe gravior te invadet penuria, qua loco panis hordeacei, quo vesci solebas, stercoris humani globuli tibi sunt devorandi, quos in eorum conspectu in cibum parabis. Interpretes haec verba capere solent, acsi propheta deberet vel placentam hordeaceam, vel aliam ei similem, ut Jun. et Pisc., coquere super oleto, aut stercore humano siccato et accenso, loco ligni aut alius materiae combustilis, in signum penuriae lignorum etc. Quod a vero sensu loci longe aberrat. 1. enim nihil de stercore *accenso*, nihil de coquendo *super illo*, nec hic nec vers. 15. ut mox patebit, habetur. 2. Phrasis, *et ipsa in globulis excrementi*, id non fert, sed vero suo sensu dicit, *placentam* ipsius fore ipsissimum illud excrementum; sicut vers. 15. de stercore bovino diserte dicitur, *facies panem tuum*, *de ipsis* vel *coram ipsis*. 3. Tanti non erat, penuriam esse materiae combustilis, et ejus loco *stercus* siccatum et accensum sumere; cum tamen hic tamquam grave, et superiore gravius, malum memoretur. 4. Robur addit locutio proverbialis ad summam famem designandam, qua *stercus edere*, et *urinam bibere* dicuntur, ut Assyrii Hierosolymitanis denunciant tempore Hizkiae 2 Reg. XVIII: 27. Jes. XXXVI: 12. Sensus itaque est, prophetam loco placentae hordeaceae nunc stercus humanum in placentam formatum edere debere coram populo. Relegamus verba in hunc sensum, et illustremus. *Et placentam hordeaceam comedes eam* (insuper, deinde, placenta

hordeacea, qua vesci fuisti solitus, quam nunc comedes, longe alia erit: *placentam hordeaceam* adpellat Deus relate ad cibum solitum, et gratum, quo vesci solebat; sed eam nunc aliam fore, quam comederet in posterum, indicat, et mox exponit, cum subjungit) *et ipsa in globationibus stercoris hominis* (ipsa erit stercus hominis conglobatum; hoc erit nunc placenta tua hordeacea. Hunc enim sensum fundit phrasis Hebr., ut facile cernitur. Vox גללים notat proprie *globos*, a rad. גלל *volvere*, inde *stercus animalis globosum*, Schult. ad Job. XX: 7., altera vox צאת significat *faeces*, quae *emicant* ex alvo, et egeruntur, a rad. צוא, ציא quae sororia est rad. יצא proprie *emicuit* ignis, etc.) *coques eam* (sc. placentam stercoream, scilicet in placentae formam rotundabis. Rad. עוג proprie est *curvum* esse, *incurvari*, inde ad *placentam* transfertur, quae in Oriente rotundo amphorarum dorso aptabatur, et ita *curvabatur*, ac sub cinere coquebatur. Vid. Dieu ad Hos. VII. et de re ipsa Boch. H. p. I. L. II. c. 33. Sic apud Lat. *torta* et *tortula* est massa panacea, in rotundam formam deducta, et contorta, Gal. et Belg. *taart*, a rad. Lat. *torsit*,) additur, *coram oculis ipsorum* (sc. in visione, et postea palam cum ipsis communicanda; unde itaque colligi nequit, ut solet, prophetam extra visionem id fecisse: de quo mox.)

§. CV. Ceterum notandum superest, hoc jussum non spectare ad superiorem pericopam, et periodum 390 dierum, sed novi quid continere, superiore longe gravius, ac ad alteram periodum 40 dierum, supra memoratam, pertinere. 1. enim toto spatio 390 dierum comederet fruges et legumina, ut modo vidimus; non itaque *placentam stercoream*, ut hic, adeoque illo spatio finito demum hic cibus locum haberet. 2. Deus, emblema explicans vers. 16, 17. diserte dicit, Hierosolymitanos *panem* et *aquam* ad mensuram sumturos, *donec* deficiant *panis et aqua*, quod posterius hic per *placentam stercoream* indicatur, loco panis et aquae adhibendam; quod itaque in alteram periodum obsidionis convenit,

qua

qua *panis* plane deficeret; et ad quaevis fordida comedenda vulgus adigeretur. Conf. 2 Reg. XXV: 3. ubi illud diserte traditur. Ex quibus manifestum est, alteram periodum obsidionis ad finem vergentis hic describi, licet non expresse addatur, ut modo, *ad numerum dierum* 40 etc. quod non necesse erat, cum ex superioribus per se sequebatur.

§. CVI. 2. *Secunda* pericopae pars exhibet deprecationem prophetae, qua se a placenta stercoris humani supplicat liberum manere, ratione ducta ab immunditie ejus, a qua in omni cibo per vitam sibi caverat, ex. gr. memorata carne quavis foetida, *morticinii* aut animalis laniati, vers. 14. Quae nostram curam, quoad sensum, non requirunt. Tantum observabo, hinc sequi, *placentam*, modo memoratam, non posse intelligi *hordeaceam* subcinericiam, stercore humano loco ligni superimposito; cum ea ratione cocta placenta non potuisset pro *contaminata* haberi, nec tam foetida esse; quod mox ex vers. 15. ulterius confirmabitur. Sed substitue placentam vere stercoream, ex stercore humano factam, omnia recte quadrant, cum illud *stercus* secundum legem erat impurum, quare Deus voluit illud mox terra tegendum, nec in castris futurum. Deut. XXIII: 13—15. Quod vero dicant, placentam excrementis esse imponendam, et ita igni suscitato in excrementis esse coquendam, plane abhorret, nec etiam fieri poterat, nec verbo עוג respondet.

§. CVII. 3. *Tertia* pars continet temperamentum superioris jussi, ad hanc deprecationem, in eo situm, quod loco excrementi humani sumeret *bovinum*, et inde faceret placentam coram ipsis, vers. 15. his verbis, quae recensebo et exponam: *Et dixit mihi, vide, dedi tibi stercus bovis loco stercorum hominis*, (Vox צפיעים proprie significat *plausa*, cum flatu explosa, et in solum cum plausu cadentia; quod in bovum excrementa aptissime convenit. Est verbum צפע ex sono fictum, et proprie dicit *plaudere*, ex. gr. cervicem manu passa leniter. Vid. Schult. ad Prov. XXIII: 32. et

ep. II. ad Mencken. p. 100.) *et facies panem tuum apud ipsos*, vel *de illis* (utrumque enim admittit עליהם *apud ipsos*, scilicet in eorum corona circumstante; quod eleganter est על; quando idem erit ac vers. 12. לעיניהם *ante oculos ipsorum*, vel *de illis*, scilicet excrementis bovinis, facies panem, quem usum etiam על, ut ἐπὶ, *super* habet. Solet intelligi de pane facto *super excrementis* accensis, ut ita coqueretur. Quod supra refutavi: nec illud tanti erat, cum satis usitatum sit nonnullis in locis, uti *excrementis* bovinis ad ignem faciendum: quod et hodie AEgyptiis, aliis Orientis populis, in usu est, ob penuriam ligni, ut stercore bovino camelino, et equino utantur ad coquendum, testibus Itineratoribus, nec illud convenit urbi tam arcte obsessae, et tanta penuria laboranti, ubi tanta non est *boum* copia: uti ex. gr. in obsidione Samariae 2 Reg. VI: 25.) Ceterum sicut a stercore bovino non tam, quam humano, abhorret natura nostra, ita minus illud erat immundum sub lege.

§. CVIII. β. Emblematis, aeque ac superioris, sensus figuratus est duplex, *alter* proximus et directus, *alter* remotior et indirectus, cujus utriusque indicium non tantum est in nexu emblematis cum superiore, ut ex *cubatione* super latere et numero dierum patet, qua durante haec alimenta sumerentur, sed certa demonstratio in verbis Dei, quibus emblema exponit, vers. 13, 16, 17. quorum vers. 13. ad remotiorem, vers. 16, 17. ad propiorem sensum pertinent; ut explicatio docebit. Incipiamus cum sensu directo et proximo, qui his verbis traditur vers. 16, 17. *Et mihi dixit, fili hominis! ecce me confringentem baculum panis Hierosolymis, et*, seu *postquam, comederunt panem mensura, et anxietate homida, et aquam mensura et obstupefactione biberint; propterea deficient panis et aqua, et siderati obstupescent vir et frater ejus* (unus et alter, unusquisque,) *et pure ac sanie crepabunt in suis iniquitatibus*. h. e. posteaquam cibi et potus aliqua penuria laboraverint Hierosolymis, ita ut ad mensuram comederint panem et biberint aquam, magna anxietate

tate et solicitudine majoris defectus adfecti; totalem immittam penuriam, ita ut, pane plane deficiente, dirissima fame sint et siti premendi, qua instar tabis diffluent, et peribunt propter iniquitates suas. Duos continent gradus penuriae haec verba, qui sibi succederent, quorum posterior longe foret priore gravior, pro duplice obsidionis periodo per alimenta vilia et modica, dein sordida, expicta. Ad quam duplicem periodum, et ei congruam speciem cibi et potus, verba haec omnino respiciunt. Memoratur enim distincte parca mensura alimentorum, et totalis defectus, *prior* per comedere ac bibere ad mensuram, *posterior* phrasi fractionis baculi panis, ejusque defectus ad siderationem et tabefactionem usque; *prior* praeterea occurrit tanquam praecedens, et *posterior* tanquam consequens; uti in versione expressi. Voces enim, et *comederunt panem, ac bibent aquam in mensura et anxietate*, insertae sunt, non tanquam *fractionem baculi panis* explicantes, sed eam antecessurae, et reliquae voces, *propterea deficient panis et aqua* etc. cohaerent cum *fractione baculi panis*, ejusque consequens comprehendunt. Particula itaque ו in ואכלו est ordinativa et dicit *postquam*, ut Gen. XLIX: 27. Deut. XXIII: 14. Jos. VII: 25. Jer. XII: 14. Job. XIV: 10. et alibi. Quod ex ipsis phrasibus confirmatur; *frangere enim baculum panis et panem edere ad* mensuram non possunt conjungi, cum prior phrasis totalem panis defectum denotet; adeoque non praecedere, sed sequi debeat portionem mensuratam. Accedit, in esu et potu mensurato respici manifeste ad vers. 10 et 11., adeoque priorem cubationem in latere sinistro, in *defectu panis* vero ad vers. 12. seu posteriorem cubationem, et cum ea conjunctam placentam stercoream loco panis, jam deficientis. Qua ratione cuncta apte cohaerent, et faciles habent explicatus.

§. CIX. *Duo* itaque Deus declarat Judaeis Hierosolymae respectu alimentorum esse obventura, tempore obsidionis, *alterum*, parca mensura ipsis esse edendum et bibendum, *al-*

terum, eos omni pane esse cariturος, et atroce fame premendos. *Prius* his verbis continetur, *edent panem in pondere certo et anxia solicitudine, et aquam mensura bibent et obstupefactione*. Quae nihil habent difficilis; parca indicatur alimentorum copia, quae anxietatem parit et obstupefactionem super praesente gravi calamitate, et graviore instante. Cujus imaginem gessit propheta, dum fruges et legumina quaevis comedit in mensura, super sinistro latere cubans per 390 dies: de quo supra egimus. Accidit illud Judaeis in priore periodo obsidionis; quando alimentorum copia valde parca fuit: uti notum est. *Posterius* his verbis exponitur; *ecce me frangentem baculum panis, propterea deficient panis et aqua, et siderati erunt vir et frater ejus, ac tabesient in sua iniquitate.* Quae judicium Dei et ejus effectum continent; *prius* designant verba, *frangam baculum panis* h. e. alimenta, vitam sustentare apta, e medio tollam. *Baculus panis* non est, ut multi capiunt, *vis* panis alens, sed ipse panis, baculi instar vitam sustentans; et *baculum panis frangere*, est panem sustentantem delere, et e medio auferre, adeoque non *vis* alentis in pane destructio, sed ipsa ejus penuria totalis, ita ut deficiat panis. Vid. Lev. XXVI: 26. Jes. III: 1. et ibi Vitr. ac Clericus. *Consequens* et effectum judicii, per voculam *propterea* expressum, ita habet: *propterea deficient panis et aqua, et siderati jacebunt vir et frater ejus, et tabesient in sua perversitate*, h. e. dira fame per defectum panis et aquae oppressi, tanquam sidere tacti, decumbent, et peste aut tabe diffluent propter perversitatem suam. Summae famis et sitis est descriptio, cum ejus effectis, in stuporem, debilitationem et pestem ac mortem exeuntibus. Verba et phrases nihil habent obscuri. Radix חסר proprietatem habet in *radendo*, deradendo, unde ad penuriam rasam, cum nihil superest, transiit. Vid. Schult. ad Prov. שמם proprie est *siderari*, tanquam urente ac pestifero adflatu, inde *vastari*, et ad animum translatum *obstupefacere*, ac in mentis attonitae horrorem defigere, cujus utriusque

utriusque ratio haberi potest; *vir et frater ejus* est unusquisque, unus et alter; passim itaque et communiter. Verbum מקק est e sono fictum, et proprie notat *fissionem* et *crepationem* latius fusam, et adhibetur de ulceribus purulentis, quae fissa crepant, et sonum מק edunt. In Niph., ut hic, duplicata intransitive, vel passiva gravata, est adigi illuc, ut *pure et sanie quis crepet*; adeoque ad famis effecta, putredinem, pestem, et mortem, apte adplicatur. In quàm conditionem miserabilem recte quadrat proverbialis locutio *placentae stercoreae*, sive humanae sive bovinae, quippe quam edere est desperatissimae famis indicium, et funestae tabefactionis praesagium, cum ad sustentandum nihil faciat. Conf. supra dicta ad vers. 12. quibus adde Thren. IV: 5. ubi famelici dicuntur siderati, et *amplexi stercus*. Ceterum, eam dirissimam famem tempore obsidionis Hierosolymae saeviisse ex Jer. XXXVII: 21. XXXVIII: 9. 2 Reg. XXV: 3. Thren. IV: 5. et aliunde constat.

§. CX. Veniamus ad sensum remotiorem et indirectum, vers. 13. his verbis indicatum. *Et dixit Jehova, sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, quorsum eos disjecero.* h. e. Quod tibi placentam stercoream injunxi edendam, illud eo etiam ultimo spectat, ut Israelitis, quorum personam geris, ob oculos ponatur, eos non tantum instar servorum et mancipiorum, quorum est vili cibo et promiscuo vesci ad mensuram, sed et vilissimorum et abjectissimorum, seu canum et porcorum, qui stercore volutantur, et illud absorbent, futuros esse in exsilio inter Gentes, a me abjectos et pro immundis, quorum est pollutis vesci, declaratos. Subjunguntur quidem verba praecepto de stercore comedendo, sed porrigunt quoque sese ad vilem et promiscuum cibum et potum vers. 9—11. memoratum, sicut utrumque illud etiam respectu obsidionis Hierosolymae est conjunctum vers. 16, 17., adeoque significant, Israelitas in exilio non tantum vili cibo et ad mensuram, sed et sordido abominabili esse usuros. Respici vero ad statum

Israelitarum in exilio, et non ad obsessos, ut Sanctius et alii autumant, ex titulo *filiorum Israelis* non solum colligitur, eo enim usus non fuisset propheta, nisi Judaeos et Israelitas in eodem statu exilii comprehendisset, sed clare evincitur, 1. ex phrasi *inter gentes;* quae ad Judaeos, a Chaldaeis obsessos, ut illi volunt, referri nequit, 2. quia additur, *quorsum dispersero eos;* manifesto indicio, eos inter gentes disjectos eo cibo usuros esse. Offendit eos, quod putarunt, emblema unice spectare ad obsessos, ad quos vers. 16, 17. refertur, non observantes, eo directe quidem et proxime respici, sed ulterius et indirecte quoque ad exules, eorumque statum; uti in praecedente emblemate quoque habuimus, et dies pro *annis* dati exigunt. Quod ne nos lateret, Deus expresse illud his verbis insertis admonuit; quae itaque, emblema eo etiam pertinere, demonstrant.

§. CXI. Significant vero verba, cum emblemate, modo memorato, comparata, α. Judaeos et Hierosolymitanos, aeque ac Israelitas in exilium esse abducendos, eandemque sortem subituros, adeo ut communi *Israelitarum* nomine recte insigniri queant, ut hic fit, β. eos esse a Deo abjiciendos, tanquam impuros, et ex commercio cum gentibus magis polluendos, acsi nulla lege amplius de puritate et impuritate legali tenerentur. Phrasis, *edent cibum impurum inter gentes*, non tam indicat, Judaeos in exilio talem cibum vetitum esse sumturos, quam in genere immundos fore in oculis Dei ab ipso repulsos, et tanquam gentiles tractandos esse, qui nullum norunt ciborum, aut rerum aliarum, respectu puritatis, discrimen. *Comedere cibum impurum inter gentes* denotat immundum esse, abjectum, et in talem redactum statum, in quo sunt, qui polluto cibo vescuntur, seu legibus illis non sunt adstricti; praeterea peccatorum suorum poenas luunt, et ea ratione *immundi* sunt: uti de se fatentur Judaei poenitentes in exilio Jes. LXIV: 5.— γ. eos, ut propius ad emblema veniam, non tantum in vili, servili et paupere conditione futuros, instar *servorum*, qui quaevis legumina edere

edere debent, et ad praescriptam mensuram, verum etiam abjecta valde et miserabili, instar *canum* et *porcorum*, qui stercore pascuntur; quod hic κατ' ἐξοχὴν est, panem *immundum* comedere, sordidum et detestabilem. Sensus non est, talem ad litteram fore eorum cibum, sed in tam vili et contemnibili statu futuros, subinde etiam summa cum paupertate et inopia esse luctaturos, ut proverbialis haec locutio, *stercus* comedere, iis conveniat.

CAP. V.

§. CXII. ה. *Quintum* emblema est crinium capitis ac barbae detonsorum *partim* in medio urbis, durante obsidione, igni combustorum, *partim* gladio circa urbem percussorum, *partim* denique quaquaversum disjectorum, sed ex aliqua parte recollectorum in unum fasciculum, dein in ignem immissorum, qui omnes illas reliquias Israelitarum corriperet et absumeret. Quod emblema א. describitur vers. 1—4. ב. exponitur vers. 5—17. א. Descriptio parum habet difficilis, quod nostram requirit operam, quare celeriter percurram. *a*. Jubetur Propheta sumere et *gladium acutum* et *novaculam tonsorum*, (non itaque *cultrum*, seu *novaculam*, sed et gladium et novaculam, adeo ut utrumque illud accipiat instrumentum, et praef. ו in תער deficiat, usitata itaque vocis חרב pro *gladio* significatio est retinenda, ut ex vers. 2 et 12. elucescit. Utriusque quoque instrumenti indicium est in repetito verbo לקח *sumere*, nec non in eo, quod *novaculae* tribuatur rasio crinium, vers. 1. et dispersio eorum *gladio*.) Novaculam autem *transire facere jubetur super caput suum et barbam*, scilicet hostiliter invadere faciendo et corripiendo crines capitis et barbae, adeoque detondere caput et barbam, quam potestatem adfert עבר; dein *statere* sumto cum ponderibus,

crines detonsos in tres partes aequabiliter, et juste, dividere, ac sorti suae destinare; eo enim *staterae* et *ponderum* pertinet usus hoc in loco. *β*. Quo facto, jubetur, *tertiam* partem in medio urbis, scilicet Hierosolymae, ubi in visione fingitur praesens, *igni comburere* tempore obsidionis, quamdiu ea duraverit: qui sensus est phrasios vers. 2. *secundum quod pleni fuerint dies obsidionis*, h. e. donec fuerint impleti, adeoque durante obsidione ad finem usque: *tertiam* partem *gladio* percutere in circuitu Hierosolymae, et ita in partes secare, ac perdere, adfix. enim foemin. relativum in סביבותיה respicit ad *urbem*, modo memoratam, et indicat in circuitu ejus id faciendum esse; *tertiam* denique partem in *ventum* spargere, et ita quaquaversum dissipare, sed gladio persequendam: quod Deus ipse dicitur facturus, quia propheta in hoc emblemate Dei personam sustinebat, ut mox observabo. Verba sunt, *et gladium evacuabo post eos* h. e. faciam, ut gladius eos persequatur, et sanguinem effundat ac prosternat: quem specialem usum habet verbum ריק apud Arab. Vid Lette ad Ex. XV: 9. et quae dixi ad Ps. XXXV: 3. Causam itaque verba non continent, quare diffugiant et vagentur, metu scilicet gladii stricti, uti accipi solent, sed diffusorum *sortem* exponunt, qua mala morte et ipsi dissipati perirent, uti vers. 13. exponitur. *γ*. Denique ei injungitur e crinibus jam disjectis pauculos recolligere, eosque *oris* vestis suae includere, dein aliquos in ignem conjicere, et comburere, addito, isto igni *totam domum Israelis* esse *corripiendam*, vers. 3, 4. Ad quae not 1. spectare hanc sortem ad *tertiam partem* crinium non tantum, quod jam est observatum, et ex nexu facile patet, sed et jam *dispersorum*, et non ante disjectionem; uti manifestum est ex vocula משם *ex inde*, et non, *ex istis*; non enim habetur מהם sed משם, qua vocula ducimur ad locum dispersionis; ubi sumerentur aliqui crines parvo admodum numero, 2. pauculos illos crines primum esse in unum colligendos, ac tuto in loco, ut ora vestis, constringendos et conservandos,

dos, sed mox aliquos ex iis in ignem mittendos et comburendos esse, 3. reliquos omnes eandem sortem deinceps subituros; secus ac Interpretes capiunt, qui putant illos esse conservandos. Verba seqq. id, quod dixi, clare indicant: *emicabit inde ignis in totam domum Israelis*, scilicet superstitem illam, seu reliquias Hierosolymitanorum, quae effugerant, et dispersae erant; uti restringitur phrasis vers. 10. Quod ex scopo emblematis confirmatur; ut mox patebit.

§. CXIII. ב. *Expositionis* emblematis, a Deo ipso factae vers. 5—17. *tres* partes sunt. *a. Prima* definit personas, quibus hoc judicium infligeretur, his paucis verbis vers. 5. *hoc* est *Hierosolyma* h. e. hoc omne, hoc tantum, tam grave, malum accidet Hierosolymae ejusque civibus. Particula זאת non est cum Hierosolyma construenda, et vertenda *haec Hierosolyma est, quam posui in medio gentium*, uti multi capiunt, sed ad superius emblema referenda, quo digitus quasi intenditur; et sensus est, *hoc* omne, quod tibi faciendum jussi, spectat ad Hierosolymam, et ei eveniet, ut ab aliis recte est animadversum, nec stylus alium sensum admittit. Addo, vocula hac simul comprehendi *gravitatem* mali, urbi infligendi, ut זאת sit *hoc*, quod fecisti, hoc tam dirum malum Hierosolymae fatum erit: quam emphasin particula illa haud infrequenter habet, uti apud Lat. et Belg. *hoc* et *hoc* tibi eveniet. Vid. 2 Sam. XIV: 13. Ps. XXXVII: 3. XLIV: 18. Jer. IV: 8. IX: 11. XXXII: 23. Mich. I: 8. et alibi. Ex quo manifeste adparet, emblema restringendum esse ad Hierosolymam, ejusque incolas et cives, et non ad totum populum Judaeum extendendum; non ad eos, qui jam erant in exsilio, sed qui Hierosolymis, et in Judaea adhuc versabantur; quemadmodum Jer. XXIV. quoque fit, quocum nostrum caput est conferendum. Ex qua hypothesi cuncta faciles habent intellectus, alias valde intricata; ut sequentia docebunt.

§. CXIV. ב. *Secunda* pars continet *causam* judicii Dei in hanc urbem, in ejus corruptione et defectione a Deo si-

tam, qua se indignam praestitit arcta ad Deum relatione, et praerogativa, qua gaudebat, vers. 5, 6. Ubi *a.* praerogativa ejus et relatio ad Deum memoratur vers. 5. *in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus sunt terrae.* h. e. Inter populos, et terras vulgares et gentiles, circum eam, constitui eam urbem sacram, et gloriosam, reliquis omnibus circum excellentiorem, et venerandam; quam ipse elegi, et mihi arcte junxi ac dedicavi, quaeque reliquis gentibus exemplum esse deberet fidei et virtutis. Ultimae voces, *et circum eam terrae*, non pendent a verbo *ponere*, acsi sensus sit, *et circum eam posui terras*, quod sensum et emphasin non habet, nec usus verbi *ponere* hoc in loco admittit, ut mox patebit, sed vel per ellipsin verbi *sunt* verti debent, ut feci, vel subintelligi debet ante *circum eam*, particula אשר, hac ratione: *in medio gentium posui eam*, et quae *circum eam sunt terrarum*, uti mox plene habetur vers. 6. *Gentes* vero et *terrae* sunt synonymae, quare vers. 7. *gentes* tantum memorantur, *quae circum* sunt, adeoque *terrae* sunt vulgares, quae nihil sancti habent, opposite ad *terram sanctam*, seu *desiderabilem*, aut quae alia epitheta sunt *terrae* Israelis; *terrae* itaque gentiles, ut *gentes et terrae* sint terrae *gentium.* Sensus vero non est, Hierosolymam simpliciter inter gentes, et earum terras, esse constitutam, multo minus in *meditullio* seu centro omnium terrarum, prius emphasi caret, posterius verum non est, nec quid huc faciat patet, sed urbem esse a Deo solam inter gentes et alias terras electam, et in sedem Dei ac religionis dedicatam, adeoque singulari praerogativa et relatione ad Deum ornatam. Quam emphasin adfert verbum שום *ponere*; quod etiam *dedicare*, *consecrare* denotat, ut *ponere statuam* apud Lat. Sic Ps. L: 23. LXXIV: 4. Jer. XI: 13. XXXI: 21. XXXII: 20. Potest quoque pro concisa et elliptica haberi locutione, quae plus dicit, quam exprimit, adeo ut *ponere* sit pro ponere sibi in locum et sedem habitationis, uti Deut. XII: 5. *ad ponendum nomen suum ibi*, quod *inhabitet eum locum.*

Re-

Respicitur manifeste ad emblema *crinium capitis et barbae*, ejusque explicatio hic traditur, in eo sita, quod Hierosolyma Deo ita arcte et gloriose adhaereat, ut *capilli* capitis et barbae, quibus caput viri tegitur et honoratur. Propheta enim hic personam Dei sustinet, et non, ut alii putant, populi; quare, quod prophetae injunxerat faciendum, ipse se facturum esse declarat; sicut in ipso emblemate jam fecerat vers. 2. fin. *evacuabo*, dicens, *gladium* post ipsos: significatur itaque, Hierosolymam habuisse arctam et gloriosam relationem ad Deum; instar *crinium* ad *caput*. Quae latius facile ab unoquoque possunt extendi.

§. CXV. β. Obstinata Hierosolymae a Deo et lege ejus defectio ad impietatem, qua praerogativae illi renunciaverat, et se dignam, quae a Deo rejiciatur, praestiterat, his verbis, valde emphaticis, profertur vers. 6. *Obstrigillavit judicia mea ad impietatem prae gentibus, et statuta mea prae terris, quae circum eam sunt, quia*, vel *profecto*, *exulcerati fuerunt in judicia mea, et in statutis meis non ambularunt*; vel nihil minus, quam ambularunt: h. e. leges meas quascunque, quibus Hierosolymam mihi devinxi, et arctius adligavi, instar capillorum capitis et barbae, illa contumaciter abnegavit, simul illusit, et quasi strigillante tonsura abrasit, prolapsa ad quamvis impietatem in religione idololatrica, et vitae morumque depravatione; exulcerato utique cives ejus animo tanquam quid foedum leges meas spreverunt, et abjecerunt, nec ulla ratione eas observarunt, nihil minus quam hoc. Expressi quantum pote, omnem veram emphasin, et amplitudinem ac nexum orationis hac paraphrasi, quam uno alterove observato illustrabo et adstruam. 1. Verbum מרה, inde enim המר est in Hiph. pro המרה, vid. Schult. Gr. p. 438. et Buxt. vind. ver. Hebr. p. 862., in origine sua valet *strinxit*, *perstrinxit*, *praestrinxit*, inde *stringendo* pressit, et met. contentiose restitit, et contumaciter reluctatus est, ac rejecit, ac cum את, ut hic, construi solet. Vid. Schult. defect. §. 130. etc. Sed teritur

etiam in *tonsura*, qua capilli destringuntur, dicitque *detondere*, unde vox מורה pro *novacula* sumitur apud Hebr., hinc refertur ad illusionem et subsannationem, met. petita ab eo, qui in tonstrina sedens sub novacula vexatur et raditur pro arbitratu tonsoris. De quo Id. vid. ad Prov. VI: 19. Quo admisso, sensus erit, Hierosolymam leges Dei vexasse, sannis excepisse, et ludibrio habuisse, ac exposuisse; respicietur simul ad *novaculam tonsorum*, qua propheta pilos capitis detondit, ad indicandum, Judaeos leges Dei deradendo sese a communione et favore Dei separasse; adeoque dignos praestitisse, qui a Deo repudientur, et novacula judicii ejus abradantur. 2. Phrasis, obstrigillare judicia Dei לרשעה *ad impietatem* est praegnans, et dicit, obstrigillando se conjicere in *impietatem*, adeo ut per legum Dei contemtum prolapsi sint in omnem idololatriam, et corruptionem vitae ac morum, quae utraque nomine *impietatis* solet insigniri. 3. Cum vero addatur, ad crimen Hierosolymae adgravandum, *prae gentibus*, *et terris circum eam*, indicatur Hierosolymitanos *partim* sese pejores gentibus in eo praestitisse, quod tam sanctas et bonas leges sprevissent, et contra tot ac tanta privilegia et beneficia egissent, quibus gentes fuerunt privatae, *partim* pejores fuisse gentibus, et idololatriae et corruptionis morum respectu. 4. Particula כי rectius per *profecto*, quam *quia* vertitur; cum hic non tam ratio superiorum detur, quam ea confirmentur ulterius, et cum adseveratione ac adgravatione repetantur. Usitatus autem is particulae usus satis est, uti notum. 5. Emphaticum valde est verbum מאס, proprie *hiare*, *fluere* speciatim *ulceribus*, meton. *spernere*, *contemnere*, quasi dicas exulcerato et alienato velut adfectu fecit, et aliquid tanquam foetidum rejecit. Vid. Schult. ad Prov. III: 11. Odium contumax, aversatio purulenta, et taedium gravissimum, quo quis dissilit veluti et disrumpitur, hoc verbo exprimitur. Denique 6. emphatice sumenda est phrasis, *non ambulare*, pro nihil minus quam hoc, sed contrarium; quae satis frequens est voculae לא *non* potestas. §. CXVI.

§. CXVI. 3. *Tertia* pars continet *judicii* Divini in Hierosolymam, ejusque cives, una cum *effectis* ejus descriptionem, vers. 7—17. per sequentes articulos. *a.* Primus comprehendit declarationem *judicii* generalem ob illam contumacem perversitatem, modo memoratam. vers. 7, 8, 9. Ubi 1. repetitur perversitas tanquam judicii causa, ut intelligerent Judaei, eos propterea tam severe a Deo esse tractandos. vers. 7. *Propterea sic dixit Dominus Jehova, propter aestuare vestrum*, vel *obstrigillare*, *prae gentibus*, *quae circum vos* sunt, *in statutis meis non ambulastis*, *et judicia mea non fecistis*, *nec secundum judicia gentium*, *quae circum vos* sunt, *fecistis*. Nihil hic difficile, nisi infin. המנכם, quod varias peperit interpretationes. Nobis maxime arridet, vel radicem fuisse המן, ejusdem potestatis ac הום, המה et המם, quae propria est *aestuationis streperae*, et hic referri ad impetum libidinosum in omnem idololatriam, omne nefas ruentem; sicut adultera adpellatur Prov. VII: 10. *aestuans* strepera et *procax*, quod huc recte quadrare, facile intelligitur, vel leg. esse המרכם ex vers. 6. a rad. מרה, ut modo exposui. Quod nunc magis placet. Qua ratione autem Judaei nequidem *secundum* instituta *gentium* dicantur fecisse, ex superioribus satis elucescit. Conf. Jer. II: 11. et ibi dicta. Fuerunt enim vita et moribus corruptiores, ut modo habuimus, praeterea in statutis suis observandis inconstantiores, ut est Jer. II. Nec obstat, quod c. XI: 12. fecisse dicantur *secundum statuta gentium*; cum diverso respectu utrumque verum sit: de quo postea. Vid. Glass. Gr. S. l. I. tr. 1. p. 71. ubi lectionem לא nostro loco vindicat.

§. CXVII. 2. In pronunciatione sententiae judicialis *a.* Deus declarat se judicium in Hierosolymitanos esse exerciturum vers. 8. *b.* grave et singulare illud futurum esse, subjungit vers. 9. *a. Prius* his verbis vers. 8. *Propterea sic dixit Dominus Jehova*, *ecce me contra te*, *etiam me ipsum*, inquam, *et faciam in medio tui judicia coram gentibus*. Emphasin

phasin habet 1. quod repetatur, *etiam ego*, significatur enim 1. Deum fore quoque contra eos, sicut illi contra Deum, 2. Chaldaeos non tantum, sed Deum quoque eorum hostem futurum, 3. ipsum illum Deum, quocum tam arcte fuerant uniti, et a quo tot ac tanta nacti erant bona, qui antea Deus et patronus eorum fuerat, ipse ille nunc adversarius foret. Ceterum non erat praetermittendum, hic exponi emblema *derasionis crinium capitis et barbae*, in signum separationis populi a Deo, et vinculi unionis rupti. Antea fuerant Deo arcte conjuncti, et honorati, ut crines capitis et barbae, sed nunc Deus declarat, *se contra eos* fore, adeoque ab iis alienum esse, et eos a Deo, ejusque favore et defensione avulsos. Praeterea, non sine ratione dicit Deus, *faciam judicia in medio tui coram gentibus*: indicat enim non unam, sed variam plagam iis esse immittendam, non in occulto, sed publice esse judicandos, *coram gentibus*, ut magis pudefiant, et Deus glorificetur, denique in ipsa urbe Hierosolyma, etc. Exponit hic Deus, quod prophetae jusserat respectu *staterae* et *ponderum*; indicat enim justum fore judicium, et plagas varias esse juste dispertiendas: uti supra monui

§. CXVIII. *b*. Gravitatem et singularitatem judicii haec verba exhibent, vers. 9. *Et faciam in te, quod non feci, et quod non faciam sicut illud amplius, propter omnia abominanda tua* h. e. Judicium, hoc tempore tibi infligendum, erit omnibus praecedentibus et sequentibus, usque ad finem Oeconomiae Veteris gravius; adeo ut nec ante tale quid experta fueris Hierosolyma, quamdiu steteris, nec post expertura sis, quamdiu duratura sis. Interpretes varias sibi hic texuerunt difficultates, quod a scopo et vero conspectu verborum aberraverunt; variasque commenti sunt explicationes, qua ratione judicium per Chaldaeos dici possit gravius omnibus praecedentibus et sequentibus, nonnulli etiam aliena sectati sunt, quorum aliqui comparationem institui censent cum populis gentilibus, nunquam tam gravia passis,

aut

aut passuris, alii etiam de judicio per Romanos interpretantur, quo dictum Christi referunt Matt. XXIV: 21. Sed dubium non est, 1. quin de Judaeis secum comparatis agatur, cum gentium nulla fiat mentio, et series sermonis exigat, ut illud *non feci, et non faciam*, ad eosdem referatur ad quos *faciam in te* 2. de solo judicio per Chaldaeos verba sint intelligenda; cum scopus et tota series orationis eo ducat, nec ullum indicium sit ultimi judicii per Romanos. Nulla vero hic est difficultas, modo restringatur ad Hierosolymitanos, non universum populum, uti supra observavi, et capiatur de Hierosolymae, tanquam sedis reip. et religionis, totali destructione, diu duratura, denique tempus anterius repetatur ab Hierosolymae constitutione in metropolin, et posterius ad durationem Oeconomiae V. referatur. Quibus admissis, sensus erit, Hierosolymae aliquid nunc eventurum esse, quod nec antea nec post, ex quo metropolis fuit, et erit, toto tempore Oeconomiae V. durante, in eo situm, quod urbs, qua metropolis, fuerit abjecta et desolata, omniaque mala passa sit, quae poterat, gravissima. Ante hoc tempus nunquam tale quid ei evenerat, nec postea accidit; quamdiu duravit Oecon. V. Judicium vero per Romanos inflictum est, cum jam abolita erat illa Oeconomia, adeoque huc non pertinet. Nihil est in Verbo Prophetico usitatius, quam Judaeis post liberationem ab exilio Babylonico promitti durabilem et perpetuam stabilitatem, et a gentibus nunquam esse ita amplius tractandam; quod eodem modo est intelligendum: uti saepe monui. Conf. ad Jer. XXXI: 40. et alibi.

§. CXIX. *b. Secundus* articulus continet paulo specialiorem recensionem partium judicii divini, relate ad superius emblema, sed phrasibus generalioribus et obscurioribus vers. 10. *Propterea patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos, et faciam in te judicia, et reliquias tuas in omnem ventum spargam*, h. e. fames dirissima te premet, gladio te feriam, et reliquias quaquaversum dispergam. Tria memo-

memorantur mala, quorum *primum* accideret Hierosolymitanis in ipsa urbe, *secundum* et *tertium* extra eam, quare *primo* expresse additur, *in medio tui*. *Primum* situm est in *fame*, quae efficeret, ut in propria viscera saevirent; alii alios comederent, sive proprie, sive figurate magis. Capi enim verba possunt in genere de dirissima fame, etiam specialius de mutua violentia, qua prae fame se mutuo diripiunt, denique specialissime et proprie, qua alii alios devorant; uti Deut. XXVIII: 53. Thren. IV. 10. Ex. gr. tantum memorantur *patres et filii*, unde de reliquis colligendum erat. *Secundum*, *faciam judicia in te*, ad reliqua mala capitalia referri potest, quibus neci darentur, tanquam sontes, per *gladium*; quod est κατ' ἐξοχὴν *facere judicium*. *Tertium* continet reliquorum dispersionem, sed generalius propositam, absque ut addatur, quid *dispersis* eveniret; quod mox explicatius traditur.

§. CXX. *c*. *Tertius* articulus comprehendit specialissimam malorum recensionem, et claram ac distinctam emblematis explicationem, post repetitam, cum aliqua variatione, sententiam condemnatoriam: vers. 11—13. Ubi *a*. praemittitur sententiae condemnatoriae pronunciatio, una cum ejus causa, juramento Dei confirmata vers. 11. *Idcirco*, *vivo ego*, *inspiratum Domini Jehova*, *si non*, *propterea quod sanctuarium meum polluisti omnibus taediosis et abominandis tuis*, *etiam ego subducam*, *nec connivebit oculus meus*, *etiam ego clementem me non praebebo*. Declarat Deus cum magna adseveratione, per modum juramenti, cujus indicium est in phrasi, *vivo ego si non*, uti notum est, se *subducturum* esse omnem suam longanimitatem, clementiam et gratiam, propter profanationem Templi, et religionis per idololatriam et facinora gravia alia; quae grave et *disrumpens taedium* adferunt, (hanc enim emphasin habet radix שקץ proprie *findere*, *disrumpere*, unde ad taedium gravius, quo quis quasi rumpitur, ut in קוט et קוץ, transfertur) praeterea valde *sordida* sunt, et *inquinantia*, quae vis inest rad. תעב, et inde

de abominabilia. Ipsa sententia condemnatoria profertur adfirmante verbo, et negantibus phrasibus, quae illud illustrant: sicut saepe moris est Scriptoribus sacris. Radix, גרע proprietatem habet in *resorbendo*, et *adtrahendo* per os et labia; unde ad diminutionem et subductionem transiit, vid. Schult. ad Job. XXXVI: 27. spirat itaque ὀνοματοποιίαν. Cum autem subjungatur, phrasibus negantibus, *non connivebit oculus meus*, *non clementem me praestabo*, h. e. nec longanimitate nec ulla clementia utar; *resorbere et subducere* Dei in quo situm sit, facile adparet; in eo nim. quod Deus suam longanimitatem et clementiam, seu ejus effecta, retrahat, uti Job. XXXVI: 7. *non subducit*, resorbendo ad se, *oculos*, eorumque influxum salutarem in se retrahendo, uti exponit Cl. Schult. l. c. Vid. Thr. II: 2. ubi בלע occurrit, et subjungitur, לא חמל, ut hic גרע. Sed Chaldaeis et Syris verbum גרע usitatum est pro *deradere* crines novacula, unde diminuendi usus etiam dervari potest. Quo admisso, adluderetur ad emblema vers. 1. *capitis* et *barbae* derasionem. Occurrit etiam pro barba *derasa* Jes. XV: 2. Verbi usus ex potestate absorbendi, vel *attrahendi* crines, dein *deradendi* novacula, fluxit. Phrases negantes, ut dixi, ad *longanimitatem et clementiam* pertinent; radix חוס proprie est, *strinxit*, *constrinxit* arctius, usu teritur in *angustia oculi contracti*, sive proprie sive figurate, uti Lat. *connivere* et Belg. *ocgluiken*, quare *oculus* vel additur, ut hic, vel per ellipsin intelligitur. Vid. Schult. clav. p 263. Altera radix חמל proprie est, *mollis* fuit, hinc *pepercit*, seu mollem se praebuit, et *indulsit*. Id. ib. p. 228.

§. CXXI. β. In malorum recensione, et emblematis expositione, distincte traditur, quid singulis tribus partibus tertiis eveniret. 1. *Prima* tertia para *peste et fame periret in ipsa urbe obsessa*, quo *combustionis crinium* figura pertinet. 2. *Secunda* tertia pars *gladio* succumberet in circuitu urbis; uti per imaginem *crinium gladio* percussorum erat expictum. 3. *Tertiae* partis fata distincte traduntur; *a*. *dispergerentur*

 b. dein

b. dein gladio ferirentur dispersi seu judicio divino absumerentur, his verbis vers. 12. fin. et 13. *et gladium evacuabo post ipsos, et consummabitur ira mea, et aestuationem meam in eos complanabo, et consolationem recipiam, et cognoscent me Jehovam locutum esse in zelotypia mea, quum perfecero aestum meum in eos.* Quorum sensus est, iram Dei ad finem usque, sine cessatione, esse in eos effundendam, donec deleti sint, et ira Dei fuerit *consummata*, ac per sumtam vindictam *sedata*, et Deus quasi inde *consolationem* receperit, quod gloriam suam, et religionem contaminatam vindicaverit. Hanc enim emphasin habent phrases, *ira consummabitur*, *aestuationem complanabo*, *consolationem recipiam*. Radix כלה originem habet in *complicatione* et *convolutione*; unde usus consummationis, et absolutionis ortus est, uti Schult. ad Prov. XVI: 30. notavit. Verbum הנחתי duplicem fert conspectum, *alterum*, quo *complanare*, *sedare*, denotat, quem in versione et paraphasi secutus sum, נוח in origine velet; *tendi*, tendendo *sterni*, unde ad animalia *recubantia*, nec non *fluctus stratos* ac *complanatos* tranfertur. Vid. Schroeder Obs. ad Orig. Hebr. c. VI. p. 41. quod voci חמה recte convenit, iram enim *aestuantem* denotat, quae instar fluctuum commota *sternitur*, cum saevire desinit, et vindictam explevit; *alter* vero est, quo *stabulationem*, et, in malum, gravem ac diuturnam *incubationem* denotat. Vid. Schult. ad Prov. XXI: 16. Sensus tunc erit, *stabulari* et *graviter incumbere* faciam iram *meam in eos*. Reliqua sunt facilia. Ceterum notandum est, totalem hanc destructionem restringendam esse ad tertiam illam partem dispersam; ut res ipsa non tantum, sed et nexus ac structura orationis docet. Continet vero pericopa explicationem partis emblematis vers. 3 et 4., ut supra exposui.

§. CXXII. *d. Quartus* articulus exhibet consequens destructionis Hierosolymae relate ad populos vicinos, in quorum medio erat, situm in stupore eorum super hoc fato, et irrisione, qua ei insultarent, vers. 14—17. Ubi occurrit

currit propositio vers. 14. *β.* ejus deductio et amplificatio vers. 15—17. *α.* Propositio fit his verbis vers. 14. *Et dabo te in stuporem findentem et detrectationem lacerantem inter gentes, quae sunt circa te, coram omni transeunte.* Quorum sensus est, Hierosolymam, quae antea fuerat admirationi gloriosae populis vicinis, nunc, post vastationem, fore iis stupori vehementi, et ignominiosae obtrectationi, ludibrio et opprobrio. Nihil hic curae nostrae relictum est, praeter verum sensum vocis לחרבה ab Interpretibus non observatum, omnes enim pro *vastitate*, et *solitudine* sumunt, cujus hic locus esse nequit, cum non ipsa *vastatio*, sed, ejus consequens, *stupor* et *subsannatio* gentium tradatur, ut ex seq. est manifestum; ne dicam de *vastatione* supra fuisse actum. Verbum חרב proprietatem habet in *fissione* et *laceratione*, unde inter alia transiit ad *stuporem*, eumque vehementiorem, cum animus adtonitus veluti finditur et fatiscit. Quo sensu etiam occurrit Jer. II: 12. *obstupescite coeli propter hoc, et horrescite* חרבו *findimini*, seu in stuporem adtonitum defixi horrescite. Ita et hoc loco *stupor* adtonitus adtribuitur populis, uti mox vers. 15. משמה *sideratio* obstupefaciens. Stupefactioni populorum super tam gravi facto, et destructione, additur *contumelia lacerans*, qua Hierosolymae insultarent: uti mox latius exponitur. Conf. de re ipsa Thr. II. Radix חרף primario valet, *carpsit*, carpendo *strinxit*, inde, inter alia, *obtrectavit*, meritis detraxit, opprobrio laceravit etc. Vid. Schult. ad Job. XXVII: 6. et Prov., Lette ad Jud. V. Adliteratio verborum חרף et חרב captata est, pro more veterum, ad elegantiam sermonis.

§. CXXIII. *β.* In deductione *a.* repetitur cum amplificatione opprobrium et stupor populorum vers. 15. his verbis: *Et erit opprobrium et blasphemia, exemplaris punitio, et stupor* siderans *gentibus, quae circum te sunt.* Non dicitur, *et eris*, nec personae mutatio est secundae in tertiam, ut sit, *erit* illa, uti accipi solet, verum *et erit* construi debet cum

R *opprobrio*

opprobrio etc. ac tempus denotat, quo hoc opprobrium locum haberet, quod mox subjungitur, *quum fecero in te judicia* etc. adeo ut sermo hac ratione cohaereat; et *opprobrium tunc erit quum exercuero judicia.* Repetitur vero stuporis et obprobrii descriptio cum amplificatione, quatenus additur opprobrio *blasphemia*, et *obstupefactio siderans* adpellatur, eique adjungitur *exemplaris* punitio, quae gentes sicut in stuporem adtonitum conjiceret, ita exempli instar esset, quo justitiam Dei severam discerent, et quid peccatores obstinatos maneat cognoscerent. Radix גדף proprie dicit, *cum jactu ferire*, inde *feriendo* mutilare, in specie extrema corporis membra, praesertim aures et nares amputare; supplicium in Oriente usitatum, quo quis infamis fiebat per totam vitam, hinc verbis probrosis, et imprecatoriis, male alicui dicere, seu *blasphemare*, a βλάπτειν, quod est a βάλλειν *jacere*, *jactu ferire*. Verbum שמם, ut saepe observavi, proprie est *siderari*, tanquam urente et pestifero adflatu, inde inter alia *obstupefacere*, et in mentis attonitae horrorem defigere. Denique מוסר pro exemplo poenae severissimae satis tritum est, a יסר, cui respondet אסר, *ligare*, *vincire*, unde ad punitionem exemplarem et disciplinam vincientem transiit.

§. CXXIV. *b.* Sequitur delineatio status miseri, quo haec contumelia et stupor locum haberet inter gentes, 1. in genere vers. 15. *quum fecero in te judicia in ira et excandescentia, et in redargutionibus excandescentiae: ego Jehova dixi.* Nihil hic not. praeter phrasin *redargutiones excandescentiae*, quae vindictam severam exprimit, quae simul *arguit*, seu claram adfert justitiae et judicii Divini demonstrationem. Conf. Ps. CXLIX. 7. et ibi dicta, 2. in specie, cum repetita recensione malorum, supra memoratorum, vers. 16, 17. Ubi *a.* dirissimae famis vivida pingitur imago vers. 16. *Quum immisero tela famis, mala illa inter ea, quae sunt ad perditionem, quae immittam ad perdendum vos; et fames colliget vos, quum fregero vobis baculum panis.* Quae verba con-

continent 1. descriptionem dirissimae famis in genere, quam Deus declarat se in ipsos esse immissurum: quo pertinent verba, *tela famis*, *mala illa inter illa*, *quae sunt ad perditionem*: ubi illud tantum not., voces הרעים בהם vertendas esse, ut feci, *mala illa inter ea*, vel *in iis*, scilicet *telis famis*, בהם enim non cum verbo שלח *mittere* construi debet, ut solet, sed cum חצי *telis famis*, ut indicetur, tela famis, a Deo immittenda, esse omnium pessima et penetrantissima, κατ᾽ ἐξοχὴν *mala in illis* dicenda. *Tela itaque famis* intelliguntur non qualiacunque, sed quae in illis adpellari merentur הרעים *mala* illa, uti Deut. XXVIII: 59. et alibi plagae, vel verbera רעים *mala*, quae itaque certissimum adferunt *exitium*; uti mox additur, *quae sunt ad perditionem*: si cum verbo *mittere* connecteretur בהם, personae foret ingrata confusio, pro בכם; utitur enim propheta semper *secunda* persona, quam et hic adhibuisset, quare, si ad verbum *mittere* referatur, legerim בכם *in vos*, quod non est spernendum, et ה ac כ subinde permutantur, 2. effectum famis inter Judaeos, his verbis: *et fames colligens erit vos*, et *fregi vobis baculum panis* h. e. quum sustentacula vitae, seu alimenta, abstulero, fames vos omnes ad unum usque depascet, vel instar retis et verriculi colliget in mortem. Not. ו in ושברתי idem esse ac *quum*, postquam fregi, ut saepe alias; praecedit enim famem, et eam produxit fractio illa: praeterea magna emphasi pollet verbum אסף, cujus primigenia vis est in *verrente tractione*; unde ad lethalem collectionem, et quidem universalem, qua multitudo tanquam reti congregatur in mortem: sic c. XXXIV: 29. אספי רעב *collecti famis*.

§. CXXV. *b*. Fami dirissimae adduntur mox alia quaevis mala exitialia vers. 17. *Et mittam in vos famem*, *et feram malam*, *et orbabunt te*, *et pestis et sanguis*, vel caedes, *transibunt in te*, *et gladium* vel *vastitatem supervenire faciam tibi*; *ego Jehova dixi*. Nihil hic difficilis; tantum not. 1. vocem רעב *famem* hic videri superfluam, et vitio librarii

ex fequente רעה ortam. 2. Vocem דם inteftinas caedes denotare, ut tempore Gedaliae Jer. XLI. qua ratione a *gladio*, feu bello extraneo, et caede inde orta, diftinguitur, nifi voce חרב *vaftitas* fignificetur. Ubique, quod 3. obfervandum, dubium eft, num חרב *gladium*, an *vaftitatem*, denotet. Punctatura pro *gladio*, fed nexus pro *vaftitate* ftat; cum דם *caedis* jam fuerit facta mentio; alias quidem aliis punctis eo fenfu punctatur, fed poteft etiam, ut hic, uti Deut. XXVIII: 22. vel et cum aliis punctis legi: fi *gladii* feu *belli* notio retineatur, ejus hic fpecialis cenferi debet facta mentio, ut bellum externum, et caedes ob hoftibus facta, fignificetur, et ea ratione a fanguine diftinguatur. Sed poteft etiam דם *fanguis* pro caede per peftem fumi, et in voce *gladii* refpici ad Angelum Jehovae cum *gladio* vifum tempore peftis fub Davide; ficut vox *fanguinis* etiam ad eam peftem adplicatur Pf. XXX: 10. et pefti adjungitur Ez. XIV: 18. modo ibi genuina fit, de quo fuo loco. Nihil definio. Quatuor hae plagae et alibi memorantur, ut Deut. XXXII. et Ez. XIV. et alibi.

§. CXXVI. Nihil reftat, quam ut inquiramus, num haec omnia cap. IV et V. prophetae in vifione tantum contigerint, an etiam extra eam locum habuerint, et ipfe haec omnia ad litteram fuerit executus? Mihi eorum placet fententia, qui *prius* ftatuunt, ob has rationes. 1. Quia certum eft, prophetae haec mandata fuiffe in vifione ecftatica data: quod non videtur fuiffe futurum, fi extra vifionem re ipfa locum habitura effent. Quid enim vifione opus, ad mandatum hoc recipiendum? 2. Quia in ipfa vifione *funibus* ligatus eft c. III: 25. IV: 8. argumento reliqua etiam ab ipfo in vifione fuiffe peracta. 3. Quia actiones, ipfi hic imperatae, fine vifione omnes peragi non potuerunt, ut fuper lateribus recumbere c. IV. et capillos radere, comburere, ac difpergere cap. V. Quae tamen eodem tempore fieri debebant, cum 430 dies cubare deberet; adeoque ultra annum; et ad finem obfidionis; qua durante *crines* combureret, et

nova

nova revelatio ipsi intra illud tempus obtigerit. c. VI. etc. 4. Quia tam dura conditio tot dies super lateribus cubandi, sine ulla mutatione a latere ad latus, prophetae censeri nequit imponenda: cujus simile nullum exemplum est, et naturae humanae plane repugnat. 5. Quia panem stercoreum comedere, sive humanum, sive bovinum, plane abhorret: quod tamen prophetae injunctum esse vidimus. 6. Denique quia crines *in medio Hierosolymae* durante obsidione comburere deberet, c. V: 2. quod sine visione fieri non poterat. 7. Accedit, non legi ea mandata fuisse a propheta executioni extra visionem data. Quod tamen additum fuisset, si locum habuisset. Tantum ex seq. colligendum videtur, duas primas partes visi fuisse ad litteram observatas, quatenus sese, ut plurimum *domi* videtur continuisse, et linguam tenuisse ligatam, eo, quo supra exposui, sensu, donec, Hierosolyma occupata, soluta fuerit; ut supra vidimus. Consequens itaque visionis nullum aliud fuisse videtur, quam quod illud cum exulibus suis communicaverit; ut alia occasione fecisse diserte traditur. c. XI: 25. Fundant sese dissentientes praecipue, vel unice fere, in eo, quod c. IV: 12. jubeatur placentam stercoream parare *coram oculis* populi: sed et illud in visione quoque sibi visus est facere, et significatur, populo illud esse adnunciandum. Ne autem quis offendat ad id, quod loco *annorum* dati sint prophetae *dies*, acsi illud visioni obstaret, et signum esset, rem ad litteram esse exsequendam, not., illud factum esse non tantum, quod tot anni ne in visionem quidem recte quadrarent, sed in primis, quod *cubatio* quoque ad *dies* obsidionis spectabat: ut supra vidimus. Potuisse autem prophetam *stercus humanum* deprecari in ipsa visione, facile patet. Quare ei non immoror.

CAP. VI.

§. CXXVII. Secunda revelatio, sed sine visione ecstatica, cum simpliciter dicatur, *verbum Jehovae* ad *ipsum* esse *factum*, eodem anno *5to*, quo superiores visiones contigerunt, facta est, cum c. VIII. anni *sexti* expressa fiat mentio, et directa non ad *urbem* ipsam Hierosolymam, ut visiones superiores, sed ulterius ad reliquam terram Judae, in specie *montes Israelis*, uti mandatum Dei habet vers. 2. *pone vultum tuum contra montes Israelis*, *iisque vaticinare*. Quo indicatur ipsum, vultu eo verso, declaraturum esse palam, montes Israelis hostiles invasiones, quae per *vultus positionem* figurantur, esse passuros. Montes Judae et Benjaminis ac vicinorum locorum, quos Judaei, Israele jam abducto, incolebant, intelliguntur, et non Israelitarum, a Juda distinctorum, uti nonnulli volunt, quia montes Israelis jam erant incolis suis orbati, adeoque objectum prophetiae esse non poterant. Nomine *Israelis* comprehenduntur omnes, qui de populo Dei supererant in terra, alias *Judaei* dicti, qui eo titulo insigniuntur, quia, discrimine Israelis et Judae per regni Israelitici destructionem jam sublato, antiquo et honorabili *Israelis* nomine insigniri poterant, et debebant: erat autem illud honorabilius, quod a Jacobo, *Israele* dicto, erat derivatum, et in eo jus in hanc terram fundatum. Praeterea nomine *montium* quoque continentur, ut vers. 3. habetur, *colles*, *cavitates*, et *valles*, montibus cohaerentes, et inde originem habentes. Vox אפיק est a rad. פוק, ut jam vidit Cocc., et א est servile ac superlativi nota; est autem radicis proprietas in *convexo* vel cavitate *convexa*, unde orta est profundioris cavitatis significatio, et inde *torrentis*, captata simul vi in *torrente impetu aquarum*, quam Graeci habent in κυρτοῦσθαι *convexari*, convexum reddi, ad exprimendum *tumorem fluctuum*. Ultima vox גיאות, uti in textu est,

eſt, et recte ſeſe habet, eſt a גיא. quae eadem radix eſt ac גוה unde גו, et foem. גוה ac גיא, ſignificat *mediam* cujuſque *rei cavitatem*, indeque corpus medium, interiorem partem domus, vallem etc. Vid. Schult. ad Job. XXX: 5. Compellantur autem in ſpecie *montes*, et *valles*, quod praecipuae eſſent terrae Judaeorum partes, et idolorum ſedes; uti in ſeq. videbimus, ad indicandum, deſolationem terrae acceptam in primis ferendam eſſe idololatriae per totam terram diffuſae, ut ſeqq. quoque docent

§. CXXVIII. *Argumentum* prophetiae eſt idolorum ac incolarum terrae totalis deſtructio, per Chaldaeos executioni mandata. Quod enim Coccejus ulterius extendit ad excidium per Romanos, illud ſine ratione fit, et ex eo ſatis refutatur, quod *idololatriae* crimen hic tantum memoretur, tanquam cauſa excidii. De verſ. 9., in quo ſeſe fundat exponam poſtea. *Partes* capitis ſunt *duae* generales, quarum indicium eſt in formula, *ſic dixit Jehova*, verſ. 3 et 11. Sunt autem ejuſdem argumenti, ſed poſterior eſt prioris confirmatio, et per externum ſignum repraeſentatio aliqua. *Prior* eſt verſ. 3—7, *poſterior* verſ. 11—14. ſed interſeritur, ſeu priori parti ſubjicitur, luculenta praedictio converſionis ſuperſtitum in exilio, ad fidem et ſpem piorum firmandam: verſ 8—10. *Tres* itaque in univerſum ſunt prophetiae partes: quarum *prima* continet idolorum et incolarum terrae deſtructionem, verſ. 3—7. *ſecunda* promiſſum de reliquiarum conſervatione et converſione in exilio verſ. 8—10. *Tertia* deſtructionis repraeſentationem et confirmationem verſ. 11—14.

§. CXXIX. In *prima* parte a. occurrit propoſitio, judicium in montes in genere complexa verſ. 3. his verbis, *ecce me! ego adducam in vos gladium* ſeu *vaſtationem, et perdam excelſa veſtra.* h. e. adeſt tempus, quo per judicia mea et hoſtiles invaſiones, montes et valles, ſim ornatu et incolis privaturus, ac excelſa idololatrica deſtructurus. Nihil hic habeo, quod obſervem, praeter ambiguitatem vocis חרב, quae

quae et *gladium* et *vastationem* denotat, ut supra c. V: 17. cujus utriusque significationis locus esse potest; adeo ut montium vastatio per judicium Dei publicum, cujus emblema est *gladius*, comprehendatur, in specie relate ad habitacula et incolas, quibus *montes* privarentur. Sed vox חרב etiam latius sumitur pro omni instrumento, vi scindendi, et destruendi, praedito, uti pro malleo acuto, securi, machina bellica, et similibus. Hic instrumentum denotare potest, quo aedificia etc. destruuntur; uti mox sequitur, *exscindam celsa*. *Excelsorum* destructio additur expresse, ad causam malorum, in idololatria quaerendam, exprimendam.

§. CXXX. β. Propositionis deductio. qua α. recensentur *objecta* destructionis, quorum respectu in montes dictum erat adducendum gladium, et excelsa exscindenda, vers. 4, 5. his verbis, quae proferam et illustrabo. *Et vastabuntur altaria vestra, et confringentur solaria vestra* (חמניכם sive sint fana, πυρεῖα, in quibus ignis adservabatur, vel continue ardebat, ut Boch., et Selden., sive statuae soli consecratae, ut disputat Vitringa ad Jes. XVII: 8. quod in medio relinquo; licet in *fana* rectius quadrare videatur, *cum* quod a statuis et sculptilibus distinguantur vers. 6. et 2 Chron. XXXIV. *tum* quod in *sublime supra* altaria dicantur ibid. vers. 4. educta, *tum* quod alias *fanorum* hic et 2 Chron. l. c. nulla facta fuit mentio. Verba vero גדע et שבר aeque in fana ac statuas conveniunt) *et cadere faciam confossos vestros coram stercoreis vestris Diis, et dabo cadavera filiorum Israelis coram simulacris eorum*, (filios Israelis super vobis confossos procumbere faciam insepultos coram idolis, ad eorum prostitutionem, tanquam ad cultores liberandos ineptorum; et in poenam idololatriae ipsorum. Eo enim tendit, quod *coram idolis* procumbere dicantur. Vox גלול a גלל *convolvere*, *conglobare* in majorem molem, hic *stercus* non denotat, quod גלל, non גלול adpellatur, nec Dii stercora alibi vocantur, sed lapidem voluminosum, seu statuam ex lapide magnae molis in formam humanam effigiatam. Quod a nonnullis

nullis jam recte observatum est. Cum propheta, montes adlocutus dixisset, *confossos vestros coram idolis vestris*, ne illud ambiguum maneret, explicationis gratia addit, *et filiorum Israelis dabo cadavera coram idolis ipsorum*; quo indicatur, *confossos montium* esse cadavera filiorum Israelis super montibus: quae itaque verba haberi debent parenthetica, quare *tertia* persona usus est propheta; et mox in secunda persona loqui pergit, *et spargam ossa vestra circum altaria vestra* (scilicet, ad ea contaminanda, ut fecit Josias 2 Chron. XXXIV. Ossa *vestra*, eodem modo montes adlocutus, dicit, quo modo *confossos vestros*.)

§. CXXXI. *b.* Extenditur destructio eorum usque ad omnes terrae partes, et ratio seu finis, ut idololatria penitus exscindatur, traditur, vers. 6, 7. *In omnibus habitationibus vestris* (h. e. in omnibus locis vestris habitabilibus, seu quae habitantur, sermo enim continuatur ad *montes* et valles, adeoque phrasis alio sensu capi nequit) *urbes* (adeoque non vici tantum et pagi, qui includuntur, sed *urbes* etiam) *vastae reddentur*, et *excelsa desolabuntur* (omni ornatu, cultu et incolatu orbabuntur, et in vastam solitudinem, quae ישמן adpellatur, redigentur) *propterea ut* (sic enim capi debet למען, ut causa et finis tradatur: quem conspectum habent verba sequentia, quae alias forent repetitio inanis,) *vastentur et rea peragantur altaria* vestra (h. e. altaria profana, super vobis exstructa, ad cultum idololatricum exercendum, diruantur, ac e medio tollantur, eaque ratione demonstretur, ea esse peccaminosa, damnabilia, et excidio digna, simul reatus, populo incumbentis, causam. Verbum אשם hic recte retinet usitatum *reatus* significatum, licet nonnulli *desolationis* potestatem ei adtribuant, quia priorem usum constanter retinet, ut recte Rev. Lette Obs. ad V. T. p. 95. et is ab hoc loco non abhorret. Altaria dicuntur *rea* peragi, quatenus tanquam instrumenta idololatriae publice damnantur cum toto cultu idololatrico, et pro causa excidii populi habentur, ac declarantur,) *et confringentur*,

ac defixa humo jacebunt simulacra vestra, (sic recte vertitur ומשברו, cujus proprietas est in *pangendo*, sive figendo, unde inter alia ortus est usus, quo denotat, *debilitatis* ac *contusis viribus jacere immobilem*. Vid. Schult. clav. p. 307. et Abresch ad Obadj. p. 38. Plus itaque dicit, quam *quiescere*, *cessare*, nisi quatenus *sistere* et *cessare* eam emphasin adsumant, ut *sistere* sit *prosternere*. Indicatur itaque idola confracta esse solo adfigenda, et immobilia ac debilia decubitura, nec renovanda; in signum vanitatis ipsorum.) *et exscindentur solaria vestra* (seu fana ignita, de quo supra) *et detergebuntur opera vestra* (h. e. opera hominum super vobis, montes! exstructa, vobis imposita, evertentur et delebuntur; quod hic est מחה, de quo verbo vid. Schult. ad Prov. XXXI: 3. Per *opera* hic intelligi videmur quaevis *simulacra*, eo nomine ad eorum prostitutionem insignita, et superioribus eo scopo addita, ut indicaretur, idola esse hominum solorum opera, non veros deos. Conf. Ps CXXXV: 15. Jes. XVII: 8. XLIV: 12.—) *et cadet confossus in medio vestrum* (sicut *urbes* et excelsa, ita et homines; vid. vers. 4) *et cognoscetis me esse Jehovam*, (h. e. experiemini, et, si ratione gauderetis, cognosceretis, me solum esse verum Deum, justum aeque ac bonum.)

§. CXXXII. *Secunda* cap. pars *a*, habet, fore aliquos e communi clade superstites, qui inter gentes dispersi forent, vers. 8. *Et*, vel *at*, *residuos faciam*, *quum factum fuerit*, *vobis evasores gladii inter gentes*, *quum disperserim vos per terras*. h. e. quum haec tanta calamitas ingruerit, nonnullos, qui communi illa clade evaserunt, relinquendos faciam inter gentes, postquam incolas vestros illos dispersero per terras peregrinas. Nihil hic nobis relictum est, nisi verbum בהיות, quod Interpretes turbavit, absolute et seorsim stare, et vertendum esse *quum factum fuerit*, scilicet, id omne, quod modo erat memoratum, seu per ellipsin voculae זאת esse supplendum, quum *hoc*, tam grave malum acciderit: quemadmodum 2 Reg. XXIV: 3. et alibi. Praef. ב in בהיות

eodem

eodem hic sensu sumi debet, quo vox in בהזורותיכם et verti, *quum*. Pronom. לכם *vobis* recte cum praeced. et seq. construitur, ut sit, *quum factum fuerit hoc vobis*, *vobis relinquam* etc. Cum vero dixisset, relinquendos eos, qui gladio evaserant, *inter gentes*, recte explicationis gratia subjungitur *quum dispersero vos*, ad indicandum, eos esse quaquaversum dissipandos inter gentes. Praeterea not., ad quod etiam obhaeserunt Interpretes, sermonem continuari ad *montes*, de quibus dicitur *Deum eos dispersurum esse*, sive quatenus incolas eorum sit dissipaturus, adeo ut *vos* sit *vos* respectu incolarum, sive sit pro בהזורתי לכם *quum dispersorim vobis*: quod non est insolitum. Adfixa enim aliq. exponi debent, tanquam a verbo et voce separata. Vid Danzius Interpr. Hebr. p. 76. Sed forte rectius בהיות vertitur *in calamitatibus* profundis, ut sit nomen הוה, a rad. הוה, cui היה respondet, proprie *cecidit*, et quidem lapsu in profundum; unde vox הוה usurpatur pro barathro profundissimo omnis calamitatis. Retinet itaque praef. ב usitatam potestatem *in*, uti et in seq. בהזורותיכם *in dispersionibus vestris*, ut sit vox הזרות plur ab הזרה *dispersione*, בהיות לכם vero est idem ac בהיותיכם, nisi quis ita velit legendum.

§. CXXXIII. *b*. Superstites illos inter gentes ad Jehovae, Dei sui, agnitionem esse venturos, quum animi ipsorum et oculi scortantes fuerint a Deo fracti, et illi taedio ac moerore causa peccatorum suorum adfecti vehementiore, subjungitur vers. 9, 10. *Et recordabuntur mei evasores vestri inter gentes*, *ubi captivi degent*, *quum*, vel *quorum*, *confregi mihi animum eorum scortantem*, *qui recessit a me*, *et oculos eorum scortantes post stercoreos suos deos*, *et taedio ac moerore disrupti fuerint in faciebus suis ad mala*, *quae fecerunt*, *cuncta abominabilia ipsorum*; *et cognoscent me esse Jehovam*, *qui non in vanum locutus sum*, *ad faciendum ipsis hoc tantum malum*. Quibus verbis *α*. conversio eorum exulum; *β*. ejus antecedens et ratio describitur; sed oratio ita est concinna-

ta,

ta, ut *conversionis* lineae in principio et fine pericopae ducantur, *antecedens* vers. ejus medium locum occupet, et conversionis descriptionem dividat: quod adtendenti sese facile adprobabit. Ad *prius* itaque, seu conversionem exulum, haec verba pertinent, quae conjungenda sunt in principio et fine pericopae, *et recordabuntur evasores vestri mei inter gentes, ubi captivi degent, et cognoscent me esse Jehovam, qui non in vanum locutus sum, ad faciendum ipsis hoc tantum malum.* Quae nihil habent difficilis. Sensus est, eos Deum, quem antea erant obliti, a foedere et cultu ejus deficientes, ad animum denuo revocaturos, et agnituros esse pro Deo suo justo et verace, qui et justam ob rationem, et ante dictis de populo destruendo propter peccata fidem praestitit. Notetur, alludi ad propriam voculae חנם potestatem in *stridulo* et *tinnulo* sitam, quae nil solidi habet, a rad. חנן. *Posterius*, quod insertum est, his verbis continetur: *quum confregi mihi animum eorum scortantem, qui recessit a me* (hac ratione verba אשר נשברתי vertenda esse censeo; quae alias orationem faciunt impeditiorem, et interpretes turbarunt. Vocula אשר recte vertitur, vel *quum*, quando, vel *postquam*; vid. Nold., reddi etiam potest, cum לבם constructa. *quorum animum*, quod forte rectius est, et נשברתי in Niph. exserit vim reciprocam, ut sit *fregi mihi*, sic Job. XV: 20. נצפנו *condiderunt sibi* thesaurum et alibi. Active etiam sumserunt Chald. et Syr., nisi legerint שברתי, quod non est spernendum. Exstat etiam inter varias lectiones, in Hiph. השברתי, apud Kennicot. Utique pass. notio, *fractus sum*, sensum non fundit tolerabilem, nec structurae orationis respondet. Interpretes, qui passive sumunt, varie instituunt, ut exponant, qua ratione Deus dicatur *fractus* corde populi scortante. Quibus non immoror. *Cor frangi* dicitur, phrasi satis nota, quum dolore, pudore et poenitentia, adficitur gravi; quod hic unice intenditur. Deus autem id fecisse dicitur, quatenus per judicia sua, verbum et spiritum suum, id efficit: quod facillimum est,) *et oculos eorum*

rum *scortantes post stercoreos suos Deos* (scilicet, *fregi*, quod ex praeced. repetendum est. h. e. desiderium et impetum idololatricum, cujus signa et incitamenta sunt oculi, destruxi, et cum dolore ac aversatione commutavi. Vid. Sanctius, qui phrasin recte illustravit)! *et taedio ac moerore disrupti fuerint in faciebus suis ad mala, quae fecerunt, cuncta abominabilia sua.* (h. e. taedium et moerorem disrumpentem palam demonstraverint, ob mala abominabilia, quae patrarunt. Radix קוט habet proprietatem in *disruptione cum fragore*, unde fastidiendi et lugendi vehementius usus ortus est, quatenus fastidio et moerore quis recte dicitur *disrumpi.* Additur in *faciebus* ad publicam taedii demonstrationem indicandam. Reliqua sunt facilia.)

§. CXXXIV. *Tertia* capitis pars exhibet destructionis repraesentationem et confirmationem per gestus prophetae, et repetitam destructionis explicationem. vers. 11—14. Ubi occurrit α. propositio vers. 11. β. ejus deductio vers. 12—14. α. Propositio continet lamentantis, stupentis, indignantis gestum, prophetae injunctum, ejusque causam, in signum miseriae populi ob peccata eventurae vers. 11. *Sic dixit Dominus Jehova, percute manu tua, et tunde pede tuo et dic, ah! ad omnia abominabilia mala domus Israelis, quia gladio, fame et peste cadent.* h. e. abominationes et mala, quae Judaei fecerunt, te conjiciant in gravem luctum et indignationem, ejusque signa manibus, pedibus et voce praefer., quod gravissima inde ipsis oritura sint mala, quae ruinam adferent. Orationis structura exigit, ut abominationes Israelis constituant *materiam* luctus et indignationis, *destructio* vero ejus, inde oritura, *rationem* moventem. Luctum et indignationem demonstraret ad abominabilia, et ratio repetitur a malis inde eventuris. Vocula אשר hic est pro על אשר *quia, propterea* quod; ut saepe alibi. Signa luctus et indignationis sunt *percussio manu, calcatio pede*, et *clamatio ah!* Non habetur, *percute manum et calca pedem*, sed *manu* et *pede;* per ellipsin, pro *manu* vel manum, vel

 pectus

pectus vel caput, et pede terram. Quae hic non funt laetantis, et irridentis figna, ut cap. XXV. fed ftupentis, dolentis, et indignantis, ut cap. XXI. Vid. *Sanctius*, qui haec recte illuftravit.

§. CXXXV. β. In propofitionis deductione et amplificatione α. extenditur deftructio ad omnes Judaeos in Judaea et Hierofolymis degentes, ubicunque locorum fuerint, five in manus hoftium inciderint, five ab iis fuerint remoti, etiam in tuto pofiti. verf. 12. *Longinquus pefte morietur, et propinquus gladio cadet* (h. e. longe ab hoftibus remotus, ita ut gladio feriri nequeat, *pefte* peribit; *propinquus* hoftibus eorum gladio occidetur: quem fenfum recte vidit Grotius, et oppofitio longinqui ac propinqui confirmat.) et *relictus*, feu fuperftes (fcilicet, qui et peftem et gladium effugerit) *ac cuftoditus*, feu arcte inclufus (fcilicet in loco tuto et abdito, omnibus rebus fpoliatus, cunctis circumquaque locis vaftatis, quam fenfus amplitudinem adfert נצור, ut Jef. I: 8.) *fame morietur*, (fi vel gladio et pefte evaferit, fames tamen eum corripiet et aufert.) *et confummabo aeftuantem meam iram in ipfos* (itaque ad internecionem ufque delebo eos, et quibufcunque malis eos e medio tollam, fine irae meae temperamento.)

§. CXXXVI. *b.* Adjunctum vel finis deftructionis, additur, in demonftratione majeftatis ac divinitatis Jehovae, ac proftitutione idololatriae verf. 13. *Et cognofcetis*, vel ut cognofcatis (fc. vos, montes! ipfo facto experiemini, et, fi ratione polleretis, cognofceretis. Sermo enim dirigitur ad montes, ut per totum caput: fecunda enim perfona utitur Deus.) *me effe Jehovam*, (verum et fummum Deum, juftum et veracem) *quum erunt confoffi eorum in medio ftercoreorum eorum Deorum, circa altaria eorum* etc (fcilicet, in fignum proftitutae idololatriae eorum, conf. verf. 5. Huc enim tendit haec exaggeratio, ut fupra vidimus. *c.* Amplificatur deftructio quatenus ad totam terram porrigitur, quae defolata jaceret verf. 14. *Et extendam* cum inclinatione *manum meam*

fuper

Super eos (sc. ad feriendum, longe lateque, usque ad ipsam terram habitationis ipsorum, uti sequitur) *vastationem* (proprie siderationem tanquam urente, et pestifero adflatu, adeoque ipsam vastitatem) *et sideratam* (h. e. quin sideratam, et vastatam, scandit enim oratio, nec inanis est vocis שממ repetitio) *prae deserto Diblatae, in omnibus habitationibus ipsorum* (plusquam vastissimum desertum, desolata jacebit terra ipsorum quaquaversum. Hunc enim sensum fundit מ in ממדבר, ut Syr. quod jam est observatum. Sed quodnam est desertum דבלתה *diblata?* occurrit quidem ejus nominis locus in terra Moabitica. Num. XXXIII. et Jer. XLVIII., sed ejus ratio, secus ac Jun., et ex eo Grot., putat, hic haberi nequit, cum de vastitate ejus non constet. Mihi videtur in genere epitheton esse deserti vastissimi, a rad. Arab. cum *dsal, flaccescit, emarcuit;* quo etiam Hos. I: 3. respicitur, ut ibi observavi. Singulare est, quod Ephraem Syr. ad h. l. Oper. Syr. tom. II. p. 17. dicit, *desertum Diblat* esse *locum, quem Daphnem adpellamus prope Antiochiam.* Cui si aliquid tribuatur, verti posset *a deserto usque* ad *Diblam*, seu prope Antiochiam, adeoque totam Cananaeam. a termino australi, seu *deserto Tsin* uti est Num. XXXIII: 36., et ubi pro termino australi occurrit c. XIII: 21. usque ad terminum Septentrionalem, seu Daphnem, sicut alibi *Chamat*, seu, ut nonnulli opinantur, *Antiochiam.* Sed si terminus Septentrionalis in censum veniat, rectius legeretur, רבלתה *Ribla*, ut aliqui codices habent, et Kimchius accepit, cum litterae ד et ר facile permittentur. *Ribla* autem locum tenet in limite Oriental. Septentrion. Num. XXXIV: 11. et, quod notandum, locus est, ubi Nebucadnesar judicium exercuit in Tzedekiam, ejusque domum et aulam Jer. XXXIX: 5.) *et cognoscent, me esse Jehovam* (h. e. experientur, vel et, ut cognoscant, et agnoscant.)

CAP. VII.

§. CXXXVII. Tertia revelatio, eodem tempore et modo, quo praecedens, facta, cujus indicium est in formula *factum est verbum Jehovae ad me*, ejusdem quoque est argumenti, sed in eo discrepat, quod haec destructionem proxime instantem sistat, cum praecedens in genere, tempore non definito, eam exhibeat, adeoque eo tendit, ut eorum praejudicium, minaces prophetias ad longum tempus spectare, quorum mentio est cap. XII., e medio tollatur. *Partes* capitis, ut recte advertit Junius, *duae* sunt, uti ex formula, *sic dixit Jehova*, vers. 1 et 5. etiam elucescit, quarum *prior* summariam consilii divini propositionem, cum propheta communicatam, continet, vers. 1—4. *posterior* ejus fusiorem deductionem, quam propheta coram populo pronunciaret vers. 5—27. In *priore* itaque parte propheta exponit, quid Deus sibi dixerit, in *posteriore*, quid in mandatis sibi dederit promulgandum. *Priori* parti praemittitur excitatio prophetae ad *audiendum*, quid Jehova ipsi notificet, his verbis, *et tu fili hominis!* scilicet *audi*, uti rectius suppletur imperfecta oratio, quam per *dic*, ut LXX. fecerunt, et alii. Propinquius est, et scopo pericopae convenientius, ut verbum *audire*, quam *dicere*, suppleatur. Phrasis *et tu* idem dicit, ac *heus tu!* scilicet adsis et audias. Pericopa, ut dixi, eo tendit, ut prophetae communicetur sententiae summa, quae ab ipso mox erat coram populo pronuncianda. *Summa* sententiae 1. proponitur, 2. deducitur. 1. Proponitur his verbis, vers. 2. *sic dixit Dominus Jehova, terrae Israelis finis, venit finis in quatuor oras terrae istius.* h. e. haec est sententia, quam Jehova pronunciavit, et tecum communicat, in terram Israelis, *finis* est, actum est cum ea, venit consummatio super totam terram, quam late patet. Not. 1. voces, *terrae Israelis*, cum praeced. et seq.

recte conjungi, uti saepe alias fit, hac ratione, *vel dixit terrae Israelis* seu de ea, *terrae Israelis finis* est. 2. vocem קץ *finis*, per accentuationem Masoreth. a seq. divulsam, cum praeced. cohaerere, et per se stare, ut sit, *finis*, scilicet est, h. e. ad *finem* suum pervenit, finem et terminum durationis suae adtigit, nec amplius erit scilicet, quae excolatur, et floreat, quamque incolant Israelitae; adeoque plane et plene destruetur. Quem sensum et phrasis *terrae finis est*, et sequentia omnia requirunt, nec aliam emphasin quaero. Conf. Gen. VI: 13. *venit finis omnis carnis apud me*, et Jer. LI: 13. de Babele, *venit finis tuus* 3. reliquas voces, explicationis gratia, esse additas, ut *finem adesse*, et per *terram* Israelis universam terram intelligi, cognosceremus; *venit finis* (seu adest, supervenit, irruit, quem usum adfert בוא *venire*) *super quatuor oras terrae istius*.

§. CXXXVIII. 2. In deductione propositionis sermo vertitur ad ipsam terram, in quam Deus itaque coram sententiam, modo prophetae communicatam, directe pronunciat; quod emphasin et elegantiam orationis auget, vers. 3, 4. Ubi *a*. destructio repetitur vers. 3. his verbis: *nunc finis super te* scilicet *venit*, emphasin habet vocula עתה *nunc*, dicit *nunc* tandem, ante fores est, et certo certius mox est. *b*. destructionis causa efficiens ibid. *et mitto iram meam in te* h. e. ut in te hostiliter grassetur, et ruinam inferat totalem. *c*. ejus justitia his verbis, ibid. *et judico te secundum vias tuas*, (judicium, quod pronuncio et exequor, est institutis incolarum tuorum congruum) *et do super te omnes abominationes tuas* (h. e. non, ut nonnulli, pono contra te abominationes tanquam accusatores et testes, sed imputo tibi abominationes, et earum fructum te carpere, seu earum poenas te luere facio. *Dare super aliquo* est ei imponere, imputare, et ferre facere, tanquam grave onus.) *d*. Severitas et certitudo judicii; ac destructionis gravitas vers. 4. *Nec connivebit oculus meus*, *nec clementem me praebebo* (quae exposui c. V: 11.) *quia* (rectius, *profecto*, quod saepe est כי;

ut

ut adseverationis conspectus, quem verba habent, elucescat clarius) *vias tuas super te dabo* (uti modo, *abominationes tuas super te dabo*) *et abominabilia tua in medio tui erunt* (h. e. irruent hostiliter in te totum, et destruent. Hanc enim notionem subinde admittit היה, qua hostilem dicit impetum ex primigenia *cadendi* potestate; uti 2 Sam. XII: 23. et Ps. LV: 19 Interpretes hic varie instituunt, hoc non observato, etiam aliena sectantur.) *e.* Finis destructionis, *et cognoscetis, me esse Jehovam.* Quod supra jam est explicitum.

§. CXXXIX. *Posterior* pars, quae, ut dixi, comprehendit ipsam concionem propheticam, cujus summa prophetae modo erat notificata, *duabus* itidem ex partibus constat, *propositione* et ejus *deductione* ac amplificatione, et praemissam habet formulam, *sic dixit Jehova*, novae pericopae indicium, sed elliptice propositam, cum suppleri debeat, *fili hominis dic*, seu *vaticinare* contra *terram Israelis*; uti plane occurrit cap. VI: 1, 2. Commendatur vero haec hypothesis de ipsa concione hic incipiente, ex eo, quod hinc ratio repeti queat repetitae praecedentis pericopae, licet cum aliqua variatione, vers. 5—9. quae repetitio ceteroquin minus elegans foret, et superflua; sed ex hac hypothesi grata et adcommoda, cum summam prophetiae sibi factae recte praemittat propheta, eam repetendo. א. *Prior* itaque pars concionis continet summariam destructionis instantis propositionem; verbis superioris pericopae repetitis, cum aliqua variatione vers. 5—9. ubi, aeque ac supra, occurrit α. propositio β. ejus deductio. α. Propositio his verbis vers. 5. 6. *Malum unum malum ecce venit, finis iste, quatienda se excitat ad te; ecce venit.* Vocabulorum repetitio, et adcumulatio, uti certitudinem et gravitatem calamitatis exprimit, ita de adfectu commoto vaticinantis testatur, et ad populi adtentionem, ac adfectum excitandum adcommodata est, scandit praeterea sermo, *malum* adpellat, dein malum *unum*; seu singulare, eximium, magnum: vid. Schult. ad Job. IX: 22. *unum* praeterea, quod summum sit et ultimum, rem perficit; nec alio

malo

malo ad supplendum indigeat, uti in phrasi: *percutere una vice* 1 Sam. XXVI: 8. addit adhuc *malum*, *malum unum malum* sive *malum unum malissimum*, ut Cocc., ut posterius sit adjectivum, sive potius; *malum unum malum*, inquam, *ecce venit*, per repetitionem emphaticam, vel potius *malum unum quassans*, et ita frangens: quo sensu aliq. venit, ut Jer. XXIII: 10. XLVIII: 16. XLIX: 37. et alibi. Subjungit, crescente oratione, *finis venit* sc. malum non tantum gravissimum, sed *finale*, quod totalem adfert destructionem; *venit*, inquam *finis* iste, dudum praedictus diu exspectatus terribilis ille et horrendus: sequitur, *quatiendo excitat se ad te*; magno cum impetu ruit ad te; quam emphasin habet הקיץ, praeter elegantiam adliterationis קץ et הקיץ. Radix enim קוץ et יקץ, originem habet in *quassando*, *rumpendo*, disrumpendo, unde *taedii* usus, quo quis rumpi dicitur, et *aestatis*, quae aestu omnia diffringit, denique *expergisci*, e somno abrupto se *excutere*, corpus quassare ad vegetam agilitatem recipiendam. Clauditur, ut inceperat, propositio, per *ecce venit*.

§. CXL. β. In propositionis deductione *a.* calamitas, ejusque propinquitas repetitur, et explicatius traditur vers. 7. *Venit comata ad te, incola terrae, venit tempus opportunum, prope adest dies ille, adtonita est discursatio, et non, vel nihil, fragorem adtollere*, h. e. tremenda et mali praenuncia majestas, stellae comatae instar, supervenit te incola terrae; tempus, quo vindicta sumenda est, ante fores est, et dies iste terribilis in propinquo, quo pura puta erit adtonitae mentis discursatio, et horribilis omnis confusio, nihilque proficiet, conclamationem fragrosam adtollere, sive se mutuo ad auxilium excitantium, sive querulas voces cientium. Quae paraphrasis sicut in rem praesentem est adcommodata, et sensum fundit facilem, uti adparet, ita vocibus et phrasibus recte intellectis, apte respondet. Quod exponi meretur, cum Interpretes, aliter licet diverse, instituant. Difficultatem in primis peperit vox הצפירה, et phrasis in fin. ולא הד הרים

הוד הרים. Reliqua facile expediuntur nec habeo, quod notem, nisi עת esse tempus opportunum, quo judicium a Deo sit exercendum, et מהומה denotare adtonitae mentis discursationem, confusum conturbatae et trepidantis multitudinis impetum, quo huc illuc instar insanorum ruunt, quid agant, et quo se vertant nescii, alii alios trudunt, et in se mutuo grassantur. Quae vivida est desperatae calamitatis descriptio. Radicis הום proprietas est in *aestuatione cum vertigine*, vel *vertigine ex aestu* oriunda, unde ad mentem adtonitam vel vertigine aestuantem, ac discurrentem, transfertur, nec non ad summum confusionis ac conturbationis gradum, qua homines pro lubitu in se invicem grassantur, et totius reip. statum subvertunt, ut Am. III. 9. Quod autem ad vocem צפירה adtinet, quam vel *periodum*, vel, quae communior est opinio, *matutinum*, *auroram* vertunt, nos *comatam* reddimus, et ad stellam crinitam, cometam, adludi, ac terribilem, et mali praesagam, majestatem intelligi existimamus. *Periodi* significatio et circuitus est insolens, et *aurorae* non nisi apud Chald. obvia, cui hic locus etiam esse nequit, cum ita absolute posita in *bonum* sumatur, ut *aurora venit* sit, felicitas adlucescit. Nostra interpretatio, sicut in rem est adcommoda, ut facile percipitur, ita I. voci respondet; est enim a צפר Arab. *torquere funem*, inde *plectere comam* a torquendis cirris; hinc vox derivata dicit, *cirrum plexum*, *complexum crinium*, in specie in cumulum aggestum, et sic *diadema* regium. Vid. Cl Schroed. ad Jes. III. p. 106. Quae significatio recte quadrat in *cometam*, et *majestatem* regiam, utramque terribilem, et ingentis mali praenunciam. *Cometas Graeci vocant*, inquit Plinius lib. II. c. 25. *nostri crinitas horrentes crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidas*. De *cometarum* praesagiis communis fuit per omnia tempora hominum opinio, adeo ut in proverbium abierit.

οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Fuit quoque emblema potentissimi regis, tremendae majestatis,

jestatis, ingentes mutationes inferentis per orbem, uti Num. XXIV: 17. ubi etiam stella est *cometes*. Occurrit quoque nostra vox pro majestate regia Jes. XXVIII: 5. Nec improbabile est, *cometam* hoc vel simili nomine venisse apud Orientales, cum respondeat Gr. voci et Lat. *crinitae comatae* stellae. Nec aliam stellam videtur significare vox, ejusdem potestatis, מזרות Job. XXXVIII: 32. a rad. זר proprie *torsit*, inde torquendo strinxit, instrinxit, obstrinxit, unde ad *comam* transiit, et diadema circumstringens. Recte itaque stella crinita eo nomine insignitur. 2 Confirmatur ex coll. vers. 10. ubi cum verbo יצא, quod soli et stellis recte convenit, et cometis tribuitur Job. l. c. construitur, et cum *virga* vel *sceptro* conjungitur, de quo mox. 3. denique aliquid lucis mutuatur, ex Num. XXIV. ubi *stella* et *sceptrum* eodem modo copulantur, et de regia ac terribili majestate agitur.

§. CXLI. Quod vero ad ultimas adtinet voces, ולא הד הרים, quae reddi solent, *et non echo vel celeusma montium* et exponi, vel non fore clamorem, ut est echo, vel non laetitiae, ut vindemiantium, vel idololatrarum in montibus circa idola saltantium, et canentium; ego reddidi, et *non* vel *nihil* est *fragorem adtollere*, hoc sensu: pura puta est confusio hominum adtonitorum, discursantium, et nihili est, frustra et vanum, clamores tollere, sive se incitantium, ut solent milites, sive quiritantium, et gravius conclamantium fragore colliso, uti tempore desperatae calamitatis, et rerum conturbationis fieri solet. Quae interpretatio, ut se commendet 1. not. לא absolute stare, et idem esse, ac *nihili* est: uti mox vers. 11. occurrit. 2. Radicem הדד, unde הד, apud Arab. notare *rumpi cum fragore*, unde transfertur ad fragorem resonantem et collisum, et adhibetur, in clamoribus *cum* reboantibus militum inter se in acie conclamantium, *tum* multitudinis confusae et perturbatae, gravius conclamantis fragore colliso. 3. הרים non esse vocem, quae montes denotat, sed in fin. Hiph. verbi רום,

 et

et significare *adtollere*, quod aliq. absolute sumitur pro *adtollere vocem*, publice proclamare: uti Prov. XIV: 29. ubi vid. Schult. quod *adtollere vocem* dicitur. Jes. XXXVII: 23. Quod si quis הד in bonum velit sumere, pro *celeusmate* ovantium, jubilantium, ut הידד occurrit, et voces לא הד conjunctas, poterit vertere adtonita est confusio, et *non celeusma tollere*, pro, nihil minus quam tale quid; quae vocis לא satis usitata est significatio. Conf. Jer. XLVIII: 23. Alterutrum admittendum est, et *montium* hic locus esse nequit, cum nec emphasin nec elegantiam habeat, *celeusma montium*.

§. CXLII. *b*. Reliquae partes deductiones eaedem sunt, quae in praecedente pericopa vers. 3, 4., quippe quae repetitur, cum aliqua tantum variatione vers. 8, 9. ubi nihil est, quod moram injicit, et supra non expositum. Illud unum notetur, pro כדרכיך *secundum vias tuas* legi דרכיך כי supra vers. 4. *quia vias tuas dabo*: quae utraque lectio ferri potest, et nostra exstat vers. 9. Posset etiam vers. 4. legi כי בדרכיך saepe enim ב excidit post כי. Quare ad *posteriorem* partem concionis pergo, quae propositionis repetitae fusiorem continet deductionem et amplificationem vers. 10—27.. In qua א. tremendae et tumidae majestatis, judiciorum Dei executricis, adventus praemittitur vers. 10. *Ecce venit dies, ecce venit, emicat comata, nitescit virga, florescit tumor fervidus*. h. e. ecce tempus adest, dies ille tremendus, quo finalis et plenaria destructio tibi eveniet. Formidabilis enim simul superba et insolens majestas, quae te feriet, in summo vigore et potentia praesto est, et jam jam effectum producet. Utitur propheta *tribus* epithetis, quibus regem et regnum Chaldaeorum depingit, iisque tria aptat verba, quibus ob oculos ponit, cum ejus splendorem et potentiam, tum effectum mox sistendum in populo castigando, et destruendo. Epitheta sunt *comata*, *virga*, et *fastus tumidus*; quorum duo priora sunt emblematica, *tertium* magis proprium; *primum* respicit ad stellam comatam, ut

ut supra vidimus, et terribilem ac mali praesagam majestatem expingit, *secundum*, a *virga et sceptro* desumtum, sicut regiam majestatem et potentiam, ita verum ejus, hoc in casu conspectum, delineat, quatenus est virga castigatrix in manu Dei, ut de Assyrio habetur Jes. X. utrumque illud etiam conjungitur, *stella* et *virga* seu sceptrum Num. XXIV: 17. *Tertium* spectat ad qualitatem regis et regni, dicitque proprie *tumorem aestuantem*, inde fastum, superbiam, audaciam insolentem, et contumaciam indomitam. Vid. Schult. ad Prov. Hachm. ad Gen. XXV: 29. Schroeder ad Orig. Hebr. c. 4. p. 28 alii. *Comatae* tribuitur יצא proprie *emicat*, splendide exoritur, et spargit radios; et de *sole* usurpatur Ps. XIX. translate de *executoribus* judiciorum, et egressu in bellum quoque adhibetur. De *virga* dicitur ציץ, proprie *nitescit splendide*, et se ostentat gloriose; inde *florescit*, quo indicatur, *virgam* esse splendidam, et ad feriendum paratam, ut fructum, seu effectum, proferat. Denique de *fastu tumido* habetur, eum *flores* emittere, vel *germinare*, et in multos se effundere ramos, ad denotandum, eum vigere, et cum vigore se jactare, ac mox effectum habiturum esse. Quae omnia recte et unice in Nebucadnezarem, Judaeos jam jam destructurum, conveniunt, uti nonnulli Interpretes recte ceperunt, dum alii ad Judaeos peccatores, et puniendos applicant: vel omnia, vel ultimum saltem effectum, male; ut ex dictis, et serie orationis patet; nam in seq. agitur de Judaeis delendis.

§. CXLIII. ב. Destructio per varios articulos describitur, et repraesentatur. א. *Primus* pertinet ad proceres et primores regni Judae, regem principes ac judices: vers. 11. *Cruditas illa indomita insurrexit contra virgam improbitatis: nihili ex ipsis, et nihili ex multitudine ipsorum, et nihili ex aestuatione eorum, et nihili tensio in ipsis.* h. e. durus, saevus, et indomitus bellator se ad invadendos improbos reges et proceres adcinxit, nec aliquid est in ipsis, aut copiis ipsorum, aut strepere aestuante discursatione eorum, quod

opem

opem adferre possit; Interpretes hic varia sunt commenti, sed sensus, quem dedi, rei, de qua hic agitur, et phrasibus unice satisfacit; nec opus est pluribus ad id demonstrandum, quare paucis defungar. Babylonicus adpellatur החמס ipsa *cruditas*, et violentia, cui resisti nequit, saevus et insuperabilis bellator. Vox sedem habet in *cruditate*, duritie cruda; aspera, acerba, et usurpatur de strenuo, et saevo bellatore, qui frangi nequit, et violentus est. Vid. Schult. ad Prov. IV: 17. et alibi. Verbum *surgere* dicit in genere quid cum impetu et studio adgredi, in specie de *bellatore*, hostem adgrediente, usurpatur. Vid. Schroeder ad Ps. X: 12. adde Jer. XLIX: 14, 28. *Virga improbitatis* depingit reges et proceres ac judices improbos Judaeorum; quod facillimum est, adeoque *cruditas insurgere* dicitur in vel *contra virgam*, quatenus magno cum impetu saevus et indomitus bellator eos invadit. Reliqua exponunt vanitatem omnium mediorum, quae adhiberi possint, ad impetum avertendum; his verbis: *non ex ipsis*, h. e. nihil est ex ipsis, regibus et primoribus, quod ad resistendum adfertur, לא *non* saepe pro *nihil* sumitur, uti frequenter in libro Jobi; est a לאא *torsit*. unde est *implicari*, *impediri*, *desinere*, *non esse*, unde לא vel plenius לוא est forma subst. signans statum rei vel personae, quae non existit, vel agit, vel valet. Phrasis itaque *non ex ipsis*, idem est ac nemo est, nihil est ex ipsis, scilicet, qui, vel quod, aliquid est, potestve: *ex ipsis* scilicet *virga improbitatis*, plur. et ad Templum et rem significatam respicit. Additur, *nihil e multitudine eorum*; quam multi etiam sint, et multis stipati; nihil erit. Sequitur, *nihil ex aestuatione eorum* h. e. nihil prodest eorum cura solicita, anxia discursatio, et aestuabunda vociferatio: quae omnia involvit rad. המה *aestuavit*, *aestu efferbuit*, amat teri in undis tumultuantibus et fluctibus aestuabundis, unde ad curarum fluctus, discursationes et vociferationes transfertur Schult. ad Prov. XX: 1. est autem הםהם ex המה ut recte Coccejus ad h. l. et in Lex. Denique subjungitur,

tur, et *nihil tensio in ipsis*, seu ipsorum et inter ipsos, in medio ipsorum; נה est a נוה dicitque nihil *tensi vigoris in ipsis*. Haec enim est rad. propria potestas, quo respicitur; Jes. LII: 7. Hab. II: 5. solet quidem a נהה *lamentari* derivari, sensu quidem non incommodo, si vertatur *nihil* valet in ipsis *lamentatio*, uti vers. 7., sed analogice inde repeti nequit vox נה, quae radicem נוה postulat, cujus primaria potestas est in *vigore tenso*, unde ad firmitatem et robur transiit.

§. CXLIV. *b. Secundus* articulus exhibet omnium bonorum et possessionum spoliationem ab hostibus, diu duraturam, ita ut possessores praesentes non sint bona sua recuperaturi, vers. 12, 13. qui versus ita cohaerent, ut *prior* bonorum privationem, vers. 12. et *posterior* ejus durationem contineat, vers. 13. *Prior* ita habet, vers. 12. *Venit tempus, adtigit dies*, (terminum suum) *emtor ne laetetur. et venditor ne lugeat, quia excandescentia super omni multitudine ejus*, sc. terrae, ad quam in hoc cap. sermo dirigitur. Sensus est, omnem hominum et bonorum copiam excandescentiam Dei esse experturam, in bonis et possessionibus omnibus in hostium manus tradendis, vel vastandis, populo iis orbato, et abducto in exilium; adeoque *emtorem* nihil lucraturum, et *venditorem* nihil perditurum, sed aequalem eorum fore sortem; ut est Jes. XXIV: 2. *emtor ne laetetur*, seu rationem non habebit laetandi, quia emto non fruetur; *venditor ne lugeat*, scilicet inops bona sua vendere coactus, quia perdere debuerat bona, quae vendiderat. *Posterior* versus vers. 13. ita sonat. *Quia venditor ad venditum non redibit, et*, vel licet, *adhuc in vivis vita ipsorum* sit, *quia incisura super omnem multitudinem ejus non redibit, et vir in perversitate sua vitam suam non constringet sibi.* Quorum sensus est, possessionum orbationem diu duraturam, ita ut, si vel domini in vivis maneant, eas non sint recuperaturi, quod tamen iis non contingeret, qui in peccatis perseverant; cujus rei ratio est, quod incisurae super omnem mul-

titudinem hoc ſit argumentum, *non rediturum* eſſe venditorem ad bona ſua. Relegamus verba et illuſtremus. *Quia venditor ad venditum non redibit*, (ubi illud כי *quia* parumper turbat: quod ſi ſit particula cauſalis, et *quia* reddatur, oportet, ſubintelligatur, contrarium modo dictis. Dixerat propheta: *non lugebit venditor*, cui ſi ſubjungatur, *quia non redibit*, ſenſus alius eſſe nequit, ac *non lugebit*, *niſi quod non* ſit *rediturus* ad *venditum*, adeoque contrarium ſubintelligatur, *lugebit quod* etc. negatus reditus enim non poteſt eſſe cauſa *non lugendi*, ſed deberet eſſe *lugendi*. Sed poteſt כי abundare, vel adſeverative capi, pro *quin imo*, *profecto*, inſuper, uti ſaepe alias, adeoque hoc enunciatum accipi tanquam ulterior gradus ſpoliationis: ut ſit: ſpoliabuntur non tantum opes, ita ut venditor propter venditionem non neceſſe habeat lugere, ſed inſuper continuabit diu, adeo ut non ſit rediturus legitimus poſſeſſor ad *venditum*, ſicut anno Jubilaeo) *et adhuc in vivis vita ipſorum* (h. e. licet venditores adhuc ſuperſtites aliquandiu maneant; tamen non recuperabunt bona,) *quia inciſio ſuper omnem multitudinem*, *non redibit* (h. e. quia acer et vindex oculus coruſcans in omnem multitudinem erit, quo omnis reditus praecludetur, vel acris reſpectio non reſidebit, non ceſſabit: poteſt enim לא ישוב vel ſeorſim ſumi, et ad idem praecedens referri, vel connecti cum acri inſpectione, non auferenda, uti שוב aeſtus decreſcentis aeque ac creſcentis notionem habet, ut in phraſi שוב אף *reſidet naſus* Jer IV: 8. et alibi. Vox חזון hic non denotat *viſionem propheticam*, ut capi ſolet, cum abſolute ponatur, et per ſe non deſignet *viſum malum*, ut hic ſumi debet, ſed inſpectionem coruſcam et acrem, ſeu et iram, et inde ortam aegrimoniam: uti apud Arab. ſumitur. Radix proprietatem habet in *crenatim ſecando*, vel *incidendo in partes crenatas*, unde eſt coruſcatio radii in partes crenatas ſecti, et ſic oculo coruſco intueri, etiam in malum, et ex ira per coruſcum viſum conſpicua. Hoc licet ſe tueri poſſit, vehemens tamen me tenet ſuſpicio, lectionem

tionem esse adfectam, et legi debere חרון uti in praeced. et in seq. occurrit. Quam facilis *a.* sit vocum illarum mutatio, in oculos incurrit, *b.* confirmat suspicionem varians lectio, quae חרון habet, apud Kennicot.) *et vir in perversitate sua vitam suam non confortabit sibi.* (h. e. attamen, quod dixi, *et adhuc in vivis vita ipsorum,* illud ad perversos et impoenitentes non est extendendum, quum illi sint e medio tollendi. Continent itaque voces *restrictionem* superioris dicti, ut recte Coccejus. Tantum not. חיתו construi debere cum יתחזקו et Hitph. habere vim reciprocam, ut in versione expressi.)

CXLV. *c. Tertius* articulus adfert mediorum ad hostem repellendum orbationem, cum nemo, licet vocetur, se ad bellum adcingat, sed omnes prae metu et consternatione se quietos teneant, vers. 14. *clangunt in clangere* (seu *clangendo*, variis et repetitis vicibus, ut populum ad bellum convocent, בתקוע proprie *in clangere* vel *buccinare*, verbo additum dicit continuam et repetitam buccinationem, et est, ut recte Cocc., infinit. absolutus) *et parare omnia*, (seu parant omnia ad urbem tutandam contra hostes) *et*, vel *sed*, *non est itans in bellum* (nemo est, qui in aciem prodit, aut ad bellum accurrit, vel ipsa est *inanitas* in bellum prodiens, nihil proficiet. Sicut לא *non*, nihil vers. 11.) *quia aestus meus super omnem multitudinem ejus* (ira mea omnes absterret, et delebit.)

§. CXLVI. *d. Quartus* articulus continet generalem destructionem per omne genus mala, vers. 15. *Gladius foris, et pestis, ac fames intus* erit, *qui ruri* erit, *gladio morietur, et qui in urbe, fame et peste.* Quae facilia sunt. *e. Quintus* articulus miserum repraesentat statum eorum, qui evaserint, qui in montibus et aliis locis trepidi vagabuntur, et desperabundi, ingente adfecti moerore, vers. 16—18. *Et celerrimo lapsu evadent, qui de ipsis eripientur, eruntque ad montes, sicut columbae vallium, aestuantes omnes, quisque in sua perversitate* (quotquot e communi clade evaserint, celerrima

ma fuga se ad montes proripient, instar columbarum domesticarum et mansuetarum, in vallibus degentium, quae inde ad rupes, ut effugiant, volant, eruntque ibi aestu curarum et anxietatum pleni, ac perstrepentes, ad unum omnes quisque in perversitate sua desperabundi versantes, sine resipiscentia. Not. 1. emphasis orationis in phrasi, פליטיהם פלטו, ex propria verbi פלט potestate, *in celeri lapsu* sita, eruenda, et usu vocis פליט, quo communi clade ereptum denotat. Sensus ergo est, quem in paraphrasi expressi, et nulla est hic tautologia. 2. synchysis seu confusio structurae: verbum enim והיו construi debet cum כלם המות, *omnes aestuantes*, *sicut* verbum פלטו cum אל הרים *ad montes*, vel mente repetendum est verbum פלט; ut sit: *erant* ad montes se recipientes, sicut *columbae* etc. 3. *Columbas vallium* esse mansuetas, opposite ad feras, ut Boch. H. p. II. l. I. c. 3. notavit, quae prae metu *montes* petunt, et comparationem indicare, ereptos illos fore, imbelles, pavidos, et a sedibus suis avulsos quaquaversum in latibula aufugituros, sed Chald. et Gr. codex Alexandrinus *gementes* vertunt, ab הגה, quod non est spernendum: eo minus quod columbae *vallium* sine ulla emphasi hic memorentur, columbae etiam in montibus aeque ac vallibus degant cum hominibus. Est praeterea facilis nexus vocum הגאיות et הגיות; ipsa etiam littera א aliquando redundat, cum emphasi, uti Zach. XIV: 10. in ראמה et alibi. 4. In part. המות respicitur etiam ad *columbas*, quarum est lamentabilem strepitum ciere; continet vox aestuationem cum vociferatione et fletu conjunctum Phrasis vero כלם המות verti debet *omnes illi*, scilicet *erunt*, hoc verbo ex praecedente repetito *aestuationes* purae putae. 5. Denique *quisque in perversitate sua*, cum subjungitur, indicatur eos non tantum peccatorum poenas eo in statu luere, sed et in peccatis perseverare; et desperabundos vagari.)

§. CXLVII. Sequitur, vers. 17. *omnes manus flaccidae erunt, et omnia genua diffluent sicut aquae.* (h. e. omni vigore

gore animi et corporis orbi torpescent, conf. c. XXI: 7. et Jos. VII: 5. Alii aliter. Vid. Sanctius.) *Et cingent se saccis, et terror eos operiet, et super omnibus faciebus pudor, et in omnibus capitibus calvities* (pudore ignominia et moerore correpti, earum adfectionum signa ubique circumferent. Nihil hic nostrae curae relictum est: notissima sunt tristium adfectionum signa: in *calvitie* respicitur ad pilorum evulsionem in luctu.) Ceterum nexus et verus conspectus orationis requirit, ut haec ad eos, qui fuerint erepti, referantur, secus ac Sanctius et alii, qui ad vocatos ad praelium vers. 14. adplicant.

§. CXLVIII. *e. Quintus* articulus in specie comprehendit omnium divitiarum et ornamentorum privationem, in poenam horribilis abusus eorum, praesertim per idololatriam, inde instructam, vers. 13—22. Haec enim pericopa manifeste cohaeret, seseque recte patitur dividi in *propositionem*, et ejus *deductionem*, ut saepe fieri adsolet. *a.* Propositio, quae malum poenale et ejus caussam continet, ita sonat vers. 19. *Argentum suum foras projicient, et aurum illorum erit foeditati abominabili: argentum et aurum eorum non valebit eripere eos, die excandescentiae Jehovae, animam*, vel adpetentiam eorum *non satiabunt, et viscera eorum non replebunt, quia offendiculum iniquitatis eorum fuit.* h. e. Et ipsi prae desperatione cum contemtu projicient opes et divitias, earum inutilitatem in juvando et fame pellenda tempore excandescentiae Jehovae, ipsis incumbentis, experti; nec hoc tantum, sed hostibus cedent, et foedos ac abominabiles in usus, in poenam talionis propter opum abusum ad omnem iniquitatem et idololatriam. Quae paraphrasis ex. seq. deductione clare elucescit. Nunc ad eam illustrandam, observetur verba complecti *duplex* malum, et *duplicem* rationem ejus. 1. Praemittit propheta duplex damnum, ad opes et divitias spectans, *alterum* ab ipso populo, *alterum* ab hostibus oriturum; his verbis: *argentum ipsorum foras projicient, et aurum ipsorum erit abominationi; prius* ipsi facerent, *posterius*

posterius ipsis eveniret ab aliis, quo diversitas phraseos nos etiam ducit, dicitur enim, *projicient* et *erit*, *prius* ergo ipsi facerent, *posterius* ipsis fieret, et quidem ab hostibus, ut ex vers. 21. et 22. manifestum est. Membra vero elegantiae ergo sejuncta hac ratione jungenda sunt: *argentum et aurum* projicient ipsi, et auferetur ab hostibus in abominationem. *Projicient* ipsi scilicet, prae desperatione et cum contemtu, *cedent* vero *abominationi*, quatenus ab hoste spoliata bona in profanos usus adhibebuntur. Hanc enim emphasin habet verbum *projicere*, ut Jes. II: 20. ubi vid. Vitr., et phrasis, esse לנדה in *foeditatem abominabilem*, quatenus profanis cedet idololatris, et in profanum usum; quod est נדה vid. Cocc. in Leg. Conf. vers. 21. fin. et Jes. II: 20. 2. Duas quoque rationes duplicis mali profert, quarum *altera* ad projectionem, *altera* ad profanationem opum respicit. *Prior* est, quod vanitatem opum experiantur, quae malis eripere, et famem sedare nequeunt, tempore excandescentiae Jehovae, et famis; *posterior* est, quod opes ipsis fuerint occasio et causa iniquitatis, quatenus iis abusi sint ad luxum, inobedientiam, et idololatriam; ut ex seq. patet. Hunc sensum fundunt voces, *quia offendiculum iniquitatis fuit.*

§. CXLIX. β. In propositionis deductione *a.* illustratur causa spoliationis meritoria, vers. 20 his verbis: *et decus tumidum ornatus ejus in tumidam elationem posuit, et imagines abominationum suarum detestandarum perfecerunt eo.* h. e. sicut splendida sua ornamenta quisque eorum libidini et tyrannidi consecravit, ut pravis hisce adfectibus inserviret, ita imagines idololatricas, abominandas, et detestandas illas, iis ornarunt, et obduxerunt. 1. Prius membrum est generalius, et dicit, quemque eorum decus summum ornamentorum consecrasse tumidae elationi, seu libidini carnali, et insolentiae tyrannicae, Sing. num. indicat, illud in singulos quadrare; verbum שום recte censetur exserere usum dedicandi, consecrandi, ut Ps L: 23. et alibi, ut ibi observavi, et supra V: 5. vocem גאון proprietatem habere in tumida

illa elatione, supra modum extensa, et usu suo quoque teri in libidine tumida, ac insolentia inundante, et saeviente. Vid. Schroeder ad Ps. X: 2. *Libido* scortatrix non carnaliter tantum, sed et spiritualiter capi potest pro spiritu idololatrico, ut seqq. docent, et Ezech. XVI. fuse deducitur. 2. *Posterius* membrum specialius est, et ad idololatriam pertinet, ut facile patet, et significat, eos ornamentis suis splendidis obduxisse, ornasse et ita perfecisse imagines suas abominandas. Utitur propheta num. plur., quia in genere de populo agit, et iis imputat ornamentorum suorum abusum, quo iis texerant, et ornaverant simulacra: hunc enim sensum fundit phrasis, עשו בו *fecerunt eo* sc. ornatu imagines, h. e. perfecerunt, ornarunt, et obduxerunt. Hunc enim sensum praefert verbum עשה proprie *texit* operuit, inde *fecit*, proprie *incubuit rei*, ut quasi eam operiat, nec non *perfecit*, *ornavit*, *forma eam vestivit*; Vid. Kuypers ad carm. II. Ali p. 106. et diss. ad V. T. loca p. 15. Quae explicatio cum nexui et phrasibus recte respondeat, eam longe praeferendam esse aliorum hypothesi, qua per *decus ornatus* intelligitur *Templum*, et imaginum idololatricarum positio ad Templum profanatum refertur, facile perspicitur; phrasis quoque, *decus ornatus*, nimis generalis est, quam ut ad Templum restringatur, nec ullus hic adest character Templi; tota pericopa agit quoque de bonis, et ornamentis spoliandis.

§. CL. *b*. Malum poenale 1. in genere repetitur, et 2. clarius exponitur, 1. prius his verbis vers. 20. fin. *propterea tradidi hoc ipsis in foeditatem abominabilem*. Quae respondent *secundo* membro vers. 19. et *aurum ipsorum* in *foeditatem erit*, ut ibi explicui. Hic Deus sibi illud, tanquam judici, adtribuit in poenam populi, uti phrasis, *propterea dedi*, indicat. Ceterum, quod unice hic observandum habeo, pronom. להם *ipsis* dedi illud, sc. aurum, argentum, et omne ornamentum, refero ad *hostes*, ut ex seq. patet, ubi *illi*, qui hic digito quasi tantum monstrantur, expri-

 muntur.

muntur. Obtinet vere hic canon Gl. 11*mus* Gr. S. l. III. tr. 2. *aliquando relativum respicit ad consequens seu id, quod in textu sequitur*, quem exemplis illustravit, quibus noster locus addendus est. 2. Clarior expositio his fit verbis vers. 21, 22. *Et tradam illud in manum peregrinorum ad praedam, et improbis terrae ad spolium, et profanabunt illud; et avertam vultum meum ab ipsis, et profanabunt occultum meum* (thesaurum,) *et venient in eam* (terram) *effractores, et profanabunt eam.* Quorum sensus, qui ex dictis facile perspicitur, est, Deum Chaldaeis, peregrinis et impiis, traditurum esse *cum* opes et ornamenta populi, *tum* ipsam terram, in spoliationem et profanationem, ad occultos thesauros usque. Nihil hic admodum difficile nisi in voce צפוני; reliqua satis clara sunt, et a nonnullis Interpr., ut Sanctio, recte exposita: tantum not. relat. foem. in duobus ultimis membris vers. 22. pertinere ad *terram Israelis*, ad quam sermo supra fuit directus. Interpretes per צפוני passim intelligunt *sanctum sanctorum*, arcanum illud Dei, sed sine ratione, et contra seriem orationis, quae de opibus et bonis ac ornamentis agit, et usum vocis in vera ejus potestate fundatum. Sicut מטמון Jes. XLV: 3. et Jer. XCI: 8. ita צפון in *thesauris* usitatum est, Ps. XVII: 14. Prov. XIII: 22. nec non ibi de thesauro irae usurpatur Job. X: 13. XV: 20. XX: 26. XXI: 19. XXIV: 1. Proprietas radicis צפן est in *compingendo*, et praecipue adhibetur de *folliculo coriaceo*, quo aliquid involvitur, et sic reconditur, unde *partim* dicit condere, ut quid lateat, ac tutum sit, *partim* ad adservandum tanquam penus thesaurum. Hinc צפון est *reconditum*, et *thesaurus*. Adpellat autem Deus opes et pretiosa populi *reconditum* seu *thesaurum suum*, quia cum tota terra Israelitica suum erat peculium; et ab ipso Israeli in usum concessum; ut cap. XVII. habetur. Conf. Ps. XVII: 14.

§. CLI. *f. Sextus* articulus summam exhibet destructionis, per modum conclusionis, externo symbolo catenae, a propheta faciendae, confirmatam vers. 23—27. Ubi praemitti-

mittitur symbolum *catenae*, quae prophetae injungitur faciénda vers. 23. his verbis *fac catenam*, in signum arctae obsidionis, inclusionis, simul judicii mortis ac exilii in ipsos pronunciati. Quippe qui *catenae* est emblematicus conspectus, ab interpretibus jam observatus. Conf. Jes. XXVIII: 22. et ibi Vitr., quo etiam respexit Vulg. interpres, et non ad *conclusionem* sermonis prophetici, vertens, *fac conclusionem*. Quemadmodum autem c. VI: 11. ita et hic dura prophetia per symbolicam repraesentationem confirmatur. Conf. etiam Jer. XXVII et XXVIII. Notetur pro הרתוק leg. esse רתוק sine littera ה, quae hic locum invenire nequit, cum non hanc aut illam, sed in genere *catenam* aliquam conficere jubeatur propheta, uti cap. IV: 1. חרב non החרב, sed irrepsit ex fine praecedentis verbi עשה *fac*. Sequitur nunc ipsius judicii, quo constringerentur, descriptio *α*. summatim proposita, una cum causa meritoria vers. 23, 24. *β*. fusius deducta vers. 25—27. *α*. Propositio continet *a*. causam meritoriam vers. 23. *Quia terra plena est judicio sanguinum et urbs ista* (sc. Hierosolyma, metropolis, *urbs* κατ' ἐξοχὴν dicta) *plena est cruditate*. h. e. tota terra cum metropoli scatet homicidiis, rapinis, et violentiis. Phrasis, משפט דמים *judicium sanguinum*, significat, ut videtur, pravam et tyrannicam consuetudinem; seu in judicio, seu extra illud alios opprimendi, spoliandi, et occidendi. Qua in latitudine sumitur vox *sanguinum* Jes. I: 15. et alibi vid. Vitr., et משפט subinde in genere pravam denotat et tyrannicam consuetudinem; ut 1 Sam. II: 13. Jer. LI: 9. et alibi, *b*. judicium Dei in eam, quia hostibus traderetur spolianda, et destruenda vers. 24. *Et adducam pessimos gentium* (vel quassatores gentium) *et possidebunt domos eorum*, *et quiescere faciam elationem tumidam robustorum* ac durorum, *et profanabuntur consecrata ipsorum*. Quorum sensus et emphasis, ut in lucem prodeat, not. 1. in epitheto, quod Chaldaeis datur, רעי גוים esse quid ambigui, studio captatum, ut utriusque ratio habeatur, denotat enim, ut in ver-

 sione

sione expressi, et *pessimos* gentium, seu pessimas gentes, ex idiotismo Hebr. et *quassatores* earum, sive de iis, sive eas ipsas quassantes; uti de Babylonio habetur Jes. XIV: 12. ubi חולש *flagellator*, et *dilacerator praepositorum gentium* vocatur. Radix רוע et רעע proprie est *quassare*, *quassando frangere*, unde *cum* improbi fluxit usus, qui virtute et probitate *cassus* est, *tum* fractoris et raptoris, et in pass. *fracti* viribus et potestate Sed posset etiam legi, aliis cum punctis רעי *pastores*, quod non spreverim. 2. Voces, *quiescere faciam elationem robustorum*, significare totalem abolitionem omnis fastosae dignitatis, et potentiae fortium, et durorum principum. De verbi שבת potestate dixi. ad c. VI: 8. et de voce גאון ad vers. 20. hujus cap., עזים vero sunt proprie *torti*, *intorti*, inde robusti, duri et asperi. Quae conjungenda sunt, et in proceres, *sceptrum inprobitatis* dictos vers 11. recte quadrant. 3. Ultimas voces, quae recte vertuntur, *profanabuntur consecrata ipsorum* (vox מקדש *consecrationem*, *consecratum*, denotat. Vid. Sim. form. p. 521. et non *consecrantem*, seu sanctificantem significat, ut nonnullis placet) pertinere ad omnes res sacras, seu consecratas, et quidem hic *idololatricas*. Vid. supra c VI. Locutio vero est ad opinionem eorum adcommodata. Quod et alias fit.

§. CLII. *β*. In fusiore deductione 1. vivis coloribus depingitur horribilis omnis ordinis hominum desperabunda perturbatio, quae destructionem illam praecederet et comitaretur, quae *a*. in genere proponitur vers. 25. *Summa contractio veniet*, *et quaerent pacem*, *et non* erit. h. e. adest summa coarctatio, et animorum ac virium debilitatio, nec ullum erit solatium aut remedium; quod frustra quaerent. Vox קפדה cum ה parag., sed emphatico in fin. ad summum gradum indicandum, hanc enim emphasin habet ה in fin., proprie signat *contractionem*, qua quid in semet ipsum contrahitur, et convolvitur, unde ad *horrorem* transfertur, quo corpus in se contrahitur, et animus constringitur anxia

solliciti-

sollicitudine, et ad mortem, qua vita convolvitur, et perit. Vid. Pronepos meus Verschuir in disp. Acad. obser. Sel. ad selecta S. loca cap. 3. Quae amplitudo significationum hic recte admittitur, simul ad *catenam* constringentem, vers. 23. adluditur. *Quaerere* pacem hic est *frustra* quaerere, uti mox vers. 26. quare subjungitur, et *non est*, dicitque solatium et incolumitatem *frustra* quaerere; cum nusquam inveniatur.

§. CLIII. *b*. Fusius deducitur enumerando omnis generis homines, qui solatium et salutem adferre deberent, et posse viderentur vers. 26, 27. *barathrum calamitatum supra barathrum ingruet, et rumor ad rumorem erit, et quaerent visionem* frustra *a propheta, et peribit a sacerdote informatio, et consilium a senioribus, rex lugebit amare, et princeps induet adtonitam obstupefactionem, et manus populi terrae quatiendo exsolventur:* h. e. summa erit omnium eorum hominum perturbatio, et calamitas; mala se invicem presse sequentur, nuncii malorum erunt frequentes, nihil opis penes prophetas, sacerdotes et seniores, rex moerore desperabundo diffluet, et principes adtoniti quasi siderati jacebunt, reliqui cives omnes manibus erunt quassatis et dissolutis. Calamitas, quae hic depingitur, complectitur et destructionem urbis ac reip., et ejus consequentia, et populus hic sistitur in summa desperatione et eo tempore, quo exscinderetur resp., et deinceps, ita ut nihil solatii inveniat apud prophetas, sacerdotes et seniores seu sapientes, et illi ipsi sint obstupefaciendi ac infatuandi. In phrasibus nihil nobis est relictum, quod non est observatum ab aliis, aut a nobis ad Jer. XVIII: 18. Quare nihil addo. *c*. Denique subjungitur judicium Dei, tanquam destructionis causa et ejus justitia ac finis, his verbis: *prae viis ipsorum* (propter instituta ipsorum, et iis convenienter,) *agam cum ipsis* (scilicet judicialiter, quem usum subinde habet עשה, ut Jer. XVIII: 23. XXIII: 20. Ps. CXIX: 12. Mal. III. 17. et alibi,) *et judiciis ipsorum judicabo eos* (convenienter ipsorum pravis et

tyrannicis consuetudinibus, quae *judicia sanguinum* fuerunt dictae vers. 23., judicabo et puniam ipsos,) *et cognoscent me esse Jehovam*: quod supra habuimus c. VI: 14. VII: 4. Nihil praeterea, quod observem, habeo nisi illud unum pro מדרכם rectius legi, כדרכם *secundum vias ipsorum*, uti vers. 8. et pro במשפטיהם quoque כמשפטיהם *secundum judicia* sicut aliqui codd. MSS. praeferunt et Veteres Interpretes.

CAP. VIII.

§. CLIV. Q*uarta* revelatio, anno deportationis *sexto*, mense *sexto*, die *5to*, ipsi facta est, ut vers. 1. habetur, quum domi *sederet* propheta, et coram se haberet *sedentes* seniores Judae, sive ad *una* lugendum, solenni die jejunii, ut c. I et III: 15. habuimus, sive ad informationem ac consolationem a propheta recipiendam, qualiscunque etiam fuerit dies; quo phrasis, *sedere coram* ducit, videtur autem propheta se *domi* communiter tenuisse, uti injunctum erat ipsi c. III: 24. Fuit autem revelatio *ecstatica*, qua Hierosolymam translatus est, non corporaliter, sed in visione, et cuncta in visione vidit, quae hic narratur, uti liquet 1. ex phrasi. *cecidit super me manus Dei*, de qua supra. 2. quod in *visionibus Dei*, dicat se eo esse translatum vers. 3., et reductum in Chaldaeam c. XI: 24. 3. quod ibid. XI: 24. diserte addat, *discessisse a se visionem*, *quam vidit*. *Scena* visionis vero est Hierosolyma, et in specie Templum; ut seqq. docent. Sed non est una visio continua, verum duabus vel tribus vicibus distinctis facta, quarum *prima* cap. VIII et IX. continetur, *secunda* cap. X. et *tertia* c XI.; uti tractatio docebit. Introductionis vice narrat, sibi adparuisse imaginem viri igniti, qui manu sua summam capitis sui caesariem adripuit, seque ea ratione rapidissimo vento coelum

coelum inter et terram per aërem transtulit Hierosolymam; vers. 2, 3. Ubi nobis nil relictum est observandum, nisi hoc unum, virum transferentem non esse eundum, qui c. I: 27. visus est insidere throno, licet descriptio fere eadem sit, sed unum Cherubinorum, in quos descriptio recte quoque convenit, ut ex c. I: 13. patet, quia, ne dicam ministro rectius quam regi, throno insidenti, illud competere, differt regis imago c. I: 27. ab hac nostra, ut comparatio facile docet: hic enim dicitur, ipsum praetulisse infra *ignis*, supra *splendentis* ignis, instar solis, speciem; in signum *coelestis* nuncii; cum c. I. supra ignem inclusum et infra splendentem instar arcus coelestis vibraverit rex coelestis; accedit, *manum* hic diserte ei adtribui, cujus nulla mentio est cap. I: 27. Nec obstat species *aurichalci* hic et c. I: 27. memorata, cum et cherubini ex medio ignis, eam speciem habentis, dicantur orti c. I: 4, 5. Omisi notare LXX habere איש pro אש in primo membro vers. 2. vertentes, *sicut speciem viri*, non adeo male, quin rectius cum mox tanquam vir describatur, et אש videri possit pro *igne* superfluum. Ceterum, quod *cincinnum*, seu supremam caesariem capitis adripuerit vir ille divinus, in eo nihil mysterii quaero, nisi forte hoc, ut indicetur phantasiam, in capite residentem, fuisse arreptam, et Hierosolymam in visione ecstatica ductam, simul arrectam, et in sublime elevatam, ad visa contemplanda.

§ CLV. *Primae* visionis duae sunt *partes*, quarum *prior* repraesentat horrendae idololatriae in ipso Templo specimina exstantiora cap. VIII. *posterior* vero *judicia* Dei in populum et metropolin ob oculos ponit cap. IX. In *priore* parte, cum narrasset propheta, se fuisse ductum ad ostium portae *atrii interioris*, (vocem enim חצר supplendam vel addendam esse in הפנימית, quae additur expresse 1 Reg. VI: 36., *cum* genus foem. vocis הפנימית, *tum* coll. c. X: 3., ut recte Piscator, demonstrat. *Atrium* vero fuit duplex, *interius*, seu sacerdotum, et *exterius*, seu populi, cujus

utriusque mentio est c. X: 3, 5. et alibi,) *spectantis septentrionem versus*, ubi *erat simulacrum* idololatricum, quod mox ipsius oculis fuit objectum, ut vers. 5. habetur, hic itaque per prolepsin memoratur; praemittit, *ibi adparuisse* sibi *gloriam Dei Israelis*, *secundum visum in valle* vers. 4. scilicet cap. I. descriptum, sed nondum totum in omni complexu, nam cap. X: 1. demum vidisse dicitur *thronum* super *capita Cherubinorum;* adeoque eo usque tantum nunc vidit *gloriam* illam in *nube scilicet ignita*, solito symbolo majestatis *Dei Israelis*; sicut expresse additur, *gloriam Dei Israelis*, quae a *septentrione* venerat Hierosolymam ad populum visitandum et puniendum. Conf. c. I: 4. Pergit, his praemissis, ad illustria idololatriae specimina, ipsi ibi monstrata, eo scopo, ut de horrenda idololatria, in occulto patrata, convincerentur exules, quorum *seniores* hic sedebant coram propheta, quibuscum totum visum mox communicavit, c. XI: 25. praeterea *causa* judicii Divini, mox exsequendi, ipsis ante oculos poneretur, ne amplius de veritate et necessitate ejus dubitarent. *Primum* vero specimen, vers. 5 et 6. descriptum, continet *altare* cum simulacro zelotypiae ad portam atrii interioris ante ipsum introitum in illud atrium, versus septentrionem, adeoque in atrio exteriore collocatum, ad dextrum latus ingredientis, in illam portam, quae ad atrium interius ducebat: ingressus enim erat ab *ortu*, et ad dextrum latus erat *septentrio.* Hunc existimo esse verborum sensum, minus ab omnibus perceptum. Propheta enim nondum intraverat, per portam, quae ad interius atrium ducebat, quod postea demum narratur fecisse, ut seqq. docebunt, stabat itaque ad portam illam in atrio adhuc *exteriore*, et oculos jussu Dei, defixit in latus septentrionale; ubi vidit *altare* istius simulacri, juxta *introitum*, ut est vers. 5. his verbis: *et ecce a septentrione ad portam altare illud simulacri istius zelotypiae in ipso introitu.* Interpretes solent communiter vocem *altaris* cum *porta* conjungere, et *portam altaris* censent fuisse adpellatam ob *altare*, seu Dei, seu

Baalis

Baalis ibi positum ab Achazo 2 Reg. XVI: 14. sed sine fundamento, nec erat *altare* illud Achazi extra, sed intra atrium interius, cum hoc esset *extra*, ut dixi. Longe rectius cum *simulacro* construitur, ut sit *altare simulacri*, ei dicatum, et eo ornatum; in quo etiam simulacrum illud colebatur sacrificiis. Respicitur ad id, quod Manasses fecit, qui in utroque *atrio* erexit altaria Baali 2 Reg. XXI: 5., quae destruxit Josia ib. XXIII: 12. ipse Manasses quidem deinceps sustulit, sed Amon filius ejus restituit, 2 Chron. XXXIII. Singulare est Syr. et LXX *ad portam orientalem*, reddidisse pro מזבח leg. מזרח, quod rei ipsi satis est consonum, sed lectioni Masor. adversum; a qua ratio non est recedendi, sed quod erat *simulacrum*, ab ipso visum? adpellatur סמל הקנאה המקנה vers. 3., hic simpliciter, סמל הקנאה הזה. Intelligi solet *simulacrum zelotypiae ad zelum provocans* Deum, adulterii spiritualis vindicem acerrimum; respici videtur ad titulum Dei Ex. XX: 2. ubi de idolorum cultu, Deo exoso, agitur, vid. et Deut. XXXII: 16, 21. et סמל notare videtur qualecunque idolum, aut simulacrum idololatricum, ut est Deut. IV: 16. et alibi, sive sit inversum צלם, aut משל, ut nonnullis placet, sive alius originis; de quo mihi non constat. Illud certius est, digitum intendi ad id quod fecit Manasses 2 Chron. XXXIII: 7. ubi *Sculptile* fecisse dicitur הסמל. *Statua* itaque fuisse videtur, LXX στήλη dicta, sed cui numini dicata, non liquet, nec usquam traditur. Fuit tamen singularis, hoc nomine κατ' ἐξοχὴν insignita, et Deo cum maxime exosa, quare *simulacrum zelotypiae* audit, quatenus Deum ad *zelotypiam* provocabat; illud enim המקנה, pro המקנא explicationis vice adjungitur, et indicat, vehementem zelum Dei, inde oriundum, si מקנה aliter punctaretur, intelligi posset de *pecude*, sive vacca, sive ove aut ariete, et vers. 5 הזה pro השה *ove* sumi, adeoque ad *pecudem* qualemcunque referri, ab ipsis cultam, ad exemplum AEgyptiorum, sicut sequens *specimen* complectitur *impura animalia*. Facilis est vocum זה et שה mutatio, uti 1 Sam.

 XVII:

XVII: 34. Adgravat dein Deus verf. 6. illud facinus, fimul declarat, atrocius quid mox adpariturum prophetae. In quo nihil eft nobis relictum, nisi in phrafi לרחקה *in longe esse a sanctuario meo*, quod communiter vertitur, *ut longe discedam ego*, vel *discedant ipsi a sanctuario meo*: rectius, ex nostra opinione, *longe facessat*, vel *facessere debet a sanctuario* meo; formula est averruncandi, et abominabile quid declarandi, qua cum detestatione dicitur, רחק, *longinquitas*, procul facessat Job. XI: 14. Praep. ל vel est, *in longe esse*, vel *oportet*, *necesse est*, ut alibi fumitur. Vid. Schult. ad Prov. XXII: 16. et אשר ex praeced. fubintelligi debet.

§. CLVI. *Secundum* fpecimen idololatriae, verf. 8—12. descriptum eft. Quod enim nonnulli verf. 12. novum genus depingi opinantur, fine ratione eft, et contra manifeftam orationis connexionem, cum ifto verfu clare ad modo memoratum facinus digitus intendatur. Propheta legitur in fpiritu adductus *ad oftium atrii*, fcilicet *interioris*, ante cujus *portam* modo fteterat verf. 3., adeoque nunc ad ipfam *januam* portae iftius adductus, ibi vidit *foramen unum in pariete*, fcilicet per quod clavis immitti folebat ad *parietem*, qui habebat *januam*, ei fimilem, aperiendum. Jubetur hunc *parietem perfodere* h. e. cum clavi carebat, fodiendo fibi aperturam facere, per quam intrare poffet fecreta loca ejus; quo facto, deprehendit *januam* ibi effe, per quam introitus fiebat, qua facta apertura intravit locum occultum, et obfervavit picturas in pariete quaquaverfum, quae referebant *reptilia*, et quaevis alia animantia immunda, qualia Lev. XI. defcribuntur et epitheto שקץ, ut hic infigniuntur, quatenus Judaeis effe debebant *deteftationi*, additur, et *omnium ftercoreorum domus Ifrael*; fc. idolorum, qualiacunque fuerint, eorum omnium imagines ibi *fuper pariete* erant *fculptae*. Vidit praeterea 70 feniorum Ifraelis, et inter eos ipfius *Saphanis*, viri illuftris et pii tempore Jofiae, 2 Reg. XXII: 9. ut videtur, *filium Jaazaniam*, ftantem in medio ipforum,

rum, tanquam antesignanum et directorem; principes populi, et ejus personam agentes; forte cum adlusione ad 70 consiliarios Mosis, in deserto; quorum hic ex. gr. tantum fit mentio. Vidit porro eos, habentes singulos *thuribulum* in manu et stantes coram illis imaginibus, ac *thurificantes*, quod ultima verba vers. 11. denotant, et *nidor nubis suffitus adscendebat*, qui precibus adjungi solebat, et eas expingebat; vox עתר non *copiam*, ut putatur, et *abundantiam*, sed *nidorem*, *seu odorem exhalantem*, complectitur, ut Cl. Schult. ad Job. XXII: 27. observavit, unde ad *preces* facilis transitus est factus. Subjungitur nunc, per modum transitus ad sequens specimen, verbum Dei ad prophetam, quo rogat, num haec viderit, et simul aliquid ad illa illustranda addit, cum dicit, *seniores* ea facere in *tenebris*, quemque *in penetralibus caelaturae suae*, *quia dicunt*, *Jehova nos non videt*, *deseruit Jehova terram*, vers. 12. Quibus significatur 1. locum, ubi thurificabant seniores, esse *tenebricosum*, undiquaque conclusum, 2. instar conclavis caelaturis undiquaque ornati: quae potestas est vocis משכית quae *figuram spectabilem* denotat. Vid. Schult. ad Job. XXXVIII: 36. 3. colorasse hunc cultum profana opinione, *Jehovam non videre eos*, *terram deseruisse* h. e. Jehovam non esse iis praesentem, adeoque non cognoscere, quid faciant in occulto, acsi Jehova esset sicut homo, qui non nisi praesens intuetur. Si simpliciter voluissent, Deum curam terrae et populi abjecisse, et propterea se ad alia numina debere respicere, non opus habuissent in *occulto* illud agere, et *tenebras* ac latibula quaerere. Cum autem sine copula connectatur sermo: *non videt nos Jehova*, *deseruit Jehova terram*, significatur; ignorantiam Jehovae ab ipsis fundari in ejus *absentia*, qua Templum, ubi alias praesens erat, quin terram plane deseruerat, et alio discesserat. Quae pura puta erat corruptae mentis *imaginaria* opinio, quam connexio horum verborum per *quia* cum praecedentibus etiam indicare videtur, si in phrasi, *penetralia imaginationis suae*, praeter sensum mo-

 do

do datum, admittatur, quod potest, mentis imaginaria opinio, adeo ut sint *tum caelaturis* ornata, *tum* imaginatione animi, qua se Deum latere putabant, instructa et plena etc. Ceterum Deum in *tenebris* non videre, seu non nisi praesentia videre, et alibi praetenderunt profani Judaei, Jes. XXIX: 15. et aliis in locis.

§. CLVII. Sensu pericopae constituto, quaestio superest, num seniores Judaeorum haec ad litteram vere commiserint in Templo, an Prophetae tantum in visione hoc agentes oblati sint, ut multis videtur, ad indicandum in genere, eos in penetralibus suis ubicunque talia agere, seu ut Cocc., eos arctam cum AEgyptiis colere societatem, iisque ejusmodi idololatriae deditis, inniti. Quod postremum valde quaesitum est, et omni fundamento destitutum; alterum illud simul admitti potest, sed non solum; ostendi potuit prophetae facinus eorum in Templo, ex. gr. ut inde colligatur, eos ubique talia patrare, cum in ipso Templo non vereantur illud facere, sed primo et directo sensu existimaverim indicari seniorum facinus in ipso Templo, in locis occultis, sicut propheta in visione observavit. Rationes sunt, 1. quod reliqua omnia, hic narrata, eodem sensu intelligi debeant, adeoque nihil horum vere in Templo factum fuisset, quod absurdum nec admitti solet, aut potest. 2. quod ratio dari tunc nequeat, quare propheta in visione fuerit ad haec agenda et contemplanda compulsus, si non vere talia fuerint ibi peracta. 3. quod tam adcurata descriptio *loci*, qualis hic occurrit, frustranea tunc plane sit. 4. denique accedit, nihil in eo esse absurdi, quod seniores tale quid clam commiserint in occulto aliquo cubiculo Templi: cum gentiles etiam talia adyta habuerint, reliquis clausa. Vid. Warburton de Div. missione Mosis lib. IV. c. 6. seu ed. Belg. p. IV. p. 23. qualia ex. gr. fuerunt *Isiaca* apud AEgyptios, *Eleusinia* apud Graecos, *bonae* Deae apud Latinos.

§. CLVIII. *Tertium* specimen, praemissa solita admonitione vers. 13., occurrit vers. 14. his verbis: *et duxit me ad januam*

januam portae domus Jehovae, quae est ad septentrionem, et ecce ibi sedentes, mulieres, quae Tammuzum flebant. Quibus verbis significatur, mulieres sedisse in ipso atrio interiore juxta januam portae ipsius aedis sacrae, quae janua ad septentrionem spectabat; adeoque in loco, quem solae personae sacrae adire poterant. Praeterea dicitur, mulieres ibi *lugentium* praetulisse habitum, *sedentes* et *flentes*; Numen vero, luctus caussam, adpellat propheta תמוז *Tammuz.* Per quod solet intelligi AEgyptiorum *Osiris*, et Bybliorum, seu Phoenicum, *Adonis*, quorum cultus multa habebat similia, inter alia, quod festo annuo a mulieribus primum interitus defleretur, dein reditus cum laetitia celebraretur. Erant autem mulieres illae *Isidi*, uxori Osiridis, et *Veneri*, amasiae Adonidis, Sacrae, quae cum illa deflebant mariti et amasii *interitum*, ac laetabantur super *reditu*; causa libidinis et concubitus. praeerant enim illa numina foecunditati et libidini Venereae, quare *membrum* virile tunc circumferebatur. Erant autem numina illa *sol* et *luna*, unde fabulosae narrationes Isidis et Osiridis, Veneris et Adonidis, ac Bacchi ortae sunt, etc. Plura vid. apud Selden. de Diis Syr. syntagm. II. c. 11. Voss. Idolol. l. II. c. 4. Trigl. conject. de Dodone c. I. Jablonsk. panth. AEg. l. V. c. 7. Hyde ad Peritz. p. 46. Reinis. de Deo Eudov.: qui *Salambonem* Syrorum idem esse ac *Tammuz.* contendit, et cum *Baccho* confert, Cl. Simon in Onom. p. 604. etiam *Bacchum* indicari, et nomen designare *datorem vini* dicit se alibi ex instituto demonstraturum, quod num fecerit, nescio. Prodiit ea nuper ad calcem Onom. N. T. ubi derivat a נתן et מוץ *vino* in linguis vicinis, et eundem fuisse Bacchum observat post alios, cum *Adonide Osiride*, et *solem* designari. Mihi non fit improbabile, vocem esse compositam ex ה heemantico, nominibus praefigi solito, et emphasin augente, vid. Simon de form. nom. p. 524. etc. et מזז, מזה, מז cui respondet מצץ. Origo est in *frictione effrictione*, quae speciatim adplicatur *suctioni* et *sorbitioni*, quae fit *frictu labiorum*;

rum; dicitque *suxit*, *sugendo expressit*, quod in bonum et malum vertitur. Hinc חמה erit, qui multum habet et praebet sugendum, emulgendum, et in malum, qui omnia consumit, et *exsucca* reddit. Sic מיץ Arab. est valde *musculosus* vir et מזי *exsucti fame* Deut. XXXII. Posset etiam vox esse composita ex תם et מה, unde per dages in ם recte e חמה q. d. plene et perfecte seu totum succosum, aut exsugens, si in malum. Utrumque in *solem* et *amasium* recte quadrat, *sol* calore suo succulentum facit, et *fervore* excoquit, unde mensis, Junio et Julio respondens, adpellatur חמה apud Hebraeos, post exilium Babylon. Posset etiam nomen *Adonis*, quod ab אדן alias recte derivatur, eo referri, si a עדן repetatur, cujus origo est in *delicate tenero* et *flexili*, unde ad delicatissimas amoenitates, et tenerrimas delicias transfertur. Vid. Schult. clav. p. 266. et Kuypers ad Ali p. 107. unde מעדנות כימה Job XXXVIII: 31. sunt *verni temporis deliciae*. Vox כימה denotat *sidus calidum*, *genitale*, cujus influxu terra vegetata foecundatur. Vid. Schult. ad Job. IX: 9. et XXXVIII: 31. radix כום Arab est *subegit foeminam*, et *foecundavit*, et respondet חום, חמם, *calescere*; adeoque recte refertur ad solem, signum *arietis* intrantem, et in eo aequinoctium facientem vernum, ac ver auspicantem, quare *aries* ei fuit sacer apud AEgyptios, et omnis caloris ac foecunditatis terrae redditae fuit auctor habitus, et principium *geniturae*, in quo signo etiam est *congressus solis et lunae*, quem expinxit Osiris redivivus et Isidi redditus, sicut in Adonide et Venere; interitus enim Osiris et Adonidis denotat *solis* a nostro haemisphaerio *abitum* per hiemem, et Osiris in vitam revocatus, ac redditus, solis ad nostrum hemisphaerium tempore verno reditum; priorem luctu, et posteriorem hilaritate prosecutae sunt *mulieres*, illi Deo sacrae; et Isidi ac Veneri consecratae: quare *desiderium mulierum* adpellatur Dan. XI: 37. ubi vid. comm. noster. Adpellabatur *sol* redux tempore verno AEgyptiis proprio nomine *ἐμυς* et *ἐμων* h. e. *lucidam inferens lucem*, post hyemem

mem pulsam, ex tenebris eductam. Vid. Jablonski in Panth. l. II. c. 2. Non longe abit חמה, sed legi etiam posset חמה pro תאמה א per dages in מ latente, uti יה ex יאה vel יהוה; et תמים ex תאמים. Alio nomine Adonis adpellatus est, teste Hesychio, apud Persas, vel Persaeos, aut Assyrios, ἀβωβὰς sive ab אביב, אבובא *spica, calamo virente et maturescente*, unde mensis Nisan, quo messis hordeacea incipiebat אביב, quod *adonis*, seu sol verno tempore fruges ad maturitatem adducat, et iis praeesse censeatur, quare *Adonis* pro matura segete accipi suevit. Vid. Reland. de ling. Pers. p. 100. Conf. etiam Amm. Marc. l. XIX: 1. fin. ubi *cultrices Veneris lacrymare* dicuntur, *in solemnibus Adonidis sacris, quod simulacrum aliquod esse frugum adultarum religiones mysticae docent.* Rursus l. XXII. c. 9. *evenerat iisdem diebus*, loquitur de *Antiochia*, Orientis apice, *annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneri ut fabulae fingunt apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum*; ubi vid. not. sive a חבב *sinu fovente complecti* proprie, inde *diligere*; quod in rem praesentem etiam recte quadrat.

§. CLIX. Insuper observandum est 1. mulieres hasce lugentes Tammuz, esse easdem, quae Veneri sacrae *domunculas* in aede Jehovae leguntur fecisse *Asoterae* h. e. Isidi, ac Veneri; 2 Reg. XXIII: 7. 2. *Flere* cum dicuntur et lamentari *Tammuzum*, illud simul involvere flebilem vocem, qua inclamabant Tammuzum, ut adveniret, et se manifestaret, adeo ut verbum illud divitem sensum habeat, et *flendo inclamare* denotet, uti alias haec duo junguntur. Moris enim erat in hoc festo Adonidis ea ratione, et voce Amun adhibita, clamare, ut veniat et se *conspiciendum* praebeat. Vid. Plut. de If. et Of. p. 364. et Jablonsk. in Panth. p. 178. Posset forte, si eo venire liceret, et hic, ad illud exprimendum, pro התמה את legi תמה אתה *veni Tammuz.* 3. *Ritum* denique hic indicari, qui eo tempore anni locum habebat, quo aequinoctium vernum erat, et sol signum arie-

tis intrat, et ver auspicatur, et mulieres flendo inclamabant solis adventum ad superius hemisphaerium; Verum quidem est prophetae illud fuisse conspiciendum praebitum mense *sexto*; adeoque non in tempestate verna; sed non necesse est statuere mulieres tunc vere fuisse in Templo, cum Propheta id vidit, cum in *visione* id factum sit, et sufficiat, eas tale quid tempore statuto egisse in Templo, quod hic habetur. Quod etiam ad praecedens specimen et sequens adplicandum est.

§. CLX. *Quartum* specimen, eadem formula praemissa vers. 15. describitur vers. 16. in eo situm, quod 25 viri primarii steterint ad ipsius aedis portam Orientalem, inter pronaon et altare holocausti, tergo ad Templum verso, et facie versus ortum, qui adorabant solem; famosissimum Persarum, Assyriorum, et AEgyptiorum numen: uti nemini non constat. Not. 1. viros illos fuisse e principibus populi, ut ex c. XI: 1. liquet. 2. numero 25, et non circumcirca; ut dubie loquatur propheta; כ enim hic otiatur, vel adfirmat; fuerunt enim *tot viri*, ut ex l. c. patet. Quare vero tot fuerint, dici nequit. 3. stetisse non in sancto, ut putatur a nonnullis, sed ad introitum vestibuli ad ortum; ut ex eodem l. c. manifestum est, et hic noster textus requirit; cum inter *pronaon* et *altare* steterint, *altare*, sic absolute dictum, est *holocausti* et non *suffitus*, eadem phrasis est Joel II: 17. et Matt. XXIII: 35. praeterea in *atrio intimo* consistere dicuntur, quo nomine nunquam venit *pronaon* aut *sanctum*: accedit, illos tergum obversum, *palatio* Jehovae, seu Templo, habuisse; adeoque extra illud fuisse; ne dicam eos sub *Dio* fuisse ad solem adorandum. Sensus itaque est, prophetam a parte atrii interioris septentrionali, ubi sedebant mulieres plorantes, fuisse ductum ad partem *Orientalem*, ante ipsum *pronaon* inter illud et altare; et ibi vidisse eos adorantes solem. 4: משתחויתם, quod est pro משתחוים אתם. *adorantes vos*, ut recte Cl. Schult. Inst. Gr. p. 309. hunc vix ferri posse, et leg. videri משתחוים, ut habent Syr. et LXX.

§. CLXI.

§. CLXI. Subjungitur hisce speciminibus prophetae monstratis verbum Domini ad prophetam, quo declarat et pronunciat sententiam judicialem in domum Judae adeo corruptam, quae ejus excidium complectitur, mox executioni in visione prophetica mandatum; uti cap. IX. narratur. Habet itaque haec pericopa conspectum introductionis ad sequens visum, et sententiam judicis condemnatoriam, una cum ejus caussa meritoria, executioni, mox sequenti praemissam repraesentat, vers. 17, 18. adeo ut *a.* corruptio Judaeorum, cujus aliqua specimina erant producta, hic summatim tanquam caussa meritoria, repetita, proponatur vers. 17. *β.* sententia judicialis pronuncietur vers. 18. *a.* Prius fit his verbis vers. 17. *Et dixit ad me, an vidisti, fili hominis? sane leve est domui Judae facere abominanda, quae hic faciunt, quia replent terram violentia, et aestuant ad me irritandum, et ecce eos emittentes crepitum per nares suas.* h. e. Haec omnia abominanda, quae vidisti in domo mea ab iis patrari, levia adhuc et vilia sunt in oculis eorum, etenim rapinis et caedibus omnia loca terrae suae replent, et magno aestu, vicibus iteratis, feruntur in mei irritationem; adeo etiam, ut palam mihi illudant, et me prostituant. Ad quam paraphrasin illustrandam not. 1. non respici, ut putatur, ad unum illud idololatriae specimen, ultimo memoratum, sed omnia reliqua, quae prophetae fuerunt monstrata. Est enim summaria abominationum earum repetitio, ad caussam meritoriam judicii Dei, mox pronunciandi, exponendam: phrasis quoque est generalis, *leve est ipsis patrare abominanda, quae hic*, sc. in Templo, opposite ad *terram*, violentia repletam, faciunt. 2. Praefixum הַ in הֲנָקֵל non esse interrogativum, sed *adfirmativum*, pro *sane profecto, certe*, de quo vid. Schult. ad Job. IV: 21. et Dieu ad Jer. VII: 9. sic in hac ipsa voce 1 Reg. XVI: 31. *et fuit* הֲנָקֵל *sane quam levissimum, ambulare eum in peccatis Jeroboami* etc. 3. Voces, quae incipiunt cum כִּי *quia*, eo tendere, ut rationem reddant dicti, *leve esse ipsis* haec abominanda in Templo

 plo

plo facere, quia non hoc tantum faciunt, ſed et terram totam replent violentia, et aeſtuant in me irritando, ac palam mihi illudunt. Unde patet, abominanda illa eſſe parvi momenti ipſis, qui crimina publica alia addunt, et aeſtuant me irritare, ac palam ſubſannant. 4. Phraſin, וישבו *et redeunt ad me irritandum*, non indicare eos, poſt violentiam patratam, reverti ad Templum profanandum, ut capi ſolet, quod nec commodum admittit ſenſum, nec emphaſin habet, ſed, eos maxime *aeſtuare*, et continuis vicibus, identidem repetitis, id agere, ut Deum irritent. Hanc enim poteſtatem habet verbum שוב tritum in *aeſtu* maximo, identidem et ſtatis temporibus recurrente. Vid. Hackm. anim. ad V. T. p. 126. Kuypers ad loca V. T. p. 77. Schult. ad excerpt. Iſpah. p. 6. 5. Ultimum membrum, quod verti, *ecce eos emittentes crepitum per nares ſuas*, vel *narium ſuarum*, aut *ſtrictione narium*, de quo mox, varias peperit Interpretum verſiones et interpretationes, ſed communiter reddi ſolet, *mittentes ramum*, *vel palmitem ad nares* vel *facies ſuas*, et referri ad ritum aliquem idololatricum, quem varie definiunt, nonnulli *foetorem* aut *crepitum* ventris, ſive ad idolum honorandum, ſive Deum contumelia adficiendum, intelligunt Quae variae opiniones apud Interpretes proſtant, a viro Cl. Hebenſtreit in Theſ. novo Ikenii, productae ſunt et examinatae. Quibus non immorabor; obſervaſſe contentus, hic non agi de idololatria, ſed corruptionem populi adgravari ex eo quod *aeſtuat Deum irritare*, et quaevis ſcelera elata manu, et cum publico Dei ac legis contemtu, committit. Oportet itaque hoc membrum de contemtu Dei exponatur; ac populi adrogantia; quod Syr. et LXX recte viderunt, et expreſſerunt, *ille* enim vertit; et *illi crepitum faciunt*, *vel ronchiſſant naribus ſuis*, id enim פקע et בקע *crepuit*, *crepando diſſiliit*, verbo e ſono facto, ſignat, *hi* vero reddiderunt, uno verbo *μυκτηρίζοντες nares adtrahentes*, et ſubſannantes. Vox זמורה hic non dicit *ramum*, aut *palmitem*, ut alias, ſed *crepitum*, aut *ſtrepitum*:

cano-

canorum, a זמר proprie *fecuit*, *infecuit*, *incidit*, unde etiam זמרה, מזמור, זמירה *carmen*, quod multa vocis fectione et fractione canitur, et apud Arab. de voce ac fono ftridulo in genere ufurpatur, etiam ad fonum obfcoenum, inhumanum, agreftem, ac iracundum transfertur. Ne autem in dubio relinqueretur, qualis fonus canorus, et varie incifus intelligeretur, ac de cantu, qui ore fit, ut folet, caperetur, additur expreffe אל אפם vel *narium*, vel *per nares*, vel *ftrictione* narium fuarum, ut de fono canoro per *nares* emiffo cogitaremus: vocula אל hic non eft *ad* nares, fed vel *articuli* vicem habet, vel *per* dicit, vel *ftrictionem*, aut vibrantem concuffionem. *Articuli* ufum, ut apud Arab., etiam in Script. habet, ut ad Pf. II: 7. demonftravi, adeoque recte vertitur *ftrepitus narium*; nec obftat vocis זמרה ftatus abfolutus, cum haud infrequenter pro *conftructo* veniat, per ellipfin aut vocis repetitae, aut particulae כ ante feq. vocem, vid. Boch. H. p. II. p. 247. Sed אל etiam pro *per* fumitur, dicitque *ad per* nares, ut Belg. *tot door de neus*, ut videre eft apud Nold. de part., uti hic fumfit Syr., praeterea retinere hic poteft ufum vocis אל, et verti, *conftrictione*, aut *concuffione vibrante* narium; prout vel ab אלה *arctius ftringere*, vel ab אלל *concutere*, *vibrare*, inde *micare*, derivetur. Quacunque ratione intelligatur, fenfus eodem recidet, eritque, eos *ftrepitum canorum* naribus edere, five *ronchiffando*, ut Syr., five adtrahendo nares et ftringendo, inftar adrogantium, et impudentium, qui fe efferunt, jactant, et alios irrident; quod eft *ronchos* edere, et μυκτηρίζειν nares adtrahere, premere, et mucum emittere, μυκτὴρ enim eft a μύσσω *mungo*, et primitivo μύω *premo*, fenfus itaque eft, eos fe in fceleribus fuis adroganter jactare, fecuros ftertere, et Deum, ejufque legem et minas irridere: et cum *indignatione* fpernere, videtur proverbialis effe locutio ad ejufmodi homines, et agendi rationes indicandum.

§. CLXII. *β. Sententia* judicialis his verbis pronunciatur verf. 18. *Et etiam ego agam in excandefcentia, nec connivebit*

vebit oculus meus, nec clementem me praebebo, et voce magna in aures meas clamabunt, nec exaudiam eos. h. e. judicialiter cum iis agam summa cum severitate, sine ulla clementia, ipsorumque clamores miserabiles et precationes susque deque habebo. In quibus nihil est obscuri; de judiciali verbi עשה *facere* usu supra dixi, ad c. VII: 27. quem et hic omnino exserit. Emphatica phrasis est, *clamare voce magna in aures, et non audire*; dicit, eos lamenta ingente voce coram ipso Deo esse cieturos, et ne sic quidem *audiendos* esse.

CAP. IX.

§. CLXIII. P*osterior* primae visionis pars, cap. IX: 1—10. comprehensa, repraesentat executionem sententiae judicialis, modo memoratae, per caedem incolarum Hierosolymae a sex ministris judicialibus factam, initio facto ab illis, qui in Templo erant, exceptis tantum piis, super corruptione lugentibus, qui signo sunt, per sacerdotalem aliquam personam, jussu Dei, signati. Sunt autem partes visi, et cap. hujus, sequentes. א. *Prima* exhibet ministrorum justitiae citationem, et adparitionem coram Deo, sedem de super Cherubinis capiente in limine aedis, vers. 1—3. Ubi *a.* occurrit citatio eorum vers. 1. *Et clamavit magna voce in aures meas, dicens, adcedite visitatores urbis, et quisque cum instrumento perditionis in manu sua.* h. e. Deum, supremum judicem, sententia pronunciata, mox audivi indignabundum et concitatum clara et ingente voce arcessentem adparitores et praefectos urbis officiales, cum instrumentis lethalibus in manibus. *Jehova* est, qui clamat, ipse quippe ille, qui cum propheta hactenus erat locutus, cap. VIII., *clamor* ejus indicat mandatum esse serium, et certo ac mox faciendum, insuper ab indignabundo super tot tantisque sceleribus profectum. Dirigitur ad *officiales* Hierosolymae, qui accede-

accedere jubentur cum instrumentis lethalibus ad Deum; verbum קרבו vel est, ut recte Polanus apud Polum, in imperat. Pih., ut Jes. XLI: 21., adeoque vertendum *adpropinquate* quantocyus, et certo certius, pih. enim intendit significationem, vel verbum male est punctatum et leg רִקְבוּ: ut sit imperat. in Kal. non itaque *adpropinquare* aut *accedere facite*, ut alii. Adpellantur vero פקדות proprie *visitationes urbis*, sed per usum abstracti pro concreto, *visitatores*, qui urbi lustrandae ac criminibus puniendis sunt praefecti, officiales alias vel adparitores, seu satellites ac ministri judicis et justitiae dicti. Radix פקד eleg. pro *lustrare*, inspicere, et singula recensere, omnia obeundo, sumitur Job. V: 24., et teritur etiam in judiciis, ac gravioribus poenis infligendis, Ex. XX: 5. Hos. I: 4. Jes. XXVII: 3. Job. VII: 18.; hic autem de executoribus judicii, ut facile cernitur, usurpatur, sunt autem in visione *angeli*, sed qui hic occurrunt, tanquam emblemata illorum, qui Hierosolymam destruerent, et incolis nudarent; qui fuerunt Chaldaei, Nebucadnezar, et duces ejus; vel simpliciter malorum, quibus absumerentur Hierosolymitani, sive ferro hostium, sive fame et peste.

§. CLXIV. β. Comparitio ministrorum justitiae, modo citatorum numero *sex*, cum instrumentis destructionis in manibus, vers. 2. his verbis: *et ecce sex viros venientes e via portae superioris, septentrionem versus spectantis, et cujusque in manu erat instrumentum quatiens.* Nihil hic nostram curam desiderat, quare *sex* sint numero, incertum est; fieri potest, ut *ducum* Nebucadn. Jer. XXXIX. ratio aliqua fuerit habita, quod Maldon. jam observavit, et sine ratione ab aliis rejectum est ideo, quod inter signatos et non signatos non distinxerint, quod secus est, ut ex Jeremiae exemplo l. c. patet, et ex aliis sub Gedalja ib. c. XL. adeo ut hinc potius firmetur conjectura. Introitum per portam superiorem versus Septentrionem spectare ad Chaldaeos inde venientes, et a septentrione irrumpentes, ab aliis notatum quoque est; et facile cogitatur. In visione vero porta est,

non *urbis*, sed *Templi*, quia propheta ibi erat, et porta eo nomine insignita memoratur 2 Reg. XV: 35. incertum tamen unde nomen traxerit. Videtur praeterea eadem esse, quae vers. 3. occurrit, ubi primum specimen idololatriae fuit prophetae oblatum, quae caussa fuit excidii.

§. CLXV. γ. Spontanea comparitio viri, sacerdotali habitu, in medio eorum instructi atramentario scribae his verbis: *et vir unus in medio eorum*, *indutus lineis*, *in cujus lumbis erat atramentarium scribae*. Diversus fuit a *sex* adparitoribus, nec legitur citatus, cum diserte evocantur visitatores, cum instrumentis destructoriis, quorum loco hic *atramentarium* gessit, cingulo lumborum insertum; adeoque sponte sua sese iis adjunxisse videtur, personae et officii sui consideratione motus, ad intercedendum pro piis inter Judaeos; ne cum reliquis pereant. Etsi enim non legatur intercessisse pro iis apud judicem, ex mandato tamen, quo mox instructus est, illud facile colligitur. Praetulisse autem personam sacerdotalem ex vestitu ejus *lineo* jam est observatum. Sed officii, quo hic defunctus legitur, respectu ipsi datur *vasculum scribentis* in cingulo, quia mox *signatum* nonnullos in fronte missus fuit, ut seq. docent. Vox קסת eadem est ac קשה, quae *cantharum*, *pateram*, vel *scutellam* dicit, a קשה proprie *rasit*, *decorticavit*, unde *duri* fluxit usus, quem in Script. habet; hinc מעשה מקשה *opus rasile*, et ita *politum*. Vid. l. c. Schroeder ex Schult. ad Jes. III p. 404. de rad. קשה. Tale opus politum vid. fuisse vasculum, quod cingulo habuit adfixum, in quo erat atramentum, vel unguentum, quo *scribi* aut pingi poterat, quare *scribae* dicitur vasculum. Ceterum moris et olim fuit, et adhuc est in Oriente, ut scribae ejusmodi vasculum cingulo lumbis adstricto habuerint insertum. Vid. Saw in *itinerario*. Sed quis iste vir, et cujus personam gessit? Unum esse angelorum, si ad visionem respiciatur, mihi non est dubium; *vir* adpellatur, et in medio angelorum comparet, et mandatum a Deo accepit, ut reliqui. Praetulisse autem

tem mihi videtur et gessisse personam ipsius mediatoris et intercessoris, angeli Jehovae, seu filii Dei, cujus est pios servare; et calamitatibus eripere; quo hoc in loco, ut et Ap. VII. pertinet officium *signandi* et *obsignandi*; quippe quod Spiritualem obsignationem hic non denotat, a Spiritu S. efsici solitam in credentibus, sed signum liberationis a malis temporalibus alicui impressum, sicut postea videbimus. Angelus itaque Goel est, qui *liberat ab omni malo* Gen. XLVIII. et alibi: idem ille; qui deinceps, sub N. T., *thronum gratiae* insidet; uti cap. I. repraesentatur in fine; hic autem *thronus* cap. X. tantum memoratur, nulla regis in eo facta mentione; quia iste hic aliam gerit personam, *angeli* scilicet mediatoris et intercessoris ac pontificis, uti *vestis linea* indicat, et liberatoris, qui suorum curam gerit, ne angeli percussores eos invadant, uti fecit tempore caedis primogenitorum in AEgypto Ex. XII. Quo etiam facit, quod *vir unus* adpelletur, et in *medio* angelorum, tanquam eorum praefectus, compareat, uti recte *Polanus* apud Polum. Quod vero alii *Spiritum S.* intelligant, illud sine ratione sufficiente fit, et ex confusione obsignationis spiritualis cum hac.

§. CLXVI. *d.* Statio eorum, et sex adparitorum et unius intercessoris, juxta *altare holocausti*, simul symboli gloriae Dei de super Cherubo descensus in limen domus Jehovae, his verbis vers. 2. et 3. *Et intrarunt steteruntque* (omnes scilicet modo memorati, sex ministri cum viro sacerdotali in medio) *juxta altare aeneum: et gloria Dei Israelis sublata est de super Cherubo, ubi imcumbebat ei, ad limen aedis.* h. e. statim ac angeli ministri cum viro sacerdotali stationem sumserint in atrio interiore juxta altare holocausti, symbolum gloriae Dei *Israelis*, quod supra Cherubos vidi ad portam exteriorem istius atrii, vers. 4., isto loco relicto, Cherubinis manentibus, se manifestavit ad limen ipsius Templi. Hic enim sensus est litteralis hujus visi. Not. 1. *altare aeneum* esse veri Dei, et in loco suo positum, non itaque ubi Achaz. illud collocaverat versus latus septentrionale;

de quo nonnulli cogitant; postea enim locum suum recuperavit, sub Hizkia et Josua, nec legimus inde fuisse deinceps remotum. 2. *Gloriam* Dei Israelis esse simpliciter symbolum gloriae Dei, super arca inter Cherubinos alias positum, *nubem itaque igneam*; vid. c. X: 3. et I: 4. de quo ibi dixi: non itaque totum illud visum cap. I., sed pars ejus, quare gloria *Dei Israelis* adpellatur. 3. Gloriam illam se de sede sua super Cherubinos ad portam atrii movisse ad limen aedis, cherubinis ibi relictis, adeoque locum illum, ubi primum adparuit in hoc viso prophetae c. VIII: 4. deseruisse, et solam ac nudam se stitisse ad limen aedis coram pronao Templi. Quod phrases sponte sua indicant, modo not. אשר hic esse pro *ubi*, uti Ps. LXXXIV: 4. XCV: 9. et alibi, vid. Nold. part. p. 102. Non itaque, ut nonnullis visum, intelligitur solita Dei sedes super arca, quam deseruit, sed quae prophetae in viso adparuit c. VIII: 4., quo hic manifeste respicitur, nec dicitur *inter Cherubos* super *arca*, sed simpliciter *super Cherubo*. Steterunt itaque ministri justitiae et unus gratiae juxta *altare* aeneum, in medio *atrii* interioris, symbolum gloriae Dei, sine Cherubinis, ad *limen* aedis, ad quod spectabat *altare*. Quae ministrorum et Dei statio quid sibi velit, verbo ex mea opinione exponam. 1. *Altare* hic considerandum est tanquam emblema *justitiae* Dei et *gratiae*, quem utrumque conspectum gerit, quatenus *ignis* victimam consumens, expingit *justitiam* Dei, cui satisfaciendum est, et *victimae* oblatio medium est reconciliationis cum Deo, et favoris ejus impetrandi. Quae, utpote nota, non demonstro aut illustro. Ex quo, quod in rem sufficit, elucescit, ministros et *justitiae*, aut judicii exequendi, et *gratiae*, recte repraesentari coram *altari* stantes, paratos ad utriusque virtutis specimina danda. 2. *Gloria* Dei Israelis sine Cherubinis hic conspicitur, cum quod *nubes et ignis* sit solitum majestatis Dei Israelis, virtutibus justitiae et gratiae fulgentis, emblema, *tum* quod ministri, seu angeli, per Cherubinos expicti, hic sistantur ad altare, tanquam

tanquam earum virtutum executores. 3. Denique symboli praesentia ad *limen aedis* indicat *partim* Deum tanquam judicem sese palam reddere conspicuum, et judicium jam jam executurum esse; in quem finem foras quasi prodiit, et ante aedem ipsam, unde inciperet *judicium*; uti est vers. 6. Conf. Num. XII: 5. XIV: 10. XVI: 19. *partim Deum* hac ratione viam paraturum ad aedem, purgatam judiciis suis, denuo occupandam, et praesentia sua gloriosa replendam; uti mox factum esse videbimus c. X: 3 4. Tantum abest ut sit desertae aedis indicium, quod alii volunt.

§. CLXVII. ב. *Secunda* pars visi continet mandatum supremi judicis, ministris hisce factum, quo sententiam judicialem, supra memoratam c. VIII: 18., exequi e vestigio jubentur, exceptis nonnullis, a viro sacerdotali signatis, qui non tangerentur vers. 3. fin. 6. In qua pericopa α. vir sacerdotalis jubetur pios, in medio urbis gementes, et corruptum populi statum deplorantes, signo in frontibus notare vers. 3, 4. *et*, vel mox, *vocavit virum lineis indutum; et, qui ad lumbos thecam atramentariam gerebat, dixitque Jehova ipsi, transi per mediam urbem, per mediam Hierosolymam, et signato signum super frontibus virorum suspirantium singultientium super omnibus abominationibus, quae in ea factae sunt.* Ubi not. 1. restringi hanc signationem ad eos, qui in urbe sunt, nulla facta mentione eorum, qui in Templo erant, argumento inter eos, et non hos fuisse tales; idololatria publice in Templo grassante, et piis se inde separantibus, ac latitantibus: quo etiam pertinet, quod solus propheta fuerit in Templo relictus, reliqui omnes in viso ipsi monstrati occisi. vers. 7, 8. 2. Signationis objecta esse gementes, et plorantes super corrupto statu populi et urbis, adeoque pios et Dei, ejusque cultus, studiosos, quibus corruptio curae cordique erat, sed nihil virium suppetebat ad eam tollendam, adeo ut suspiria et gemitus iis unice restarent. Verba אנח et אנק sunt ὀνοματοποιά e sono ficta et prius cum gutturali *prima et ultima* signat, ex *imo gutture* educ-

tum suspirium, *posterius* cum ק fin. *singultum* quatientem *moribundi*, Schult. clav. p. 235., vehemens itaque gemitus et ploratus singultiens intelligitur. 3. Ipsa signatio qua ratione ab hoc viro institueretur non traditur, tantum habetur, signum esse frontibus imprimendum, quod in oculos incurrere posset, et dignosci a ministris justitiae. Verbum תוה est idem quod χαράττειν Graec. *incidere*, unde est *ducere lineas*, quod incidendi vim habet instrumento acuto, et ad alium modum, etiam *atramento*, scribendi, ut hic loci, transiit. Cogitant quidem multi, qua Veteres qua recentiores, de ipsa littera ת, quam per תו intelligunt, frontibus imprimenda, sive quod *crucis* figura sit, ut Christiani, sive quod prima littera sit verbi תחיה *vives* vel תם *salvus sit*, ut Judaei, opinantur. Sed sine fundamento, et contra usum vocis תו et phrasios. Littera ת nusquam hac voce insignitur, quae pro *signatura* venit Job. XXXI: 35., num antiquitus in alphabeto Samaritano figuram crucis Andreanae habuerit, quod fieri potuit, incertum est, et disputatur; sed si habuerit, ad eam figuram, et ita *crucem* respici, temere adseritur; phrasis vero *signare signum* est satis usitata, cum recepta sit Hebraeis et aliis conjunctio *verbi* cum nomine inde orto. Vid. plura apud Pfeiffer. dub. vex. p. 773. Vitringam Obs. S. l. II. c. 15. P. Wornices in misc. nov. Lips. vol. III p. III. alios. Jubetur itaque hic vir simpliciter eos signo notare, absque ut *signi* figura definiatur; uti etiam Ap. VII: 3. Intelligendum quidem est *signum* litterale, *cum* quod *theca* atramentaria, quam gerebat vir, requirat, *tum* quod *frontibus* inscriberetur, *tum* quod in oculos incurrere debuerit ministrorum justitiae, vers. 6., sed quale fuerit, et cujus figurae, non constat; nec illud scivisse tanti est. Forte, cum absolute *signum* adpelletur, intelligitur signum Dei, κατ' ἐξοχὴν sic dictum, quo dignoscantur, qui Dei sunt, et ejus nomen gerunt, opposite ad idolorum cultores; adeo ut ipsum nomen *Jehovae* fuerit frontibus ipsorum inscriptum; quale quid Ap. XIV: 1. occurrit, ubi nomen

nomen *patris* legitur inscriptum frontibus eorum, qui agnum sequebantur. Denique 4. cum viro, *lineis induto*, haec *signatio* committitur, quae cum liberatione ab exitio foret conjuncta, haud obscure indicatur, ejus *intercessioni* salutem eorum esse acceptam ferendam, et angelum hunc repraesentasse *goelem* ac servatorem populi, qui jus habebat *signandi* et *obsignandi*, seu eripiendi homines excidio, qui peccatorum sensu tacti ad ipsum in fide confugiunt. Huc enim spectabat *signatio*; ut a caede liberarentur, ut mox patebit.

§. CLXVIII. β. *Altera* pars mandati est, quo ministri justitiae jubentur omnes Hierosolymae occidere, nemine excepto, nisi qui signum in fronte habeat, initio ab ipso sanctuario Dei facto, vers. 5, 6. *Et illis* (scilicet sex supra memoratis) *dixit in aures meas* (voce clara, probe a me audita) *transite ad urbem post eum* (scilicet signatorem, qui praeerat ad signandum) *et percutite* (instrumento perditionis, quod in manibus habebant) *ne conniveant oculi vestri, et ne molles vos praebeatis* (sine ulla itaque misericordia et conniventia nemini parcentes. Not. 1. constructio verbi sing. cum nomine plur. in phrasi, *parcet oculi vestri*, qua nihil usitatius est apud Orient., quare Masoreth. male ad marg. substituerunt עֵינְכֶם pro עֵינְכֶם 2. mendum in textu ad marg. emendatum, quo pro אל occurrit על: licet Cl. Schult. ad Job. X: 7. אל retinere velit eo sensu, quo *super* denotat *quantumvis*, ut sit: *quantumvis conniveant oculi*, vel connivere vellent, tamen ne molles sitis, sed illud mihi nimis quaesitum videtur, et constanti usui phrasios adversum. Conf. c. V: 11. VII: 9. VIII: 18. et alibi,) *senem, juvenem, et virginem et parvulum et mulieres occidite ad destructionem* (sc. totius urbis,) *sed ad nullum virum, super quo est signum illud, adtingetis* (scilicet ad occidendum) *et a sacrario meo incipietis* (initium caedis facietis cum iis, qui in Templo fuerint: ut mox in executione exponitur.)

§. CLXIX. γ. *Tertia* pars exhibet mandati de occidendis

civibus executionem verſ. 6. fin. et 7. his verbis: *Et incoeperunt a viris, ſenioribus* illis, *qui coram aede*, erant. (intellige eos, quorum mentio fit c. VIII: 16. et non, ut alii, qui ib. verſ. 11. memorantur, *cum* quod ante ipſam aedem ſteterint inter altare et pronaon, reliquis 70 vero ad januam *atrii*, *tum* quod proximi fuerint, et reliquorum caedes in ſeq. memoretur.) *Et dixit illis* (ſcilicet miniſtris juſtitiae, qui jam initium caedis fecerant, et forte aliquid morae trahebant, novum mandatum exſpectantes,) *polluite domum hanc*, *et replete atria confoſſis*, *exite* (quid tardatis pergere in mandato exequendo? polluite modo domum, eam replendo cadaveribus, pergite in reliquis per omnes partes exteriores Templi occidendis, et protinus, nulla mora facta, egredimini in urbem. Not. 1. verba primi et ſecundi membri ita cohaerere, ut poſterius ſit prioris explicatio, uti ſaepe alias. Senſus itaque eſt, *polluite* domum hanc, ejus atria replendo confoſſis. Ipſa enim aedes non fuit caedibus foedata, ſed tantum *atria*, ubi verſabantur idololatrae; *aedes* vero polluta eſt reſpectu *atriorum*, in quibus confoſſi ſunt. 2. verbum צאו *exite* ſine copula occurrere ad indicandum, mandatum hoc directe eo ſpectaſſe, ut *egrederentur*, ut ſenſus ſit: quam citiſſime occidite omnes in atriis, ut *exire* poſſitis in urbem: quare etiam mox ſubjungitur, *eos eſſe egreſſos*, caedis in atriis factae nulla mentione injecta, quae itaque facta cenſeri debet; adeoque ſuppleri acſi haberetur, *replete atria* — — et dein mox *egredimini* in urbem, (*et exierunt*, *et percuſſerunt in urbe* (ſcilicet, omnes modo memoratos.)

§. CLXX. ה. Quarta viſi pars comprehendit partem juſtificationis judicii Dei in populum ſuum, poſt querulam prophetae interrogationem, num Deo propoſitum ſit, omnes reliquias Iſraelis exſcindere, ejuſque ſignum ſit in hoc totali excidio Hieroſolymae? verſ. 8—10. In qua pericopa *a*. ſeſe offert querula prophetae interrogatio, quae deprecationis excidii totalis ſimul gerit conſpectum, verſ. 8.

Et

Et factum est, dum percuterent illi, et crudus essem ego superstes, ut ceciderim in faciem et quiritatus fuerim, dixerimque: Ah! Domine Jehova; tune perdes omne residuum Israelis, dum excandescentiam in Hierosolymam effundis? h. e. quo tempore ministri justitiae occupati erant omnibus per urbem occidendis, egoque in Templo solus superessem magno dolore fractus, pronus in vultum concidi, et querulas cievi voces, dixique ad Deum, simul deprecatus sum, interrogando, num Hierosolymam ea ratione exscindendo, omnes reliquias populi, ut ex hoc specimine videri posset, deletas per orbem velit, illudque intendat? Continent verba 1. tempus et statum prophetae, quo haec verba protulit, hisce vocibus: *et factum est, dum percuterent illi, et ego superstes ille essem crudus.* Haec enim ea ratione jungenda sunt, ut quo in rerum statu querulam interrogationem fecerit, declarent.. *Status* erat duplex, alter civium in urbe, alter suus in Templo, quo durante verba ad Deum fecit. Particula כ in כהכותם dicit hoc loco *dum*, secundum quod, durante hoc. Vid. Nold. part. p. 353. praeterea repeti debet in seq. membro, *et superessem ego*; status civium erat, quo omnes occidebantur ab executoribus judicii Dei, sex nim. angelis; *prophetae* status erat, quo in Templo solus, sed summo dolore fractus, superesset his verbis, ונאשאר אני; quae verti possunt, vel *et superstes ille erat ego solus*, vel et *crudus superstes ego*, prout vox נאשאר sumatur, vel pro una, vel duabus, saparatim legendis. Si pro uno vocabulo accipiatur. א post נ vel erit epentheticum superfluum, vel transpositum pro נשארתי *relictus sum*, quod, si crisin exercere vellet, proposuit Cl. Schult. Gr. p. 495. sed deserit, et aliud quid tentat ex Aramismo: quod ibi videri potest: ubi etiam varia Doctorum cogitata profert. Sensus tunc erit, prophetam fuisse solum superstitem, non ex toto populo in urbe; noverat enim nonnullos esse signatos, qui evaderent, sed ex omnibus in Templo, ubi tunc erat propheta, qui etiam haec verba locutus est, postquam angeli jam in ur-

bem discesserant. Sed nescio, quare propheta tam insolente forma verbi usus esset, nec quid emphasios habeat expresse dicere, se simpliciter fuisse *superstitem*: quod per se sequebatur, nec tanti erat memorasse. Videtur itaque mihi vocabulum in duo dividendum, et legendum, נא שאר h. e. crudus et exulceratus animo superstes ego, vel essem, in templo; quando recte subjungitur, ipsum concidisse in faciem et querulum rogasse, scilicet prae summo animi moerore, quo fractus erat, quod vox נא denotat, proprie *crudum*, semicoctum, unde inter alia adfectionem animi *crudam* seu cruditatem animi subirati, vel subulcerati, indignatione aut moerore adfecti. Vid. Schult. ad *floríleg*. p. 159. et Job XXXIII: 10 Quod quam apte huc quadret, facile patet. Quod si displiceat, legendum est sine littera נ, tanquam mendosa, אשאר *superstes essem ego*, uti varians lectio habet.

§. CLXXI. 2. Hoc in statu rerum, et civium et suo, pronus cecidit in terram, vociferatus est amare, (quod est זעק, proprie *crepare*, cum crepitu erumpere in sonum graviorem, hinc *inclamare*, *quiritari*) et rogans dixit ad Deum, num iram hac ratione effundendo in urbem, vellet *omne residuum Israelis deletum*? h. e. totum populum excisum, ut praeter signatos illos, nihil superfit in terra, nec amplius sit, aut instauretur, regnum Hierosolymis. Propheta per horrendam illam et universalem civium caedem adtonitus, et summo prostratus moerore, 1. significat, se vereri, ne hoc excidium metropolis civitatis et Ecclesiae cum totali excidio totius reip. et religionis cohaereat, et eo tendat, ut Judaei, qua populus Dei, penitus in posterum exscindantur. 2. Indirecte deprecatur urbis excidium, et mitigationem sententiae judicialis supplicat. Sed 3. directe cupit instrui notitia fatorum populi superstitis, et Hierosolymae; num actum sit de populo, an spes instaurationis supersit?

§. CLXXII. β. Responsum Dei ad querulam hanc interrogationem, quae deprecationem excidii urbis tacite involvebat,

bat, verbis expressis non tam interrogationem, quam tacitam prophetae deprecationem tangit, urbi parcendum esse, simpliciter negat, et ejus rei rationem dat, in horribili corruptione populi sitam; sed ad prophetae et piorum consolationem novo viso declarat, se urbi, Templo et populo totale et perpetuum excidium non denunciare, sed restitutionem contra gloriosam promittere: qui seq. visi c X. scopus est, et quod c. XI. apertius exponitur; ut seq. docebit tractatio. Responsum itaque ipsum est Semi-plenum, imo vix quaestionem prophetae tangit; relinquitur enim in incerto, quid reliquiis Israelis fieret, urbe excisa, quod propheta directe intendebat et petebat scire; tantum urbis excidium certo futurum esse declarat, et ex populi invincibili depravatione justificat, vers. 9, 10. *Et dixit ad me, perversitas domus Israelis et Judae, ad summum gradum magna est, et repleta est terra sanguinibus fusis, et urbs referta est declinationibus*, (juris et judicii,) *quia dicunt, deseruit Jehova terram, nec est Jehova videns: etenim et ego: non connivebit oculus meus, et non praebebo me mollem, viam ipsorum in caput ipsorum dabo.* Quae nihil habent obscuri, supra quoque explicita sunt. Declarat Deus perversitatem totius populi, in idololatria, et quibusvis sceleribus, in specie caedibus, rapinis, et injustis judiciis ac oppressionibus innocentium, esse majorem, quam ut ferri possit, adeoque Deo fixum esse et manere, urbem, tanquam metropolin, exscindere, et remp. destruere, sine ulla connivenția et mitigatione, aut clementia. Ex quibus, quod modo dixi, manifestum est, ad quaesitum prophetae non directe responderi, sed simpliciter justificari ac confirmari judicium in urbem, quo exscinderetur. Quod propheta indirecte tantum et tacite deprecatus fuerat. Quid vero reliquiis Israelis, urbe excisa, fieret, in obscuro relinquitur; non quod Deus illud prophetae et piis voluerit occultum, sed quod *novo* viso illud mox repraesentaret: quemadmodum c. X. fit, et clarius cap. XI. Illud ad verba notare neglexi, LXX pro נטה

 legisse

legisse מטה cum reddiderint ἀκαθαρσίαν non male, cum quod verbum מטה in Hoph. tam absolute pro injustitia et judicii inclinatione, vix alibi occurrat sine addito epitheto, tum quod ad vers. 7. videatur respici, quo Deus jusserat templum *contaminari* et *confossis* repleri, in poenam scilicet talionis, propter *contaminationem terrae et sanguines*.

CAP. X.

§. CLXXIII. S*ecunda* visio, cap. X. comprehensa, occasione interrogationis prophetae c. IX: 8., et reditus viri sacerdotalis, signationem factam referentis, prophetae oblata, repraesentat thronum super expanso, Cherubinorum capitibus imminente, et novum mandatum viro sacerdotali factum de igne, e foco inter Cherubinos et rotas sumendo, ac spargendo super Hierosolymam, ejusque exsecutionis modum et consequens: ad *modum* pertinet *cum* descensus gloriae Dei de super Cherubinis ad limen domus, *tum* adcessus viri sacerdotalis ad focum illum, et ignis inde sumtio ac sparsio super urbem, *consequens* autem est, quod Cherubini sedem mutaverint, et capessiverint ad portam Templi Orientalem, *gloria* vero Dei thronum super Cherubinis resumserit. Interseritur praeterea prolixa Cherubinorum et rotarum descriptio, ex cap. I. repetita.

§. CLXXIV. Quae antequam per partes exponam de sensu et scopo visi disputabo, et hypothesin verae explicationis jaciam. Convenit inter Interpretes, judicium excidii Hierosolymae vel per Chaldaeos, ut communis est opinio, vel per Romanos, quae Cocceji est, expingi; hoc fundamento, quod idem sit judicium hoc et praeced. cap. comprehensum. Sed mea longe diversa est hypothesis, quae habet, Hierosolymae, post exilium renovandae, et denuo profanandae a gentibus ac improbis Judaeorum, purgationem vindica-

vindicationem et plenissimam instaurationem per heroas, spiritu igneo divino animatos, et regni Dei in ejus medio erectionem gloriosam, ob oculos poni, quemadmodum temporibus Maccab. sese ostenderet, adeoque visum non esse in malum, sed bonum populi Judaei sumendum. Rationes sunt sequentes. 1. *Primam* suppeditat *occasio* visi, quae duplex est, ex cap. praeced. repetenda, *altera* interrogatio prophetae, cui nondum plene erat responsum, *altera* vero relatio viri sacerdotalis de signatione imperata perfecta. Rogaverat Propheta, num Deus, Hierosolymam exscindendo, omne residuum Israelis velit exstinctum? responderat tantum Deus, se judicium in urbem esse executurum; nihil de *residuo* Israelis addens, quod propheta praecipue tamen intendebat: responsum itaque Dei vel parum ad rem fuerit, vel sequens visum, mox subjunctum, eo spectaverit necesse est, ut residuum Israelis esse gloriose restituendum, tantum abest, ut exscinderetur, significaretur: *prius* ab omni ratione abhorret, et ex cap. XI: 13. etc. ubi simile quaesitum occurrit, et responsum Dei, clare refutatur, et *posterius* confirmatur, cum ibi nudum exstet vaticinium de restitutione populi. Quod vero ad relationem *viri sacerdotalis* adtinet, qua signationem residuorum a se peractam esse declarat, cum illa immediate huic viso praemissa sit, fieri non potest, quin *visum* inde natum sit, et ad *residuum* illud referendum, adeoque laeta fata ejus fuerint hoc viso repraesentata. Alia enim ratio reddi nequit, quare mox ad ejus viri relationem haec scena fuerit prophetae oblata.

§. CLXXV. 2. Quod ipsum etiam confirmat *secunda* ratio, a persona, ignem sumtura et sparsura super urbem, desumta. Cum enim eadem sit, ac quae signaverat pios eripiendos, manifestum est, cum relationem ejus modo factam occasionem visi dedisse, illudque ei respondere debere, tum visum aliquid boni continere, in residuos illos conferendum, adeoque *ignem* non posse destructorium urbis esse, sed ad illam purificandam, et igne coelesti replendam spectare.

tare. *Persona* enim haec in ſcenam prodit, tanquam interceſſoris et liberatoris munere fungens; ut ex ſuperioribus conſtat: cui ignis comburens urbem et vaſtans minus convenit. Dubium non eſt, quin ſex illi miniſtri juſtitiae, vel unus eorum, fuiſſent ad hoc adhibiti, ſi eo referendus eſſet *ignis*. 3. Ipſum viſum ſi advertamus, varia mox deprehendemus indicia, quae hypotheſin noſtram confirmant, et contrariam deſtruunt. Praeterquam quod Dei majeſtas in ipſo Templo ſe conſpicuam reddat, quod tamen cum urbe combuſtum fuiſſet, et ita prophetae oblatum, ſi eo ſpectaſſet ignis ſuper urbem ſparſus, (dubium enim non eſt, quin vir iſte, qui ſumſit ignem, ſparſerit quoque ſuper urbem,) *a*. Gloria Dei Iſraelis hic occurrit ſuper expanſo et throno, Cherubinis incumbente, adeoque eundem conſpectum habere debet, quem cap. I: 12.— praefert. Ibi autem regnum Meſſiae prolepticum tempore Maccabaico expinxit, ut ſuo loco vidimus. *b*. Nubes ignea, glorioſae Dei praeſentiae ſymbolum, *atrium et domum* ſuo ſplendore replevit, et illuſtravit manifeſtum ſignum praeſentiae Dei ſalutaris in medio populi. *c*. Cherubini cum rotis hic occurrunt, tanquam throno Dei ſubjecti, ut c. I. adeoque in bonum populi, et tanquam executores judiciorum Dei ad thronnm illum ſuſtentandum et tuendum; Quod ad Maccabaeos ſpectare, ad c. I. vidimus. *d*. Sicut *gloria* Dei ad limen domus ſtetit, cum viam ad regnum firmandum in medio populi ſtravit, ita, eo facto, ſuper Cherubinis ſtetit ad *portam Orientalem* Templi, eandem, per quam intraſſe ipſam aedem legitur c. XLIII. argumento, aedem eſſe gloria Divina replendam, uti tempore Maccab. factum eſt. Conf. Hag. II. 4. Denique confirmat hypotheſin collatio cap. XI. ubi ſuperiorum fit recapitulatio, et judicio Dei in cives Hieroſolymitanos, quo occiderentur, ſubjungitur luculenta prophetia de reſiduorum reſtitutione et inſtauratione, etiam ad interrogationem prophetae, plane ſimilem ei, quae c. IX: 8. reperitur.

§. CLXXVI.

§. CLXXVI. Hac jacta hypothesi, *partes* visi consideremus, et secundum eam explicemus. Praemittitur relatio viri sacerdotalis, de peracta signatione piorum in urbe c. IX: 11. quia occasionem visi sequentis praebuit, adeoque ad hoc cap. referenda, et cum eo connectenda: quocum manifeste cohaeret, nec ratio alias reddi potest, quare tam expresse, et hoc loco, ejus relatio memoretur; accedit, eandem personam mox aliud accipere mandatum in hoc ipso viso, ut seq. docebunt. Nihil praeterea hic observandum habeo, nisi illud unum, *signationem* hanc non simpliciter indicare pios, qui nunc in urbe erant, esse clade communi eripiendos, sed signum simul praebere residuorum populi in genere, et eorum restitutionis in hac ipsa urbe. Quemadmodum enim caedes Hierosolymitanorum totalis destructionis urbis et reip. erat signum, ita signatio residuorum portendebat eorum instaurationem. Quam visum nostrum pro hypothesi habet; cum residuorum gloriosam vindicationem in hac ipsa urbe expingat. Quae restitutio hic reticetur, sed cap. XI. fusius traditur.

§. CLXXVII. *Partes* visi sunt sequentes. א. Prima est generalis, quae expansum cum throno caeruleo super capitibus Cherubinorum in Templo, late sumto, exhibet, nulla mentione facta personae residentis, sed in seq. tantum *gloriae* Dei Israelis super eo, vers. 1. his verbis: *Et vidi et ecce super expanso, super capite Cheruborum instar lapidis sapphiri, sicut speciem similitudinis throni, conspiciebatur super ipsis.* Ubi *duo* reticentur, quae vers. 3 et 4. memorantur, et inde supplenda, *alterum* est visum hoc adparuisse ad *dextrum* latus domus, in atrio interiore, *alterum*, super throno fuisse *gloriam* Jehovae in nube fulgida conspicuam: in quo hoc visum differt ab eo cap. I: 26. ubi throno conspiciebatur insidens Rex *humana forma*, et propius convenit parti visi ib. vers. 22. Praeterea הנה *ecce*, rectius praemittitur voci כאבן ut sit, *vidi ad expansum* scilicet oculos vertens, super capite Cherub. *et ecce* etc. vers. 2. vero, *et dixit* etc.

 cohaeret

cohaeret cum verf. 11 fcilicet Jehova ibi memoratur. Ex quo colligitur, regnum Dei in medio populi, Hierofolymis hic repraefentari, quatenus fefe habuit tempore Maccabaico, ante adventum Chrifti in mundum, ut ad c. I. expofui: quare hic nihil addo. Tantum not. 1. Chriftum, hic repraefentari, non in throno; ut c. I: 26. fedentem, fed interceffsorem et liberatorem populi agentem, per virum facerdotalem depictum, ut fupra vidimus, quam perfonam in primis egit tempore Maccabaico: uti notum. Vid. inter alia Dan. XII. et ibi dicta, 2. confpici ad dextrum *latus* domus, h. e. aquilonare, quod templum intranti eft, ad dextram: ad fignificandum, ut videtur, populum effe tutandum cum urbe contra novos hoftes a feptentrione venturos, qui funt Syro-Macedones, tempore Maccabaico, de quo hic agitur. Significat autem vifum in genere, Deum, qua regem, fore populo praefentem, tanquam vindicem et patronum, et regnum in medio ejus habiturum, ut olim. De quo dixi ad cap. I.

§. CLXXVIII. ב. *Secunda* pars gloriae Dei de fuper Cherubis defcenfum ad limen domus exhibet, et nubem replentem domum, fulgorem vero atrium illuftrantem, et ingentem fonum alarum Cheruborum per ipfum atrium exterius refonantem verf. 2—5. Ubi diftincte narrat propheta 1. fe vidiffe Cherubos ad dextrum latus aedis ftantes, et nubem replentem atrium interius verf. 3. fcilicet, una cum gloria Dei fuper ipfis, ut verf. fequens indicat. Ex quo colligitur *gloriam* Dei fuper Cherubis fuiffe *nubem*, folenne illud fymbolum praefentiae Dei in medio populi Ifraelis; quae fefe late per totum atrium, in quo ftabant Cherubini, expandit. Significatur, Deum populo fuo adfuturum, tanquam vindicem et patronum, qui legem et religionem, olim hoc fymbolo in monte Sinai inftitutam, tueretur, et vindicaret per heroas, quos Cherubini cum rotis expinxerunt; uti ad cap. I: 22—24. expofui. 2. Quem in finem, ut illuftris hicce eventus, ejufque modus in clariore luce col-

locare-

locaretur, vidit gloriam Dei de ſuper Cherubinis deſcendere ad limen Domus, nubem replere ipſam aedem, et fulgorem, ſeſe per atrium interius ſpargere, ac Cherubinos ingentem ſonum per alas edere, verſ. 4, 5. Quibus expictum eſt, *a*. Deum; qua judicem et vindicem; populi, aedis et religionis tutatorem etc. opus illud eſſe effecturum; quo tendit *ſtatio in limine*, ut vidimus ad c. IX: 3. ſed alio conſpectu, ibi ad populum puniendum, hic ad eum vindicandum, et impios puniendum. *b*. Futurum illud eſſe cum clara perfectionum et virtutum Dei manifeſtatione, et eo tendere, ut Deus ſedem in Templo rurſus, ut olim, teneret. Quod per *nubem* domum replentem, et fulgorem atrium illuſtrantem, eſt depictum. *Stetit* itaque ad *limen* domus, non ut eam deſereret, ſed opere perfecto, cujus gratia ibi ſtabat, eam intraret, ut ad verſ. 18. videbimus, et ex c. XLIII. confirmatur. *c*. denique illud executioni eſſe mandandum per heroas Maccabaeos, eorumque bellicas expeditiones glorioſas et ſonoras. Quo ſpectat, quod Cherubini alas motitarint, et ingentem ſonum dederint: ut expoſui ad c. I: 24.

§. CLXXIX. 3. *Tertia* viſi pars ob oculos ſiſtit virum, lineis amictum, eundem itaque illum, qui pios ſignaverat, ad mandatum Dei adeuntem circulum rotarum et cherubórum, (vox גלגל non idem dicit, quod אופן cap. I., ſed circulum, complexum rotarum quatuor, ſeu inferiorem partem currus, quibus rotis ſimul ſumtis, currus *volutatur*, quod eſt גלל *volvere*, unde גלגל complexus rotarum,) et ex foco, in medio exiſtente, miniſterio Cherubi unius, ſumentem in voles ſuas carbones igneos, ut eos ſuper urbe ſpargeret quaquaverſum: quod ipſum feciſſe, etſi non addatur, dubium non eſt, maxime cum expreſſe dicatur, ipſum ſumto igne *exiiſſe*. Haec ſumma eſt verſ. 2, 6 et 7. Ubi ad orationis ſtructuram not. eam per verſ. 4 et 5. eſſe interciſam, adeoque, quod recte advertit Grotius, verſ. 4 et 5. habere conſpectum parentheſios. Cum enim narraſſet

 prophe-

propheta mandatum de igneis carbonibus fumendis fuiffe ad virum illum delatum interferit nonnulla ad Cherubinorum, et gloriae Dei ftationem explicandam pertinentia verf. 3—5., quando mandatum fuperius repetit, et ejus executionem defcribit. Nihil difficile cum littera vifi habeat, utique quod noftram requirat curam, ad fenfum ejus emblematicum tradendum, fecundum hypothefin fupra jactam, pergo, poftquam illud unum obfervavero verf. 7. voces primi membri *e medio Cherubinorum* vel effe expungendas, ut fecit Graecus Interpres, vel loco motas, et poft verbum ישא *et fuftulit* ponendas, hac ratione, *et immifit Cherub manum fuam ad ignem, qui erat in medio Cherubinorum, et fuftulit e medio Cheruborum ac dedit.* etc. Utique Cherub dici nequit *e medio Cheruborum manum mififfe*, ut facile cernitur. *Prunae ardentes*, e foco divino inter Cherubos, cujus mentio etiam eft c. I: 13., defumtae et fuper Hierofolymam fparfae, ut inde incipiam, quia partis hujus vifi effentiam conftituunt, expingunt, ex mea opinione, fpiritum divinum populum probantem, alios confumentem, alios purgantem, fanctificantem, ftudioque gloriae Dei et pietatis inflammantem, et ad heroica facinora excitantem Qui fatis vulgatus eft *ignis* fenfus figuratus. Conf. Jef IV: 3. VI: 6. Matt. III: 11. Act. II. Ap. IV: 5. et alibi. Sic et pro exploratione et probatione 1 Cor. III. Mal. II: 2, 3. et alibi.

§. CLXXX. Hoc admiffo, reliqua non erunt difficilia, quare paucis expediam. 1. Ignis e *foco* inter Cherubinos defumtus fignificat fpiritum illum igneum effe *divinum*, qui puriffimam Dei naturam refert, a Deo datum, et eundem denique, quo Cherubini ipfi funt ignei, et agitantur, ut eft c. I: 13. five, angeli intelligantur, five Maccabaei fratres, per eos in hoc vifo depicti, ut ad c. I. expofui. 2. Quod vero ab uno Cheruborum dicitur ignis in manus hujus viri datus, illud vel ad fcenam vifi referendum eft, et fimpliciter dicit a Deo effe ortum, ut Jef. VI: 6. ubi vid. Vitr. vel etiam indicare poteft, angelorum miniſterio

nisterio spiritum illum fuisse cum populo communicatum, aut per Maccabaeos fratres ad alios transiisse Judaeos. Conf. Dan. XII: 3. 3. *Vir*, lineis indutus, qui ignem accepit et sparsit, expinxit Angelum foederis, mediatorem et servatorem, qui hunc Spiritum meritis suis impetravit, et cum populo communicat, cui omnia dona et bona spiritualia sunt accepta ferenda, quique ministerio angelorum et doctorum ac heroum utitur in iis distribuendis, ut hic vir fecit, per Cherubos, a quibus accepit. 4. Denique *sparsio* ignis, et quidem prunarum ignitarum, super Hierosolymam, expinxit, Hierosolymitanos, et reliquos Judaeos, qui Hierosolymam pro metropoli habebant, esse adflictionibus probandos, alios absumendos tanquam scorias, alios purgandos et sanctificandos esse, simul spiritu heroico animandos et inflammandos, ut causam pietatis et religionis strenue et intrepide agant. Praeterea, quod addi potest, eos totos fore *igneos*, a quibus hostes et improbi comburantur; uti Zach. XII: 6. simili emblemate luculenter praedictum est de illis temporibus. Quem sensum etiam ignis habet c. I: 13. et alibi frequenter. Plura non necesse est addere, cum quisque haec facile extendere possit, et ad tempora Maccabaica adplicare. Vid. comm. noster ad Dan. XI, XII. et ad Zachariam.

§. CLXXXI. Abrumpitur porro visum per longam quasi parenthesin, quae *quartae* parti visi vers. 18. incipienti praemittitur, qua descriptio *Cheruborum et rotarum* c. I. data repetitur, vers. 8—17. Habet enim tota haec pericopa conspectum parenthesios, qua partes visi interrumpuntur, nihil enim hic occurrit novi, sed pura puta est repetitio descriptionis Cheruborum et rotarum cap. I., qua finita, *visi* nova traditur pars vers. 18. Quae repetita descriptio eo tendit, ut declararetur, eosdem esse cherubinos cum rotis, quos antea viderat ad fluvium Chebar, seseque illud ex adtenta eorum consideratione clare et certo intellexisse; uti manifeste adparet, ex conclusione narrationis vers. 20—22. Sed quid intererat, illud scivisse? et quare hoc tam

 studiose

studiose inculcat propheta? ut intelligeremus, ni fallor, praesens fatum Hierosolymae, de quo hic agitur, ortum fuisse ex motibus illis bellicis per *cherubinos* et *rotas* cap. I. repraesentatis, adeoque posteaquam illi essent finiti vel ad finem vergerent; adeo ut iidem Cherubini, qui expeditiones per orbem fecissent, nunc regno Dei in medio Israelis erigendo inservierint, quare hic sub throno Dei compareant. Conf. sunt, quae ad cap. I: 5—21. diximus. Cui hypothesi robur addit, quod Cherubini cum rotis hic depingantur aeque ac cap. I., huc illuc sese moventes, antequam sedem sub expanso acceperint.

§. CLXXXII. Ceterum cum ipsa descriptio, cum cap. I. collata, facile intelligatur, uno alterove observato defungar. 1. Verba vers. 12. *et tota eorum caro, et apsides earum, et manus eorum, et alae ipsorum, et rotae plenae erant oculis circum ad quaternionem rotarum ipsarum*, nec ad solos *Cherubinos*, nec ad *rotas*, sed ad utrosque simul sumtos referenda sunt; *caro* enim, *manus et alae* manifeste pertinent ad Cherubinos, *apsides* vero, גבהם ad rotas, c. I: 18. Quod vero subjungatur, et *rotae erant plenae oculis*, illud respectu *radiorum* capiendum est, ut sensus sit, *rotas* vel *radios* quoque oculos habuisse; cum modo facta fuerat *apsidum* mentio. Constant enim rotae ex *apsidibus* et *radiis*. Qua ratione omnis difficultas est sublata. 2. Emphasis, quae verbis vers. 13. inest, hic observata Interpretibus, *rotas vocavit in aures meas* הגלגל *rotam turbinatam*, et circumvolventem, quae vis vocis est, in eo sita est, quod per eam manu ducamur ad sensum emblematicum *rotarum* in hoc viso, ex voce גלגל, ejusque usu figurato eruendum, uti exposui ad cap. I. §. XLII., quare nihil addo. 3. Majorem difficultatem parit membrum secundum vers. 14. *et facies una erat facies* הכרוב pro שור, quam solvere possim. Quare loco *bovis* dixerit propheta כרוב, et quidem הכרוב cum ה demonstrativo, plane me latet. Novi, quid Interpretes in medium adtulerint, sed nihil sufficere, facile demonstrari

strari posset; si necesse foret. Praeferenda foret eorum opinio, qui mixtum illud hieroglyphon nomen traxisse statuunt ab uno animale *bovis*, et vocem כרוב ex Syr. ling. pro *aratore* sumunt, quod bovi proprium est. Sed, praeterquam quod eo sensu nusquam veniat in lingua Hebr., quae ratio fingi poterit, quare 1. propheta non solita שור, sed insolita hac כרוב usus sit voce. 2. Cherubinus ab una hac facie bovina fuerit adpellatus? dicunt, quia *pedes* quoque *vitulinos* habuisse dicitur c. I: 7. Sed illud falsum esse ad I. eum observavi. Quod si hieroglyphica species fuisset *bovina*, et reliquae facies peregrinae, illud ferri posset, inde nomen esse tractum, sed tota fuit species *humana*; adeoque vox כרוב pro אדם *homine* fuisset posita; si id fuisset intentum. Crisis nisi esset paulo audacior, vocem הכרוב dicerem loco esse motam, et excidisse שור, vel פר vel potius בקר adeoque leg., *et quatuor facies uni Cherubo*; *facies una erat bovis* etc. Cum propheta de *rotis* maxime egerat, et nunc ad *Cherubinos* transeat, probabile est, ipsum vocem *Cherubi* primo membro addidisse, et propterea הכרוב cum ה demonstr. dixisse. Omisi notare vocem כרוב, ubi imagini huic monstrosae datur, non notare *aratorem* bovem; sed hieroglyphon *sculptum*, a כרב proprie *secare*, *sculpere*, quum quid inciditur, absque ut *persecetur*, ac disrumpatur, Gr. χαράσσειν Belg. *Kerven*. Vid. Schult. ad Har. conf. III. p. 132. et Prov. XXX. p. 472. 4. Haeret etiam mihi aqua in primis vocibus vers. 15. *et sustulerunt sese Cherubi*; sequitur enim mox *hoc est animatum, quod vidi ad fluvium Chebar*. Voces primae quid sibi hic velint, plane non perspicio; et sunt nimis abruptae, quam ut sensum admittant commodum; maxime cum vers. 16. motus Cheruborum et rotarum conjunctus fusius describatur. Rom. editio LXX Interpretum voces eas, una cum vers. praecedente, omisit; quae si genuina sit lectio, voces eas in codice suo eos non invenisse probabile est, et fieri potuit, ut a posteriore manu sint additae, quo tempore, Syr. lingua vulgatiore facta, vox

vox כרוב pro *bove* coepit usurpari apud Judaeos; sed tutius est, statuere, voces esse genuinas, et nostras, una cum sequentibus hujus versus, fuisse a propheta praemissas instar prooemii, seu generalis propositionis, mox latius et specialius exponendae. Quod ex sequenti confirmatur, ubi propheta *utrumque* versus membrum fusius exsequitur, *prius* vers. 16—19. *posterius* vers. 20. etc. Illud porro non est improbabile, prius membrum *et sustulerunt sese Cherub.*, esse loco motum, ac vers. sequenti praemittendum, quippe quocum proxime cohaeret.

§. CLXXXIII. ד. *Quarta* pars visi repraesentat Cherubinorum cum rotis translationem ad januam portae domus Orientalis, et gloriae Dei a limine domus ad sedem supra Cherubinos vers. 16—19. Ubi in genere praemittitur conjunctio Cherubinorum et rotarum in motu vers. 16, 17., quae repetita est descriptio visi cap. I. scopo, quo supra dixi, facta; dein narratur quid novi, quod nunc acciderat, propheta vidente, in eo situm, quod *gloria* Dei, quae ad limen seorsim steterat, sedem supra Cherubinos repetierit, et Cherubini locum capessiverint ad portam Orientalem domus Jehovae, pro ויעמד enim legendum est ויעמדו *et steterunt*, cum de Cherubis agatur. Quo, ni fallor, indicatur, quod c. I: 25. dictum erat, et ibi a nobis expositum est, gloriosam Dei inhabitationem in Templo fore tranquillam, post populum purgatum et vindicatum, tempore Simonis Ethnarchae, et Joh. Hyrcani. Per hanc enim portam gloria Dei intravit Templum cap. XLIII: 4. Quo hic omnino respicitur. Plura non addo, cum ex dictis cap. I: 25. repeti possint, quae huc pertinent.

§. CLXXXIV. Subjungitur denique per modum conclusionis, visum Cheruborum et rotarum esse idem, ac quod c. I. ad fluvium Chebar adparuerat; vers. 20—22. Ubi *duo* vel *tria* tantum habeo notanda. 1. *Primum* est, ultimas voces vers. 20. *et cognovi esse Cherubinos istos* respicere ad animata c. I. memorata, ut pronomen המה referatur ad

animata

animata, quae viderat ad fluvium Chebar, adeoque sensum esse, se ex hoc praesente viso, cum primo illo collato, intellexisse *animata* ista c. I. fuisse ipsissimos *Cherubinos*, sed qua ratione illud ex hoc demum viso collegit? forte, quod viderit haec ipsa animata in Templo, et gloriosam Dei Israelis inhabitationem super ipsorum capita ad portam Orientalem Templi, ut illud intret. Unde colligere potuit, *schechinam* esse supra Cherubinos in sancto sanctorum: nisi quis velit, accessisse vocem Dei, qua sicut rotas adpellavit *turbinem* rotatum vers. 13., *animata* vocaverit *Cherubinos*; de quo tamen nihil constat. 2. *secundum* est, primam vocem ארבעה vers. 21. forte pertinere ad vers. praecedentem, ut sensus sit, *cognovi cherubinos esse eos quatuor.* Quod Monceus de vitulo aureo l. I. c. 6. jam vidit, in eo falsus, quod ex vitulina specie, quam tribuit Cherubinis, propheta diceret, se collegisse omnes *quatuor* esse *Cherubinos*, quae collectio falsa nititur hypothesi, de Cheruborum *specie* vitulina, quod non dicit propheta, nisi *Cherubum* velis notare *vitulum* aut *bovem*, quod supra refutavi. 3. *Tertium* est, vocem ואותם vers. 22. ante ultimum membrum, vertendam esse, *et tensio eorum*, scilicet quod adtinet ad tensionem eorum, ut in principio versus, et *similitudo facierum ipsorum*, scilicet quod adtinet; quando recte sequitur, *quisque e regione faciei suae progrediebatur*; quo modus *tensionis*, et loci mutationis eorum exponitur. Habet אתה propriam notionem *tendendi*, et locum mutandi, unde reliqui usus fluxerunt. Vid. Verschuir et Mesting in *disputationibus* sub Cl. Schroedero. Eundem sensum habet אתכם Hag. II: 17. fin. ut ibi observavi. Praeterea מראיהם *adspectus eorum* referri debet ad praeced., ut sit, *hae facies ipsorum, quorum adspectum vidi* ad *fluvium Chebar*.

CAP. XI.

§. CLXXXV. Tertia visio, hoc cap. exposita, praefert, ex mea opinione, conspectum adpendicis, qua duae praecedentes visiones illustrantur, seu fata Judaeorum tristia et laeta, supra repraesentata, recapitulantur, et explicantur; occasione partim principum urbis in porta Templi, instar judicum sedentium, et urbem rapinis et caedibus replentium, sesque contra salutaria monita Jeremiae et prophetarum, de urbe tradenda, et exsilio praeferendo, obfirmantium, uti Prophetae in visione sunt ob oculos positi, quibus propheta nomine Dei primum respondet, et caedem extra urbem denuntiat, *partim* intercessionis et querulae *interrogationis* Prophetae, respectu totius posteritatis Israelis dein a Deo responsum accipit de superstitibus et exulibus, quibus promittit reditum in urbem, et omnium rerum restitutionem plenissimam, quae temporibus Maccabaicis foret, sub Messia consummandam. Hic scopus, haec summa est visionis et prophetiae h. c. Ubi א. occurrit occasio prophetiae vers. 1—3. ב. prophetia ipsa vers. 4—21.

§. CLXXXVI. א. In *priore* parte *a.* viri monstrantur prophetae in janua portae Orientalis Templi sedentes, numero 25, principes populi, et inter eos duo nominatim expressi vers. 1. Qui num fuerint iidem, c. IX: 16. memorati, an diversi, parum interest, licet posterius videatur probabilius, cum novum visum sit, et nullo indicio pateat, eosdem esse; idem enim numerus non sufficit, praeterea non sistuntur idololatriam exercentes, ut c. IX. sed deliberantes, et consilia formantes, ac decreta cudentes, in perniciem urbis; uti vers. 2. traditur. *b.* Summa occupationis eorum perniciosae exponitur his verbis vers. 2, 3. *Et dixit mihi fili hominis! hi sunt viri, qui excogitant exinanitionem, et contexunt consilium malum in urbe hac; qui dicunt* irrisorie, *non*

in

in propinquo aedificare domos, *haec olla* eſt, *et nos caro ſumus*. h. e. Occupatio horum principum eſt ſumme flagitioſa, et urbi, ejuſque incolis perniciosa, dum quaevis enormia facinora, ad alios fraudandos, vexandos et caedendos, excogitant, et conſilia ineunt, quae totalem urbis, et civium ruinam ſecum trahunt; quorum ſumma eſt, non eſſe obediendum illis, qui ſuadent urbem eſſe dedendam aut deſerendam, ac in longinquis locis ſedes eſſe exſtruendas, ſed contra manendum eſſe in urbe, et ibi potius ſi hoc in fatis foret, fame ac peſte moriendum, inſtar carnis in olla coquendae, quam in manus hoſtium venire, et gladio eorum occidi; quod tamen non eveniet. Quae liberior paraphraſis, ut illuſtretur et demonſtretur, 1. notandum eſt, *duplicis* generis pravas deliberationes horum principum deſcribi, quarum *aliae* ad flagitiorum patrationem ſpectabant, *aliae* ad praeſentem urbis ſtatum pertinebant, *priores* intelliguntur phraſi *excogitare exinanitionem*, ſeu flagitia cives exhaurientia et deſtruentia; quam poteſtatem adfert vox און proprie *vacuitas*, dein cum *levitas*, *inanitas*, tum tranſitive *exinanitio*, quae opes vires et vitam exhaurit. Vid. Schroeder ad Pſ. X. p. 158., hic, ut alibi, denotat flagitia ſaeva, et exhaurientia aliorum opes, dignitates, aut vitam. Vid. Prov. VI: 17. Jeſ. LIX: 7. X: 1. et alibi. Quorum facinorum hic habendam eſſe rationem ex verſ. 6 et 7. manifeſtum eſt. *Poſterioris* vero generis deliberationes et conſilia indicantur his verbis: *et qui contexunt conſilium malum in urbe hac*, et *in eam*, ſcilicet ad eam perdendam cum civibus; quale ipſi produnt, dum *dicunt*, *non in propinquo aedificare domos*, *haec urbs* eſt *olla*, *nos caro ſumus*. Quae verba abrupta ſunt et conciſa, et intellectu difficiliora, utique per omnia minus recte expedita. Mihi videntur eſſe verba ſarcaſtica, et irriſoria, ſimul deſperabunda, quibus *partim* cum contemtu et indignatione ſalutaria prophetarum monita et vaticinia rejiciunt, *partim* declarant, ſibi potius in urbe moriendum eſſe, quam gladio hoſtium pereundum. Exſerit hic, ut alibi, verbum

אמר vim, qua in malum sumitur pro acuto, irrisorio, et insultatorio ac reprobatorio dicto, quo cum contemtu et indignatione alicujus dictum repetitur et rejicitur: sicut alio flexu de dicto maledico ac illusorio adhibetur Ps. III: 2. et Jer. XXXVIII: 2. Respicitur ad verba prophetarum, quibus suaserunt discessum ex urbe, et sedes in terra exilii figendas; simul declararunt, cives in urbe manentes esse e medio tollendos; sive fame et peste absumendos. Ad *prius* respiciunt his verbis, *non in propinquo aedificare domos*, א nihil minus quam in propinquo, sed in longinquo, a Jehova et urbe ac terra sancta longe remote: hunc esse sensum, ex vers. 15. colligi potest; nec alium ferunt commodum; uti ex Interpretum conatibus facile liquet. Part. לא, *non*, hic est nihil minus, sed longe contrarium; *non in propinquo aedificare*, itaque est, non hoc, sed in longinquo; ut vers. 15. habetur. Intendunt verba Jeremiae et prophetarum, quibus praedixerunt *exilium*, et sedes ibi figendas; quae cum contemtu traducunt, et rejiciunt, acsi dicerent: *non in propinquo aedificare domos*, dicunt et suadent; quam inepte et falso, absit, ut hoc fiat, aut faciamus: quem sensum seq. quoque requirunt, ubi addunt, *haec olla*, *nos caro*, quod praecedenti est oppositum; adeo ut sensus sit: *non in propinquo* etc. absit, non fiat, sed hic in urbe manebimus. Quo etiam facit form. infinit. usus, quum aliquid miramur, aut refutamus, uti apud Graecos. Vid. Reiske in Misc nov. Lips. vol. VI. p. 108.

§. CLXXXVII. Ad *posterius* spectant verba, *illa olla*, *nos caro*, quibus *partim* significant, prophetarum dicta de populi excidio in urbe fore irrita, quippe vero conspectui urbis et populi contraria, *partim* declarant, si illa effectum sortiantur, se malle in urbe perire, quam in manus hostium incidere, et gladio eorum auferri: acsi dixissent; cives urbis esse mala morte adficiendos, quod prophetae interminantur, verum esse non potest, nisi urbs sancta in *ollam* mutetur, et *cives* in *carnem*; seu nisi injuste et tyrannice nobiscum

agat

agat Jehova, quod absit; si tamen tale quid contingat, et nos tam severe tractandi simus, fiat, simus itaque ut caro in olla, pereamus in urbe; hic manebimus, et cum reliquis absumemur, hostium manibus erepti; adeoque non continget, ut gladio hostium pereamus, quod illi praedicunt, sed nos, urbem tuentes, cavebimus. *Duo* itaque his verbis significant, *alterum* est, fieri non posse, ut cives Hierosolymae exscindantur, *alterum* est, si illud fiat, se tamen in manus hostium non venturos, sed in urbe cum reliquis inique velle trucidari. *Prius* inde eruendum est, quod proverbialis illa locutio injustum et tyrannicum involvat excidium, naturae hujus urbis et populi ejus aversum, acsi haberetur: hoc si fieret, *urbs* haec foret *olla*, et *nos caro*; non amplius urbs sancta, Deo sacra, et *cives* populus Dei justi, et boni. Quem locutionis sensum seq. clare confirmant, quibus Deus principibus imputat, quod caedibus suis et rapinis de urbe fecerint *ollam*, et de civibus *carnem*; eos in usum et lucrum suum occidendo, et ita tanquam *carnem* coctam absumendo, vers. 6, 7. Prophetarum itaque dicta invertunt, et odiosa ac absurda reddunt, acsi dixissent, populum esse tyrannice, et injuste occidendum; ut vana et in Deum ac urbem injuriosa esse indicarent. Confirmat hanc eorum intentionem, quod vers. 15 introducantur Hierosolymitani exulibus, in terra longinqua sedes habentibus, dicentes, eos esse a Jehova longe remotos, et sibi terram esse datam in possessionem, argumento, eos existimasse, sibi exitium in urbe non esse metuendum. De quo postea. *Posterius* ab ipsis intentum, pro hypothesi habet, sibi esse pereundum, adeoque conditionate intelligendum, si tale quid contingat, si nobis haec calamitas immineat; et, ea conditione posita, hunc fundit sensum, se *cum* injuste et tyrannice occidi, instar *carnis in olla*, *tum* nolle gladio hostium perire, sed in urbe velle manere, eam probe defendere, et ibi quovis mortis genere adfici; ut sensus sit: *haec sit*, *eritque olla*, et *nos simus erimusque caro* h. e. hic in urbe fatum inveniemus, quam di-

rum etiam, et non manibus peribimus hostium, qui nos, urbe capta, non vivos, sed mortuos invenient. Quem sensum responsum Dei manifeste requirit, cum Deus diserte denunciet, eos urbe esse extrahendos, et gladio ad ultimos terrae fines occidendos ab hostibus.

§. CLXXXVIII. ב. Ipsa prophetia, quae vers. 4—21. occurrit, duplicis est generis, partim *tristis*, partim *laeti* et salutaris; pro duplice respectu, *altero* ad Hierosolymitanos, *altero* ad residuos exsules, in terra peregrina degentes, quae duae diversae partes sunt, quarum *altera* comprehenditur responso ad cogitata et dicta impiorum principum, *altera*, seu posterior et laeta, responso Dei ad querulam prophetae interrogationem, continetur. *Prior*, praemissa praefatione inspirationis et jussus prophetae facti, vers. 4, 5. complectitur α. cogitationum et dictorum, modo memoratorum, notitiam Deo praesentem, et ad animum revocatam; ipsisque intimatam ad refutandam impiam eorum opinionem de Dei ignorantia; c. VIII: 12. memoratam; his verbis vers. 5. *sic dixistis, domus Israelis, et quasvis cogitationes spiritus vestri ego probe novi.* h. e. talia, quae probe nostis, et modo memorata sunt, vestra dicta et cogitata sunt, superba illa, impia et mihi injuriosa, ac populo perniciosa, quae mihi non esse ignota, aut neglecta, velim ad animos revocetis. Nihil hic obscuri. Loco *principum* hic *domum Israelis* compellat, *cum* quod ejus essent doctores et ductores, *tum* quod communes essent populi voces et cogitationes, a principibus receptae.

§. CLXXXIX. β. Impiorum et perniciosorum eorum consiliorum et facinorum manifestationem et publicam declarationem, eo scopo factam, ut judicium Dei in ipsos justificetur, et causa excidii civium ipsis imputetur, opposite ad vanas eorum cogitationes, quibus, se non nisi injuste, et tyrannice, ita posse tractari, significaverant, ut modo exposui: quo tendunt verba vers. 6, 7. *Multiplicastis confossos vestros in hac urbe et plateas ejus implevistis occisis*,

(lectio

(lectio enim marginalis, מלאתם, quam veteres Interpretes secuti sunt, omnino est praeferenda) *propterea, sic dixit Jehova, confossi vestri, quos stravistis in media urbe, illi sunt caro, et haec urbs olla* est." Haec verba conjunxi, licet vers. 7. judicium Dei incipiat declarari, quia Deus rationem judicii justificatoriam illustrat, et *ollam* de urbe factam in qua carnes populi coquantur, ipsis principibus imputat. Scopus verborum est, ut jam dixi, principibus intimare ipsis esse acceptum ferendum, quod urbs talis *olla* sit, cum ipsi eam sceleribus et facinoribus suis tyrannicis, quibus cives spoliarunt et mactarunt, repleverint, praeterea in causa sint, quod per obsidionem longam et arctam cives peste et fame absumantur; adeo ut conqueri nequeant, injuste secum agi, nec se vana spe de urbe liberanda lactare possint, ex eo, quod urbs sancta sit cum populo, quia ipsi eam contaminaverant, et Dei judicium in eam provocaverant. Fundunt vero verba *duplicem* sensum, cui utrique locus dari potest. *Alter* ad eorum iniqua et exinanientia consilia ac facinora, respicit, vers. 2. in priore membro, ut supra exposui, memorata, quibus cives opprimendo et necando de urbe *ollam*, et de *civibus* carnem fecerant. *Alter* vero eorum consilia perniciosa comprehendit, quibus urbem non dedere, aut per resipiscentiam judicium Dei avertere, sed obstinate defendere, et in peccatis perseverare volebant; unde fieri necessario debebat, ut *confossi* in urbe multiplicarentur, et de illa fieret *olla*, de civibus *caro* in ea; adeo ut et hac ratione ipsi possint et debeant dici, illud fecisse, ut hic ipsis imputatur. Addi potest, per confossos etiam intelligi, vel iis comprehendi posse milites praesidiarios, ingente numero in urbem, ad eam defendendam admissos, qui *eorum* חלליהם adpellari possunt, quod milites ita nuncupantur, non quod hostes confodiant, sed hic ipsi caedi, et periculis exponantur, et ita se *profanent*, quae vera est verbi potestas. Tales vocantur hic, quod milites in urbem collecti, vere mactarentur, adeo ut dici posset *confossos* po-

tius, quam defensores fuisse ab ipsis collectos. Verbum vero חלל aeque *fami* et *pesti*, uti Thren. IV: 9. ac *gladio* aptatur, cum proprie sit *solvere*, inde *profanare*; res enim *sacro sancta* et propterea inviolabilis, est quibusdam quasi vinculis obligata, *profana* vero, quae cujusque arbitrio et libidini permittitur, nullis veluti vinculis tenetur, unde variae locutiones ortae sunt, ut profanus *gladii* et *famis*, nec non in genere ad omnes calamitates et dira expositus Ps. LXXXVIII: 7

§. CXC. *γ*. Sequitur judicii Dei in principes illos pronunciatio, relate ad consilia eorum de urbe retinenda, et morte in ea exspectanda, si illud in fatis sit; quo Deus declarat, eos votorum non fore compotes, sed tanquam mactatores et homicidas esse tractandos, qui urbe, quam caedibus et cadaveribus repleverant, educti, poena capitali adficerentur publica, gladio hostium, in publicum justitiae exemplum, occidendi, extra urbem non tantum, sed extra ipsam terram sanctam, in ultimis ejus limitibus; uti factum esse ex historia constat, 2 Reg. XXV: 6. Jer. XXXIX: 6. LII: 9, 10. Hic scopus et sensus est pericopae, vers. 8—12.: quae, quoad vocabula et phrases, nihil habet obscuri, quare ei non immorabor. Tantum not., cum vers. 10. dicitur, eos *metuisse gladium*, illud respicere ad gladium hostium, et tanquam rationem memorari, quare in *urbe* manere et se defendere, et ibi occumbere malebant, quam in hostium manus incidere. Praeterea, cum in vers. 11. in secundo membro deficiat לא *non* vel ex praeced. repeti debet, ut subinde fit, vel excidisse incuria descriptorum, statuendum est: utique codex Alexandr. LXX et Syrus voculam expresserunt.

§. CXCI. *Altera* pars propheticae visionis, quae superstitum in exilio restitutionem comprehendit, occasione querulae prophetae interrogationis, ex subita morte *Phelatjae* ortae, facta, א. occasionem eam continet vers. 13 *Et factum est cum vaticinarer, ut Phelatja filius Benajae fuerit mortuus*

mus, et cecidi super faciem meam, et clamavi voce magna, et dixi, ah! Domine Jehova! consummationem tu facis residuum Israelis, vel cum eo, h. e. cum inter prophetandum, unus eorum virorum, vers. 1. memoratorum, nomine Pelatja, subito et improviso me inspiciente moreretur, pronus in terram cecidi, et ingente clamore magna cum animi perturbatione rogavi Dominum, num totum populum penitus vellet exstirpatum; sine spe restitutionis. Nihil hic nobis fere relictum est observandum; repetit propheta querulam interrogationem, supra c. IX: 8. factam, nec directa responsione plene solutam nova occasione subitae mortis hujus viri, divinitus inflictae, ut supra, eam eliciente. Tantum not, 1. hunc virum fuisse divina plaga, sive ab angelis percussoribus, ut supra, sive a Deo immediate inflicta, e medio sublatum, in signum caedis reliquorum principum, quos propheta modo dixerat, gladio hostili esse absumendos. 2. prophetam in specie adeo fuisse hac nece perturbatum, et ad hanc interrogationem excitatum, quod in nomine hujus viri sibi videretur sortem residuorum Israelis contemplari, sive Deum, hujus nominis virum trucidando, indicatum voluisse, nihil spei superesse residuo Israelis, quia vir ille adpellabatur פלטיהו *quem Deus eripuit*, eoque nomine suo figurare posse censebatur residuum *Israelis* et filius erat בניה ejus *quem Deus aedificat*. Quod observatum quidem est Calvini, sed in quo non acquievit, uti debebat. Movent vero Interpretes inutiles quaestiones, et virum hunc vere tunc esse mortuum existimant; quod secus est, cum non magis mortuus fuerit, quam supra omnes cives occisi c. IX. Cuncta enim in visione facta sunt, ut ex superioribus constat.

§. CXCII. ב. Sequitur ipsa prophetia, per modum responsi, ad interrogatum prophetae, qua residuorum in exilio instauratio luculenter repraesentatur, usque ad plenissimum gradum sub Messia, vers. 14—20 Ubi *a*. personae definiuntur, quibus hoc beneficium contingeret, exceptis reliquis,

qui perirent, seu summaria propositio responsi, mox per partes deducenda, vers. 15. *Fili hominis fratres tui, fratres tui, viri vindiciarum tuarum*, erunt, *at universitas domus Israelis consummabitur*, *qui ipsis dicunt*, *incolae* nimirum *Hierosolymae*. *estote longinqui a juxta Jehovam*, *nobis haec data est terra in haereditatem*. h. e. quaesito tuo, num consummationem facturus sim cum residuo Israelis? ut summatim respondeam, scias velim, fratres et socios tuos, qui tecum sunt in exilio, et tui animi, partem habituros esse in redemtione et liberatione tua, quam tu intercessione tua petis; sed reliquos Israelitas omnes esse ad internecionem usque delendos, illos nimirum Hierosolymitanos, qui exulibus illudunt, et eos pro rejectis a me habent, sibi autem terram hanc esse in haereditatem cessuram jactitant. Sensus ergo est, Hierosolymitanos et impoenitentes illos Israelitas omnes, qui exules putant esse perditos, e medio esse auferendos, sed exules ipsos, qui cum Jechonia et Ezechiele erant abducti, aliosque earundem animi adfectionum piarum, esse redimendos et liberandos: quemadmodum saepe a prophetis, inprimis Jer. XXIV. luculenter praedictum est. Hunc existimo esse *versus* hujus sensum, minus recte perceptum. Qui ut in lucem prodeat, notandum est, *duo* esse versus membra, quorum *prius* residuorum in exilio liberationem, *posterius* reliquorum in specie Hierosolymitanorum improborum exstirpationem comprehendit. *Prius* his verbis, *fratres fratres tui* sunt vel erunt *viri vindiciarum tuarum*, h. e., cognati et socii tui in exsilio sortem habebunt in vindicatione et liberatione tua. Interpretes *viros vindiciarum tuarum* exponere solent de consanguineis, qui jus redimendi prophetam ejusque bona habebant, sed 1. quid sibi hoc additum velit, quid emphasios habeat, prorsus non adparet, maxime cum modo *fratres* dicti erant, 2. sermo imperfectus erit, et hiabit; nihilque de eorum sorte tunc diceretur. Rectius itaque *viri vindiciarum prophetae* exponuntur de communione sortis eorum et prophetae in exilio et liberatione;

adeo

tuo ut respiciatur ad usum verbi גאל, quo redimere, et vindicare in libertatem, denotat; et *viri vindicationis* sint quibus illud beneficium contingeret; *tuae* vero *vindicationis*, quod eandem cum propheta participarent. LXX reddiderunt τῆς αἰχμαλωσίας σου *captivitatis tuae*, quibus Syr. concinit, ad vocem גלות respicientes, sive ita legerint, sive א pro epenthetico habuerint. Sed obstat, praeter lectionem Masorethicam, quod sermo sic etiam maneat imperfectus, nec de sorte eorum aliquid tunc diceretur. Addo adhuc duplicationem epitheti fratrum forte fieri, ut et de consanguineis, et de *sociis* ejus cogitaremus in exilio, et adfectionibus piis. Quod si adoptanda sit lectio גלותך *exilii tui*, quod mihi non displicet, et nonnulli codd. Mss. confirmare videntur, legerem pro altero אחיך *fratres tuos*, אחיה proprie *compingam*, in molem firmam *constringam*, dein *vivificabo*, instaurabo, uti de urbe aedificata, et firmato corpore firmiter compacto, et similibus usurpatur: ut sensus sit, *fratres tuos* compingam firmiter in unam societatem, et instaurabo; viros scilicet deportationis tuae nunc dissipatos et dissolutos.

§. CXCIII. *Posterius* membrum duo tradit, *destructionem* reliquorum Israelis et variam eorum jactantiam ac insultationem exulum. *Prius* his verbis; *et*, vel *at*, *universitas domus Israelis consummari*, vel consummando consummabitur. Interpretes longe aliter instituunt, referentes haec verba ad fratres et viros redemtionis prophetae, et vertentes, *omnis domus Israelis omnis illa*, vel quanta est; quod nullo modo ferri potest, 1. quia insolita et intolerabilis phrasis est, *tota domus tota*, 2. quia eo sensu phrasis a vero abhorret, cum de tota domo Israelis, quanta est, dici nequeat, eam esse servandam, 3. quia *domus* Israelis hic vers. 5., et supra c. IX: 9. ac alibi repraesentatur ut improba et destruenda. Vocabulum itaque כלה non est vox כל, sed infin. verbi כלה in pyh, dicitque *consummari*, et, quem usum saepe habet infinit. idem est, ac *consummabitur*; adeoque respicitur ad

inter-

interrogatum prophetae, an כלה consummationem facies cum residuo Israelis. Posset eo sensu legi כלה *consummatio*, uti vers. 13. et suppleri, *tota domus Israelis* erit *consummatio*, ad quod respondens dicit Deus, fratres et socios prophetae esse vindicandos, sed totam domum Israelis esse destruendam. Quod in rem unice quadrat. *Tota vero domus Israel* est tota exceptis fratribus modo memoratis, seu *residuis* non exscindendis, *tota* itaque reliqua domus Israel; tota illa inproba domus, supra memorata, in specie *Hierosolymitani*; quorum mentio mox expresse fit, ut generalem phrasin restringendam, vel praecipue adplicandam esse intelligeremus ad incolas Hierosolymae. Conf. Jer. XXIV. Confirmant nostram interpretationem antiquae versiones, Gr. et Syr. Sed aliam adjungam interpretationem, quam ferre possunt verba, qua *domus Israelis* ad socios Prophetae refertur et instaurandis adsociatur, adeo ut exules Israelitae, seu decem tribus, intelligantur, qui partem haberent in restitutione Judae, uti Jer. II. et alibi est praedictum. Nec obstat, quod omnes illi Israelitae non fuerint reducti in Cananaeam, sicut nec socii Prophetae, seu Judaei, cum omnibus fuerit reditus paratus, et animis fuerint adsociati reducibus. Quo admisso כלה *universitas* subjungitur, ut aeque Israelitae ac Judaei comprehendantur, adeoque כלה *universitas* ad omnia praecedentia referatur. Quae interpretatio structurae sermonis magis congruit, et *incolae* Hierosolymae soli erunt, qui omnibus exulibus insultarunt. Vid. c. XX: 40. Quae interpretatio nunc mihi maxime placet.

§. CXCIV. *Posterius* membrum exhibet insultationes superbas et vanas, de incredulitate et contemtu prophetiarum testantes, quibus Hierosolymitani lacerabant exules, tanquam a Jehova rejectos, his verbis: *quibus* (sociis tuis et Israeli) *dicunt* (sarcastice et irrisorie, simul jactanter, et superbe) *incolae Hierosolymae* (illi praecipue, sed simul reliqui in terra Cananaea adhuc relicti) *estote longinqui a cum Jehova* (h. e. maledicti sitis vos exules, et a communione Jehovae longe

ge remoti. qui in exilio manetis, nullam vos sortem habetis in haereditate Jehovae, nec ejus communione fruemini. Emphasin enim hanc habet vocula על non observatam. Vocula enim illa subinde intimam affert conjunctionem, cohaesionem et familiaritatem, unde מעל, ut hic, rescisso omni commercio. Vid. Schult. ad Prov. V: 8.) *nobis haec data est, terra haec in haereditariam possessionem*, (haec urbs et terra nobis est a Jehova adsignata, vobis exulibus reprobatis. Cum היא a *terra hac* sejungatur, et verbum נתנה interseratur, probabile mihi fit, pronomen היא digito monstrare Hierosolymam, cujus incolis haec verba in os dantur. Habet ceteroquin structura orationis quid impediti, ut facile cernitur.) Si legere liceret, הוא נתן *ipse dedit*, scilicet Jehova, modo memoratus; facilior foret sermo: היא pro הוא facile irrepsit, et ה in fin. verbi נתנה ex sequenti ה mansit.

§. CXCV. β. Sequitur propositionis deductio *a.* respectu redimendorum vers. 16—20. *b.* exscindendorum, vers. 21. *a.* In *priore* parte *tria* vel quatuor recensentur beneficia in exsules conferenda, opposite ad superiora improborum, in ipsos dicteria. 1. Primum est, quo in ipso exsilio gauderent, in eo situm, quod nec exsilium *diu* sit duraturum, nec exules a Deo, ejusque favore et cultu forent remoti; sed Deum experirentur, sicut in sanctuario Hierosolymis, praesentem et faventem, opposite ad dictum improborum, quo *a cum Deo* dicebantur exsules longe remoti. Hic sensus est, et scopus vers. 16. *Propterea dic* (ad dicta Hierosolymitanorum retundenda) sic *dixit Dominus Jehova, quia* (*quamvis*, ut saepe sumitur כי de quo ad Gen. IX. dixi) *elongaverim eos inter gentes, et quia* (*quamvis*) *disperserim eos per terras, et* (*attamen*) *ero ipsis sanctuarium* (loco sanctuarii, praestando ipsis per meam curam et gratiam eadem bona, quae praesente Templo consequerentur, ita ut me culturi sint et meo favore fruituri.) *brevi in terris, ad quas venerunt*, (pro brevi tempore, quo ibi futuri sunt: quod in

solatium eorum exulum, et improborum majorem proflitu-tionem additur; et mox explicatius traditur, ubi eorum reductio in Cananaeam promittitur. Deus itaque non tantum declarat, eos in exilio non esse communione Dei privandos, nec diu ibi versaturos, sed restituendos verbo insinuat; mox latius illud deducturus et expressius. Vox מעט itaque nec cum *sanctuario* cohaeret, nec ad paucitatem hominum respicit, uti Interpretes multi cogitant, sed de *tempore* sumenda est, quo duraret, quod Deus in exsilio ipsis *sanctuarium* foret. Concinit, quod Jes. LIV: 17. tempus illud per רגע *momentum* exprimatur)

§. CXCVI. 2. *Secundum* beneficium est, quod ab exilio liberarentur, et in patriam reducerentur, opposite ad dictum Hierosolymitanorum, *nobis data est terra* etc. his verbis comprehensum vers. 17. *Propterea dic* (ad alterum eorum dictum refutandum) *sic dixit Dominus Jehova, et* (pro utique profecto, vel *etiam, insuper*;) *congregabo vos e populis, et colligam vos e terris in quas dispersi estis, et dabo vobis terram Israelis*. Quae nihil habent obscuri. Exulum reductionem e Babylonico exsilio significari, clarius est, quam ut demonstrari necesse sit. Quare nihil addo. 3. *Tertium* est terrae purgatio ab omni idololatria per eos, qui in eam ad habitandum venerint vers. 18. *Et venient illuc, et omnes abominationes ejus ac pollutiones ejus ex ea removebunt* h. e. Insuper qui fixas in ea terra posuerint sedes, eam quoque ab omni idololatria ac inquinatione purgabunt, veramque religionem in ea stabilient: quod ultimum licet non expressum sit, phrasi tamen involutum est, ut facile cernitur. Significatur 1. exsules in Cananaeam redituros, si non omnes, utique multos; quare non additur, *omnes* venturos, sed simpliciter eos dispersos redituros. Supra dictum erat, *iis terram esse dandam*, hic insuper adfirmatur, eos esse intraturos terram; adeo ut omnibus quidem foret redeundi facultas, *terra ipsis data*, sed non omnes sedes ibi figerent; qui vero id facerent, illi purgarent terram; 2. quod mox

addi-

additur; tanquam singulare beneficium, quo terra ab omni impuritate et idololatria purgaretur, idque ab ipsis illis reducibus in signum eos fore Jehovae, ejusque cultus, studiosissimos. Inceperunt quidem hoc mox post reditum, sed non perfecerunt, nisi diu post, temporibus Maccabaicis, quando quaquaversum per totam terram idololatriam destruxerunt, et veram religionem propagarunt, etiam inter *Samaritanos* et *Idumaeos*: uti ex historia Maccab. constat.

§. CXCVII. 4. *Quartum* est, quod in unam societatem religiosam uniti sese dociles, et obsequiosos praestarent, ac statutorum Dei observatores, praeterea *renovarentur* in societatem spiritualem, adeo ut in emphasi Deus foret eorum Deus, et ipsi populus ejus vers. 19, 20. *Et dabo ipsis cor unum, et spiritum novum dabo in medio vestrum* (vel *eorum*, ut leg. בקרבהם, uti omnes versiones antiquae habent, convenienter omnibus reliquis partibus horum versuum; nec ratio est, quare propheta tam abrupte a tertia persona ad secundam transiret, et mox in *tertia* persona pergeret: sed nihil muto; cum in tota hac pericopa modo *tertia* modo *secunda* persona utatur,) *et removebo cor lapideum e carne ipsorum, et dabo ipsis cor carneum; ut in statutis meis incedant, et judicia mea observent ac faciant ea, et sint mihi in populum, et ego ipsis sim in Deum.* Quae verba duplicem videntur continere populi reformationem, *alteram* moralem et legalem, *alteram* spiritualem et euangelicam, secum connexam, ita ut posterior priorem sequeretur; quae utraque α. in genere proponitur, β. fusius et explicatius traditur: qua ratione verba recte distinguuntur, et ordinantur. α. *Propositio* his fit verbis, *et dabo ipsis cor unum, et spiritum novum dabo in medio ipsorum.* h. e. faciam ut *primum* uno et eodem corde in unam societatem religiosam sint secum uniti, non amplius, ut olim et nunc divisi, et inter Jehovam ac idola, et secum invicem; *dein* spiritu novo animati sint, et spiritualibus adfectionibus praediti; carnali et externa Oeconomia abolita. Prius per *cor unum* posterius per

 spiritum

spiritum novum videtur indicari. De *corde uno* vid. Jer. XXXII: 39. et ibi dicta; de *spiritu novo* Ez. XXXVI: 26, 27., et alibi in Script. *spiritus novus* est euangelicus et spirituali Oeconomiae inserviens, opposite ad legalem, sicut *cor unum* opposite ad idololatricum et refractarium, quo ante fuerant ducti, adeoque cor *carneum*, opposite ad *lapideum*, uti mox exponitur. LXX legerunt non אחד, sed אחר, cum verterint *καρδίαν ἑτέραν*; quod non est spernendum, cum mox per *carneum* opposite ad *lapideum* exponatur; illudque rectius conveniat loco parallelo c. XXXVI. ubi *cor novum* appellatur. Phrasis vero occurrit 1 Sam. X: 9.

§. CXCVIII. β. In deductione *a. cor unum* exponitur, *quale* sit, et effecta ejus traduntur, his verbis: *et removebo cor lapideum e carne ipsorum, et dabo ipsis cor carneum, ut in statutis meis ambulent, et judicia mea observent ac faciant.* h. e. *cor*, quod dixi ipsis a me dandum, unum illud et longe aliud, ac antea habuerunt, *cor*, inquam, illud erit *carneum*, opposite ad *lapideum*, adeoque non durum, refractarium, inflexile, nullo sensu peccati tactum, nulla monita recipiens, nec legem inscribi patiens, quale nunc habent, sed flexile, obsequiosum, et legibus meis inscribendis aptum, denique humanum, adfectuosum, et misericors, cujus effectus erit observantia meorum statutorum et judiciorum, seu legum, cujuscunque naturae sint. Nihil hic nobis relictum est notandum, nisi illud unum, populum talem fuisse factum vera sua emphasi temporibus Maccabaicis; eousque enim, licet post reditum melior fuerit factus, omni emphasi a corde lapideo non fuit liberatus, et *corde carneo* praeditus, ut ex Malachia, et historia liquet. *b. Spiritus novi* in medio populi regnantis notitia datur, cum subjungitur, *et erunt mihi populus, et ego ipsis Deus*. Quae praerogativa vera sua emphasi quoque comprehendit Oeconomiam euangelicam, uti alibi saepe est observatum. Quare plura non addo.

§. CXCIX. *b.* Posterior pars pericopae, propositionem

verf.

verſ. 15. explicantis, continet judicium in peccatores obſtinatos, et illuſores illos, ac ſuperbos Hieroſolymitanos verſ. 21. *Et*, vel *ſed*, *quorum cor incedit ſecundum cor abominationum ipſorum, et pollutionum ipſorum, viam ipſorum in caput ipſorum dabo, inſpiratum Domini Jehovae*. Quorum ſenſus quidem in facili eſt, ſed ſtructura orationis quid impediti habet, cum ſingularis ſit phraſis, *cor ambulat ad cor abominationum*. Vulgo ſtatuitur, ſignificari ambulationem cordis ſecundum deſiderium et lubitum idolorum, quod, voce *cordis* catachreſtice uſurpata, ferri poſſet, ut ſit oppoſitio *cordis* Dei, ſecundum quod pii dicuntur corde ambulare; inſolita tamen eſt phraſis, et paulo durior: quare Piſcat. non dubitat leg. eſſe pro אל לב ſimpliciter אלה, et poſt eam deficere אשר, ut vertatur: *ad illos vero* quod adtinet, quorum *cor* etc. ſed illa mutatio eſt nimia; potius ſi quid mutandum ſit, legerem vel cum Houbigant. כל, pro לב, ſed vocibus non tranſpoſitis; אל כל *ad omnes abominationes*; etc. occurrit etiam כל pro לב inter variantes lectiones: vel אל אליל לב *ad ſpeciem vanam cordis*, uti Jer. XIV: 14. haec enim vera eſt vocis אליל poteſtas; ut ad eum locum obſervavi; verſio itaque ita foret inſtituenda. *Sed quorum cor ambulaverit ad ſpeciem vanam cordis*, ſcilicet, *abominationes et pollutiones ſuas*; quae nihil ſunt praeter vanam et imaginariam ſpeciem cordis, a corde effictam: uti Jerob. 1 Reg. VIII. cultum novum ex corde *exſculpſiſſe* dicitur, falſi vates *ex corde ſuo* prophetare inf. c. XIII: 1. Ceterum reſpicitur *primo* quidem et directe ad Hieroſolymitanos, et Iſraelitas refractarios hujus temporis, cum *altera* pars deductionis ſit propoſitionis verſ. 15., ſed dein latius ſe extendi patitur ad ſequentium temporum ſimiles peccatores et foedifragos, uti temporis Maccabaici.

§. CC. Subjungitur tandem viſi ablatio, ejuſque modus, et prophetae ad terram exſilii tranſportatio, ſeu viſi totius ceſſatio, et ejus, inde orta, communicatio cum exulibus ad eorum inſtructionem et conſolationem, ut de excidio urbis

et populi, simul de sua instauratione certiores fierent, et ea ratione sorte sua praesente contenti forent, ac meliora tempora in fide et spe exspectarent. Quae summa est pericopae vers. 22—25., quae nihil habet, quod moram injicit. Tantum not. simpliciter significari totius visi cessationem; uti cap. III: 12, 13. nec aliud hic quaerendum esse mysterium, nisi forte aliquod sit in eo, quod propheta non viderit in coelum sustolli gloriam Dei cum Cherubis et rotis, sed in monte Oliveti, qui est ad ortum Hierosolymae, manere, quum visum disparuit. Quo expictum censeri possit, 1. gloriam Dei aliquando in eo monte vindicias populi sui esse facturam, uti Zach. XIV. repraesentatur. 2. inde vindiciis factis Templum intraturam, uti Ez. XLIII. habetur. 3. denique inde etiam aliquando *filium* Dei, gloriae Dei effulgescentiam, *coelum* esse adscensurum ad thronum in coelo, et nova Hierosolyma coelesti, collocandum: uti a Domino nostro novimus factum esse.

CAP. XII.

§. CCI. Quinta revelatio, eodem anno, incertum quo mense, facta, hoc cap. comprehensa, *quinque* diversas partes habet, totidem distinctis vicibus ipsi revelatas, perque formulam, *et factum est verbum Jehovae ad me*, divisas seu definitas. *Prima*, vers. 1—7. praemissa declaratione obstinatae ac refractariae indolis populi, etiam in exilio, exhibet mandatum Dei prophetae factum, quo jubetur personam euntis in exsilium praeferre, ejusque executionem, coram oculis exsulum, in quorum medio versabatur. Praemittitur, instar praefationis, explicatio perversae populi Israelis, in ipso quoque exilio, indolis, eo scopo, ut ratio daretur, quare Deus voluerit, ut propheta tam singularem habitum indueret, et insolita faceret; ut qui per superiora visa non fue-

faciant ad intelligentiam et meliorem mentem redacti, per insolitum hoc factum prophetae permoverentur ad sanius de suo et Hierosolymitanorum statu ferendum judicium, et sese ad Deum convertendum; saltem, si hoc non fieret, ut convincerentur de perversitate, tanquam causa inadvertentiae et incredulitatis ac inexcusabiles redderentur. Verba ita habent vers. 2. *Fili hominis! in medio domus refractariae tu habitas, quibus sunt oculi ad videndum, nec vident, aures ad audiendum, nec audiunt, quia domus refractaria ipsi* sunt. h. e. Licet Judaei, qui tecum sunt in exsilio, sufficientia habeant media, ad ea cognoscenda, et admittenda, quae ad eorum conversionem et consolationem faciunt, tam perversae tamen et obstinatae sunt indolis, ut oculos claudant, et aures obturent, nec intelligere nec obedire volentes; sed vel vana spe proximi reditus, et liberationis Hierosolymae se lactantes, et falsis vatibus aures praebentes, vel desperabundi se in peccatis obfirment. Quam ob causam, ut eorum incredulitatem et obstinationem expugnes, saltem eos inexcusabiles reddas, injungo tibi, ut calamitatis et exsilii Hierosolymitanorum portentum in persona tua facias, et in eorum oculos ingeras fatum Judaeorum in Cananaea. Quae paraphrasis cum sensum et scopum verborum in luce collocaverit, et phrases nihil obscuri habeant, nihil addere necesse habeo; Judaeorum exsulum vero hic lineas duci, licet aliqui ad eos in terrā Cananaea referant, clarius est, quam ut adstrui necesse habeat; quare passim adsumitur; loquitur enim Deus de iis, in *quorum medio* habitabat, et coram quorum oculis incederet, tanquam captivus et exsul; non in visione jam, ut antea, sed simpliciter et reapse.

§. CCII. Tria injunguntur prophetae quorum *duo* de die, *tertium* de nocte faceret, vers 3—6., quae cum ab Interpretibus minus recte percepta sint, paulo accuratius exponam. *a. Primum* est, ut medio die, sumto habitu captivi et exsulis, migraret e domo sua in alium locum; in signum exsilii, in quod Judaei e Cananaea et Hierosolymis abirent,

rent, ut poſtea videbimus, his verbis, verſ. 3. *Et*, vel *itaque*, *tu*, *fili hominis*, *fac tibi vaſa migrationis*, *et migrato interdiu coram oculis ipſorum*, *et migrabis* (*migrabis* inquam) *e loco tuo in alium locum ante oculos ipſorum*, *forte videbunt*, *quia* (quamvis) *domus refractaria ipſi*: h. e. ſume tibi habitum et veſtitum lugubrem, et miſerum, captivis et in exſilium abeuntibus proprium, et in alium locum remotiorem e domo tua migra, et quidem pleno die, coram omnium oculis. Interpretes de ſupellectilis convaſatione, de neceſſariis ad iter, vel et manſionem in exſilio, ſecum ſumendis, interpretantur; confundentes hoc factum cum ſeq., acſi ibi clarius exponeretur, quid vaſis collectis faceret. Sed hoc et ſeq. factum diverſum eſt, ut mox patebit, et hic nihil de ſupellectilis collectione habetur, ut putatur, ſed de habitu ſimpliciter migrantis in exilium, et abitu in illud tantum agitur, in ſignum exſilii, in quod tranſmigrarent ſuperſtites Hieroſolymorum et Cananaeae, uti exponitur verſ. 11. Phraſis, *vaſa migrationis*, non denotat inſtrumenta domus ſecum ſumenda ad ſubſiſtendum in itinere et exſilio, ſed habitum et veſtitum exſulantium, adeoque lacerum, lugubrem veſtitum, etiam peram forte et baculum: fere quemadmodum Jeſaias *nudus* et *diſcalceatus* ivit Jeſ. XX. Vox Hebr. כלים quaevis inſtrumenta, etiam veſtitum denotat; ſed per epitheta reſtringitur, ut *vaſa bellatoris* et *belli*, pro inſtrumentis bellicis, *vaſa paſtoris* pro baculo et pera paſtoris; ne alia memorem; ita *vaſa migrationis* pro inſtrumentis et veſtitu migrantium, et captivorum; uti Jer. XLVI: 19 *vaſa migrationis fac tibi*, *habitatrix filia AEgypti*. Quo etiam facit, quod dicatur, *fac tibi vaſa migrationis*, quod in ſupellectilis convaſationem non quadrat. Accedit, ſupellectilis et aliorum bonorum collectionem et comportationem non convenire in Judaeos deportandos, cum illa omnia ceſſerint hoſtibus.

§. CCIII. *Secundum* factum, prophetae injunctum, poſtquam ſuperius jam perfeciſſet, adeoque perſona illa depoſita,

ta, domum rediisset, sive eodem sive alio die faciendum, ad supellectilem domus ejus spectat, et habet, vasa ejus esse in publicum proferenda, et cujusque arbitrio relinquenda; instar vasorum in exsilium transportandorum, vers. 4. his verbis: *et produces vasa tua sicut vasa migrationis interdiu coram oculis ipsorum*, h. e. insuper supellectile tuum, et omnia tua bona in medium proferes coram omnium oculis, et ibi relinques tanquam deserta et alio transferenda, uti cum bonis exsulantium agi solet. Interpretes haec ad praecedens retulerunt, et acceperunt, acsi bona domus convasaret, in uno loco ante fores collocaret, mox secum sumenda in exsilium. Sed 1. anteà jussus erat *facere* sibi *vasa exsilii*, hic *vasa sua* producere jubetur. 2. modo jussus jam erat *exire* in alium locum, quod jam peregerat, hic jubetur *vasa* colligere: quae diversa sunt, et diverso tempore fieri debuerunt. 3. superflua foret vox *interdiu*, si de eadem re ageretur. 4. Praecipitur ipsi simpliciter *producere vasa sua* coram omnium oculis, nihil de iis secum sumendis; quod etiam postea non est ipsi injunctum, ut mox patebit. Est itaque hoc, quod hic memoratur, plane aliud et novum; et nihil aliud dicere videtur, ac bona publico exponere diripienda, vel derelinquenda, in signum bonorum ab hostibus rapiendorum, vel praedae cujusvis cessurorum. Quo etiam facit, quod *vasa* ejus comparantur cum *vasis migrationis*, cum dicitur, *proferes vasa tua sicut vasa migrationis*, quatenus in exsilium deportarentur, alio paulum sensu, quam supra; ibi enim erant ab exsule sumenda, adeoque habitum et adparatum exsulis denotabant, *hic* autem vasa domus producenda in publicum, *tanquam vasa migrationis*, adeoque transportationi destinata.

§. CCIV. *Tertium* denique factum est, quo de nocte se portandum traderet per parietem perfossum aufugiturum, oculis clausis, vers. 4—6. Ubi *a*. jubetur vespera parietem domus perfodere, et clam se educere habitu et modo in exsilium euntium, vers. 4, 5. his verbis: *et*, vel *sed*, *tu*

 (su-

(supellectile in publico exposito et misso facto) *exibis vespera coram oculis ipsorum, sicut egressus migrationis fieri solet*, (adeoque nudus vasa migrationis, seu habitum lacerum, et servilem, sumens et indutus) *coram ipsis perfode tibi parietem, ut educes te per illum* (quod dixi, te egressurum esse vespere coram ipsis, illud hac ratione a te peragi volo, ut vespere perfodias murum domus, et dein nocte per eum te educas, seu egrediaris. Verba vers. 5. *modum* declarant, quo egredi debeat; perfodiendo ante parietem, et sic clam exeundo. Verbum הוצאת in Hiph. reciprocam habet potestatem, seu ad se ipsum referri debet, ut idem sit, ac *se educere*, vel *exire*; uti omnes versiones antiquae habent, quae reddiderunt *egredieris*. Sed recentiores passim reddunt *educes* vel *exportabis*, sive suppellectilem ex vers. 4., ut communiter, sive etiam testes Judaeos adstantes, ut Jun. et et Trem., qui supplent *eos*; sed 1. illud adversatur vers. 4. ubi jubetur *exire* instar migrantium. 2. falsa nititur hypothesi, acsi *vasa sua* producta secum sumeret, et eo respiceretur: ut ex dictis liquet *Egredi facere*, *educere* simpliciter aliq. et absolute positum significat, *se* egredi facere, efferre; uti Gr. ἄγειν, προάγειν, pro ἄγειν ἑαυτὸν, *ire*, *tendere* aliquo, et Lat. *facere*, conferre, pro *se* facere, conferre aliquo. Vid. Reiske, in misc. nov. Lipſ. vol. VI. p. III. p. 509.

§ CCV. β. Hac ratione nocte egressus per murum perfossum caperetur a nonnullis, et supra humeros portaretur oculis plane obvelatis vers. 6. *coram ipsis super humerum portaberis nocte spissa, educes te, faciem tuam obvelabis, ne videas terram, quia portentum dedi te domui Israelis.* Quorum sensus est, prophetam, per parietem egressum, capiendum et humeris esse sustollendum ac portandum, eaque ratione spissa in caligine egressurum, oculis insuper velatis, ita ut nihil videre possit. Additur, haec omnia prophetae injuncta eo tendere, ut in sua persona statum et habitum praeferret Judaeorum Hierosolym. et in Cananaea, simili modo

modo in exsilium exiturorum, uti in seq. latius exponitur. Interpretes vulgo aliter instituunt, et prophetam non portatum, sed *portantem* describi putant, scilicet *sarcinulas*, supra memoratas. Sed LXX et Vulg. in pass. capiunt, quos sequuntur Pradus, a Lap., Sanctius et alii ex Pontificiis; idque sine dubio recte 1. enim nihil hic occurrit de onere, a propheta portando; *sarcinulae* autem male subintelliguntur, cum illae jam ante fuerint eductae, et abjectae, ut modo vidimus. 2. Quid emphasios habeat, quod propheta expresse dicatur *super humero* portaturus? plane non liquet. 3. Cum *oculis* obductis in spissa caligine repraesentetur exiturus; utique non pedibus incedere, sed portari debuerat. 4. Denique adplicatio portenti, ad Zedekiam excoecandum et abducendum vers. 12. manifeste exigit, prophetam hic non sisti pedibus ire, sed portari super humeris, instar captivi. Verbum itaque תשא hic exserit usum reciprocum; quo dicit, *efferre se*, pro efferri, portandum humero, uti modo et mox in הוצאת et הוציא: sic נשא et alibi sumitur, ut videre est apud Cocc. in Lex. in hac rad. num. VII. Praefert autem eum usum manifeste vers. 12. de quo mox.

§. CCVI. Subjungitur praecepti divini exsecutio respectu duorum posteriorum factorum, ipsi injunctorum, expresse, quia maxime erant mirabilia, vers. 7. *Et feci sic, quemadmodum jussus eram* (omnia itaque supra memorata; sed in specie *duo* ultima, quorum expressa fit mentio, verbis sequentibus) *vasa mea produxi sicut vasa migrationis interdiu*, (supellectile meum omne publico exposui, et missum feci de die) *et vesperi perfodi mihi murum manu mea* (ipse feci aperturam in pariete, ut clam evaderem, sive *manu* fortius immissa, quod in pariete sectio a forti viro fieri poterat, sive instrumento in manu) *spissa caligine eduxi me* (nocte obscura valde egressus sum) *super humero sustuli me coram oculis ipsorum* (arreptus et interceptus me portandum commisi, omnibus inspicientibus.) Posset etiam נשאתי ita punctari,

 ut

ut sit in Niph., sicut vers. 6. חשא pro תנשא, itidem in Niph.; sed opus non est. Ceterum quorsum hoc tam singulare factum spectet, mox exponitur.

§. CCVII. *Secunda* pars revelationis, quae *mane* sequentis diei ipsi contigit, responsum continet domui Israelis de ratione tam insoliti facti interrogaturae, quod futurum praesupponitur vers. 9. dandum, quo portenti istius traditur expositio, cum ipsis communicanda, vers. 10—16. In qua pericopa *a.* summaria traditur superiorum factorum *adplicatio* ad Zedekiam et incolas Hierosolymae vers. 10, 11. *Dic ipsis, sic dixit Dominus Jehova, princeps* est *gravis haec sententia prolata Hierosolymis, et tota domus Israel, in quorum medio ipsi sunt*, (h. e. factum meum, in complexu summum, seu facta mea coram oculis vestris conspectum habent gravis et onerosae prophetiae super principe et populo Hierosolymis. Quem sensum Interpretes jam viderunt, et illustrarunt, in primis *Pradus*, qui hic vid. nec aliquid habeo, quod addam, nisi 1. in genere tantum declarari, pertinere haec prophetae facta ad regem et Hierosolymitanos, et gravem prophetiam realem continere contra eos, 2. ultimas voces אשר המה בתוכם vertendas esse *in quorum medio illi*, sunt, h. e. in cujus medio ille est. Cum *domum Israelis* dixisset, recte uti potuit plur., *in quorum* sc. civium et incolarum medio; sed *principis* licet mentio fuerit facta in Sing., utitur tamen pronom. plur. המה *illi*, stylo curiae, quo de principe et rege in plur. nonnunquam fit sermo, ut cum אדנים adpellatur rex; Quod si displiceat, ante אשר ponendum ושרים *et principes*, quae vox per seq. אשר est absorpta. Dubium non est, quin המה ad principem vel ad Regem et Principes pertineat, uti ex vers. 12. patet, ubi diserte habetur, *in medio eorum esse*: quae phrasis quoque in principem recte quadrat, quatenus est in *medio populi*, tanquam ejus *ductor* et patronus, quem omnes *cingunt*, et respiciunt. *Solus* autem princeps, seu *rex* in specie intelligitur, cum ei soli conveniat, quod mox de ipso traditur, et

ab

ab eo reliqui et cives et duces distinguantur,) *dic* (repetitur illud emphasios ergo, et idem est, ac *dic*, *inquam*, audacter et palam, praeterea quia nunc sequitur ipsa explicatio factorum) *ego portentum vestrum, quemadmodum feci, sic fiet ipsis* (h. e. eo mea facta tendunt, ut vos in mea persona videatis fata regis et Hierosolymitanorum. Recte dixit *portentum vestrum, et sic fiet ipsis*, non *vobis*, quia sociis in exsilio portentum erat, sed portendebat fatum Hierosolymitanorum, regis et civium.)

§. CCVIII *β*. In specialiore expositione, quae sequitur vers. 11—14., *tria* sua facta distincte explicat, et ad Hierosolymitanos transfert. *a Primum* erat, quo exsulantis habitu sumto de die alio migravit, vers. 3. quod quid sibi velit, his verbis tradit vers. 11. *in migratione in captivitatem ibunt*, scilicet, ut in terris peregrinis instar captivorum, adeoque servi, degant: qui itaque superstites manerent malis, quibus reliqui absumerentur, uti vers. 16. clarius exponitur. De iis enim hic agi, ex eo manifestum est, quod *exsilium* iis tantum denuncietur, et propheta simpliciter sese migratorem gesserit, vers. 3.

§. CCIX. *b*. Subjungit propheta *tertii* sui facti expositionem, quam praemittit, quia praecipuam merebatur attentionem, cum ad *regem* in specie spectet: factum erat, quo aufugiens nocte fuerat prehensus, ac humeris impositus, oculis velatis, et ita abductus vers. 5, 6. Hujus explicationem tradit vers. 12, 13. *Et princeps, qui est in medio ipsorum, ad vel super humerum se efferet, spissa caligine, et exibit, murum perfodient, ut se educat per eum, faciem suam velabit; quod non visurus sit oculo ipse terram; et expandam rete meum super ipsum, et comprehendetur mea sagena, et transferam ipsum Babelem, terram Chaldaeorum, quam tamen non videbit, et ibi morietur.* Quibus verbis 1. rex sistitur eadem agens et patiens, quae propheta antea tanquam portentum fecerat, et passus erat vers. 12. dein 2. illud clarius exponitur, quid sibi velit, et qua ratione illud de rege sit intelli-

ligendum verſ. 13. Qua ratione verſus ſunt capiendi, et ſecum connectendi. Declarat itaque 1. Deus, prophetam in eo facto repraeſentaſſe Zedekiam regem, eumque in finem eadem de ipſo tradit, vel regem introducit idem facturum et paſſurum; iiſdem fere verbis repetitis, quae verſ. 5 et 6. exſtant: recenſeamus ea, et exponamus, ubi fuerit opus. *Et princeps, qui in medio ipſorum* (Zedekias rex, ductor et patronus populi, anima et ſpiritus ejus, uti Thren. IV: 20. adpellatur,) *ad vel ſuper humerum ſe efferet* (efferetur et portabitur, ut verſ. 6. habuimus) *in caligine, et exibit* (ipſa illa nocte, qua urbe egredietur) *parietem perfodient ad educendum ipſum per illum* (etenim noctu et clam per parietem aufugiet, ut ſe ſubducat, et hoſtium manibus eripiat) *faciem ſuam velabit, propterea quod ne videat ipſe terram*, (ſicut ego feci, ipſe faciet.) Turbat haud parum, vox לעין cum verti nequeat *oculo* ſuo, quod praef. ל non fert, et emphaſi caret; Graeca verſio aliis punctis legit יראה et addit in ſeq. membro יראה reddit, *ut non conſpiciatur ab oculo, nec ipſe intueatur terram*, ſed inſolita eſt phraſis, *conſpici* לעין *ad oculum*, et emphaſi caret vox עין addita, etiam hic locum reperire nequit, cum non ut a nemine conſpiceretur, facies obvelaretur, ſed ipſe non videret, uti verſ. 6. etiam habetur; adeoque vel vox לעין cenſeri debet, loco mota et verbo יכסה *obteget* ſubjungenda, ut ſit *faciem obteget ad oculum*, vel expungenda eſt, tanquam ex עין orta incuria librarii.

§. CCX. 2. Quae ut recte intelligantur, et qua ratione in Zedekia locum haberent, innoteſceret; ne quis exiſtimaret, haec omnia a Zedekia ipſo eſſe facienda, vel nihil aliud fuiſſe indicatum, quam regem confuſum, feſtinantem et deſperabundum urbe eſſe egreſſurum; ſubjunguntur haec verbis, illuſtrationis ergo, verſ. 13. *et*, vel *etenim*, *expandam rete meum ſuper ipſum, et comprehendetur ſagena mea, et transferam ipſum Babelem terram Chaldaeorum, nec eam videbit, et ibi morietur.* Quibus ſignificatur, ipſum a Chaldaeis improviſo eſſe in fuga, per ſingularem Dei directionem, capien-

plendum, excoecandum, et abducendum Babelem, ibique moriturum; uti facile cernitur. Sed, quod minus vulgatum est, eo tendunt haec verba, ut, quod de Zedekia modo dictum erat, explicaretur, adeoque, quod ipse modo repraesentatus erat facere, significaretur ipsi eventurum, et ab hostibus infligendum esse. Quod itaque dictum erat, *ipsum se super humerum* elevaturum et portandum esse, de adprehensione et abductione a Chaldaeis est intelligendum; *oculorum vero velatio* ab ipso facienda ad excoecationem violentam erit transferenda; cujus indicium est in eo etiam, quod diserte dicatur, *terram exsilii* non *visurus*. Atenim cum ipsi regi illa expresse tribuantur, et *perfossio parietis* quoque non ad hostes, sed Zedekiam et socios pertineat, *velatio* quoque faciei, et non *excoecatio* memoretur, forte rectius statuitur, Zedekiam illa ipsa esse facturum, sed in signum adprehensionis, abductionis et excoecationis ab hostibus: quorsum etiam tendebat, quod propheta, portenti instar, id fecerit, et sibi fieri passus sit. Qua ratione, et *litteraliter*, et *symbolice*, haec in Zedekia impleta fuerunt: quae quoque est Interpretum Pontificiorum, Pradi, a Lapide, et Sanctii, hypothesis; qui videantur. Zedekias itaque prae tristitia et pudore, fractus animo et corpore, a sociis est adsumtus et ablatus, ut citius aufugerent, ipse etiam *faciem velavit*, ut fecit David coram Absolomo ex urbe discedens; sed eo ipso portendit fatum suum, quo caperetur ab hostibus, deportaretur, et oculis privaretur. In quibus acquiesco.

§. CCXI. *c*. Redit propheta ad secundum suum factum, quo *vasa sua* in medium projecerat vers. 4., et quo illud collineaverit declarat vers. 14. his verbis. *Et quicquid circum ipsum* fuerit, *subsidium ejus*, *et omnia ejus agmina dispergam in omnem ventum*, *et gladium evacuabo post eos*. h. e. cuncta ejus vasa et instrumenta, quae in subsidium secum sumserat, omnes ejus turmas, quibus cinctus fuerat, in terras peregrinas quaquaversum dispergam, et homines mali

morte perire faciam. Vox עזר, cujus proprietas est in *copioso fluxu*, ut uberis, unde ad copiam subsidiorum inter alia transiit, refertur ad omnia illa, quae regi poterant esse usui, modo vox illa non ex sequente אזרה *dispergam* irrepserit. Quae conjectura ex eo firmatur, quod non עזרו sed עזרה legatur in textu, et, quid emphasios hic habeat *subsidium* ejus, vix adpareat, maxime cum vix de subsidiis capi posset vox *circum ipsum* rectius ad principes et satellites referatur; sicut *agmina* ad reliquas copias. אגפים vero denotat *agmina* tegentia, et claudentia, in unum coacta, uti ex Arab. lingua patet, in rad. נגף et נוף, sicut itaque propheta *vasa* et instrumenta sua in medium produxerat, dissipanda, ita regis subsidia et agmina disjicerentur, et quaquaversum deferrentur, homines perirent judicio Dei in terra peregrina. Quod etiam contigit Zedekiae agminibus et instrumentis: uti ex historia constat.

§. CCXII. *Duplex* consequens hujus fati, quod Zedekiae et Judaeis in Cananaea eveniret, subjungitur, *alterum* quod publice constaret, *Jehovam* esse, qui *eos dispersrit quaquaversum*, scilicet Deum veracem et justum, de quo hoc factum clare testabatur, vers. 15. *et cognoscent me esse Jehovam, quum diffregerim et disjecerim eos inter gentes, et quod dissipaverim eos in terris* h. e. experientur ea ratione per disjectionem et dissipationem suam me esse Jehovam, qui dictis fidem praestet, illudque *cognoscent* qualescunque populi, ad quorum notitiam pervenerit. *Alterum* est, paucos inter exsules superstites mansuros, quorum mentio fuerat facta vers. 11., qui illud reapse agnoscerent, et profiterentur, cum scelerum populi, tanquam causae, confessione, vers. 16. *Et relinquam ex iis viros numeri* (paucos facile numerandos) *a gladio fame et peste* (malis illis lethalibus ereptos et superstites) *ut enarrent omnia abominabilia eorum inter gentes, ad quas venerint* (qui populis illis palam exponant causam malorum in sceleribus populi quaerendam, et non in Deo, promissis non stante, aut potentia carente) *et cognoscent*

cent me esse Jehovam (cognoscent illud, meliora jam edocti, et conversi.)

§. CCXIII. *Tertia* pars revelationis, quae formulam, *et factum est verbum Jehovae ad me*, solennem, novae revelationis indicium, habet praemissam, continet novum mandatum, prophetae factum, cum ejus explicatione, vers. 18—20. Ubi *a.* occurrit mandatum vers. 18. *Fili hominis! panem tuum in concussione tremoris comedes, et aquas tuas in trepidatione ac fluctuatione horrida bibes* h. e. tenui admodum victu et potu sis contentus, teque in eo sumendo insuper ostendas corpore et animo concussum, trepidantem ac solicitudine anxia jactatum. Quae nihil habent difficilis. Verbum רעש proprie est, *tremuit*, motu exteriore concussus; nec multum abludit רגז, quod in nube murmurante et tonitrua volvente teri amat, et inter alia trepidationem vehementiorem animi, in querelas erumpentis, et se jactantis quaquaversum, denotat: דאג vero proprietatem habet τῦ *φρίσσειν* motu fluctuante *crispari*, *surrigi*, *et horrescere*, unde transiit ad jactationem et fluctuationem animi, mare horridum repraesentantis Jer. XLIX: 23. *β.* In mandato explicatorio jubetur propheta *a.* sermonem flectere ad *populum terrae*, seu multitudinem, et promiscuam turbam populi, non Gentilis, ut Coccej., sed Israelis in exsilio degentis cum propheta; nulla ratio enim est, quare *gentilibus* hoc diceretur, nec quare titulo *populi terrae* de iis uteretur, qui communem et promiscuum populum designat: accedit vers. 20. dici, inde *eos cognituros* Deum esse *Jehovam*; quod Israeli tantum convenit. *Populum terrae* designare communem et promiscuam turbam, satis constat. Vid. supra c. VII: 27. Jer. XLIV: 21. Hag. II: 4. et alibi. Jubetur vero ad populum *terrae* loqui, forte quod is sorte sua in exsilio minus contentus esset, et murmuraret, ad eum de longe deteriore sorte Judaeorum in Cananaea informandum, eaque ratione ad meliorem mentem redigendum.

§. CCXIV. *b.* Sed quid loqueretur ad populum terrae? mise-

miserabilem sortem Cananaeorum et Hierosolymitanorum post destructam terram sese hoc facto suo expingere declararet, ideoque eos in ea terra superstites vix habituros, unde vivant, et continuo metu, anxia solicitudine, et tremore adfectos insuper ibi versaturos esse, aut alibi terrarum, ubicunque fuerint, his verbis vers. 19, 20. *Sic dixit Dominus Jehova de incolis Hierosolymae* (sic enim verti debet ל et non *ad* eos, cum non ad eos sermo dirigatur, sed de iis fiat in tertia persona, quod jam est observatum) *de terra Israelis* (אל hic recte pro *de* sumitur, ut alibi. Vid. Gejer. ad Ps. II: 7. et Nold. de *partic.* uti modo ל., de utriusque enim et populi Hierof., et terrae Israelis adflicto statu hic agitur, et mox utriusque distincta fit mentio. Posset quoque אל punctari אַל *al*, *non*, vel *nihil* est terra Israelis, quippe desolata; adeo ut ad victum nihil, vel parum, proferre queat, ut in seq. traditur; Vocula אל et alibi ita sumitur, ut notum est, et אַל *al* in אֵל *el* est mutatum, ut Jer. XLVIII: 1. et L: 29.) *panem suum horrida fluctuatione comedent*, *et aquas suas adtonita obstupefactione bibent* (tenuissimo victu et potu vitam sustentabunt inter multas anxietates, trepidationes, et in adtonitae mentis horrorem defixi, *partim* malis, quae patiuntur, obstupefacti, *partim* penuria et hostium infestationis continuo metu trepidantes; quorum typum hic gessit propheta) *propterea quod vastabitur terra ejus* (scilicet Hierosolymae, quae ejus est metropolis) *a plenitudine sua* (seu omni plenitudine spoliata, et orba, omnibus frugibus et fructibus, ac jumentis, et aliis vitae subsidiis ac commoditatibus. Particula מ ex מן *a*, *ex*, hic, ut saepe alibi, privationem denotat: uti constat,) *prae cruditate omnium incolarum ejus* (propter crudam, saevam, et incorrigibilem populi indolem, et agendi rationem, injustitiae et violentiae plenam, ad eam vindicandam et puniendam) *et urbes habitatae desolabuntur*, *et terra sideratio erit* (tota terra erit pura puta vastitas, sine urbibus, sine cultura, instar deserti, vel terrae uredine vastatae ac sideratae; quod est proprie שממה; ut saepe observavimus.) §. CCXV.

§. CCXV. Quaeritur, quo in statu incolae Hierosolymae et terrae Cananaeae hic repraesententur? Communis habet hypothesis, agi hic de obsidione Hierosolymae, et miserabili civium conditione, plena penuriae et tremoris, dum ea durabat; quia conferendum censent emblema cum cap. IV: 16, 17. Sed obstat, praeter alia, quod status iste hic non repetatur ab *obsidione*, uti cap IV., verum *desolatione* terrae, quam sequeretur, uti ex particula למען, *propterea quod desolabitur terra*, manifestum est. Interpretes in hac vocula secundum hanc hypothesin explicanda valde laborant, sed nihil, quod sufficit, proferunt. Nos itaque referimus ad statum Hierosolymitanorum et incolarum Cananaeae, qui superstites forent desolationi urbis et terrae, sive ibi degerent, sive alibi terrarum; quorum vita foret solicitudinis et pavoris horridi plena; ita ut *panem* suum in tremore et *aquam* in *horrenda* trepidatione sumerent; sive prae penuria, sive prae hostium infestationibus, quibus obnoxii forent: uti praedictum est a Mose Deut. XXVIII: 37, 84, 65. Jer. XXIV: 9, 10. XXXIV: 17. et alibi. Pertinet itaque emblema ad Judaeos in terra Cananaea adhuc degentes, quorum sicut destructio supra erat expicta per prophetae facta, ita nunc miserabilis eorum conditio, qui superstites forent, terra plane desolata, ob oculos ponitur, sive in terra manserint, sive alibi terrarum fuerint; opposite ad longe meliorem statum exsulum, qui cum propheta versabantur in exsilio. Quod discrimen etiam Jer. XXIV. exhibetur et alibi. Hac ratione cuncta recte fluunt, et superiori emblemati apte subjunguntur.

§ CCXVI. *Quarta* pars revelationis eo tendit, ut prophetiam de excidio Hierosolymae quantocyus esse implendam inculcaretur exsulibus, qui, spe duraturae prosperitatis Hierosolymae se lactantes, similes prophetias pro vanis habebant, et inde proverbium formaverant, eas perituras esse; quod longum tempus sine implemento fluebat. Declarat itaque Deus, illud proverbium cessaturum, et ei longe aliud,

et contrarium esse substituendum, quia falsorum prophetarum blandientes visiones prostituerentur et abolerentur, et verbum prophetiarum Dei mox impleretur. Quae summa est pericopae vers. 21—25. Ubi a. cum indignatione exhibetur proverbiale dictum inter ipsos exsules adhuc vigens, respectu terrae Israelis, in contemtum verarum prophetiarum contra eam terram, tanquam quae diuturnitate temporis, quo non implebantur, sponte corruerent, et falsitatis convincerentur, vers. 22. *Fili hominis! quid hoc est dicterium vestrum, super terra Israelis?* (quam vanum est et injuriosum dicterium, quod inter vos adhuc obtinet, respectu terrae Israelis; desistite in posterum eo uti, ne amplius vigeat inter vos. Vocula מה, et על־מה, למה *quare*, duplicem vim exserit, et indignitatem rei arguentis, et dehortantis. Vid. Cl. Schroeder ad Ps. X: 13 Ceterum, cum prophetam adlocutus dicat Deus, quid vel *quare vobis* hoc dicterium? inter socios *exsilii* prophetae quidem hoc locum adhuc tenere indicat, sed prophetae et piis non imputat; ut facile cernitur. Posset quoque pro לכם *vobis* legi להם *ipsis*; uti mox vers. 23. propheta jubetur loqui אליהם *ad ipsos*. Ex quo liquet, fuisse populum in exsilio adhuc maximam partem incredulum, et prophetarum interminatorias conciones, tanquam visiones imaginarias, contemsisse; adeoque de Hierosolymae et Cananaeae durabili statu bene sperasse.) *dicendo, producentur dies, et peribit omnis visio* (h. e. sicut diu jam duravit, quo interminatoriae illae visiones prophetarum factae sunt, et implemento caruerunt; ita durabit in posterum, donec illae plane prostituantur, et nunquam implendas esse adpareat. Hunc existimaverim esse dicterii sensum, et scopum, ab omnibus non recte perceptum. Non enim simpliciter volunt, visiones ad longum tempus futurum spectare; quod deinceps nova revelatione refutatur vers. 26—28, sed dies in longum duraturos, quibus visiones implemento careant, sicut jam diu duraverant; unde concludebant increduli, et prophetarum contemtores, quales hic re-

praesen-

praesentantur, *vanam esse omnem* visionem, nunquam effectum habituram. Quod autem addidi, *jam longum fluxisse tempus*, quo non impletae sint visiones, illud ex ipso proverbio jam vigente facile colligitur, cum illud pro hypothesi habeat, et inde natum sit; longus enim usus proverbia producere solet. Fut. itaque *prolongabuntur dies* comprehendit praet. et fut., dicitque: fuerunt jam et erunt longi dies scilicet, quibus *visio* caruit effectu; quod mente intelligendum est; uti facile cernitur: *ergo*, quae eorum conclusio erat ex longinquitate illa ducta, *peribit omnis visio* h. e. nunquam effectum habebit. Intelligunt autem *visionem* omnem, non qualemcunque, sed duram illam et interminatoriam prophetarum Jehovae, de calamitatibus et excidio Hierosolymae, et terrae Israelis: uti ex ipsa pericopa facile patet.)

§. CCXVII β. In refutatione hujus dicti, quae materiam hujus partis revelationis constituit, *a*. Deus rejicit illud, vel cessaturum declarat, et novum, ac verius dictum illi substituit, vel locum in posterum habiturum esse praenunciat vers. 23. *Propterea dic ipsis; sic dixit Dominus Jehova, cessare faciam hoc dicterium, nec dicent amplius illud in Israele, sed da ipsis hoc dictum: adpropinquarunt dies, et verbum omnis visionis* implebitur, h. e. loco proverbialis eorum dicti, quo hucusque usi sunt, quod abolebo inter eos, ita ut non amplius sint adhibituri, longe aliud ipsis in ore dandum esse declara, hoc nimirum: *prope adsunt dies*, quibus visiones illae implebuntur, adeoque verbum *omnis visionis* effectum habebit. Ultimae voces, *adpropinquarunt dies, et verbum omnis visionis* (scilicet *implebitur*, quod subintelligendum est, uti ex re ipsa, et seq. vers. 25. clare fatis elucescit,) continent oppositum dictum proverbiale; superiori substituendum; et eodem modo sunt exponendae, sensu contrario; adeoque *prolongabuntur dies et adpropinquarunt*, nec non *peribit omnis visio, et verbum omnis visionis fiet*, sibi sunt opposita, et ex eo principio exponenda. Sensus igitur est,

eos dicturos esse in posterum, *propinqui sunt dies*, quibus visiones illae interminatoriae verorum prophetarum veritatem habebunt, et inde conclusuros ad omnes visiones reliquas, *eas effectu non carituras*, opposite ad illud, *peribit omnis visio*. Hoc longe verius proverbium Deus declarat, inter eos locum habere debere, cum prophetae injungit, ut *dicat ipsis*, *adpropinquarunt dies* etc. Quae phrasis, *sed dic ipsis*, divitem hic habet sensum, quo denotat, praescribe ipsis, et da ipsis *dicendum*, seu *dic ipsis hoc dictum* proverbiale.

§. CCXVIII. *b*. Novi hujus dicti usum in Israele futurum ex eo confirmat Deus, quod falsae et blandientes visiones falsorum vatum locum non amplius sint in posterum habiturae inter Israelitas; *cum* quod calamitatibus praesentibus populus amplius spe liberationis laetari non possit, *tum* quod falsi vates, qui omnia prospera promiserant, prostituti per contrarium eventum, omnem fidem perderent, adeoque non amplius tueri possent injuriosum illud dictum, *prolongabuntur dies*, *et peribit omnis visio*: erant autem falsi illi vates praecipui autores ejus dicterii; quibus itaque prostitutis, *dicterium* stare amplius non posset. Hunc existimaverim esse sensum et scopum vers. 24. *Quia non erit amplius omnis visio* (ulla visio) *vana et mendax*, *nec divinatio blandiens in medio Israelis* h. e. novum et verius illud dictum, quod tibi injunxi praescribendum populo, loco falsi et injuriosi dicterii, quod nunc viget, vere obtinebit in posterum, quia falsae et blandientes falsorum vatum visiones vel *non*, vel *nihili* amplius erunt in medio Israelis, adeoque injuriosum illud dicterium ab ipsis ortum, et per ipsorum falsa vaticinia defensum, cessare debebit, et verorum prophetarum visiones, quippe jam ex parte impletae, autoritate pollebunt, et fidem invenient apud Israelitas. Pro חלק, ut illud ante omnia observem, legit edit. Gersoniana חליל in Bibl. Hagana Barkei F. c. I. p. 231. occurrit quoque inter variantes lectiones; nec ab hoc loco abhorret: dicit enim divinatio-

nem

nem cessaturam esse. Phrasis, *non erit amplius visio vana* etc. duplicem admittit sensum, quo dicit, *non existet*, aut *nihili* fiet, לא enim saepe dicit *nihili*, nullius ponderis, et aestimationis esse. Utrumque admitti potest, ut sensus sit, non existet, vel, si sit, non aestimabitur. Quod post Hierosolymam destructam, et maxime exilium Babyl. veritatem habuit. Conf. Mich. III: 6, 7. Zach. X: 2. XIII: 2. et alibi: de quo mox c. XIII. ex professo agitur. Sunt qui de veris prophetis et visionibus nostrum versum capiunt, acsi sensus esset, nullas in posterum fore visiones, quae implementum non sint consecuturae. Sed obstat 1. vocula עוד *adhuc*, quae pro hypothesi solet habere *antea* fuisse visionem vanam; negat quidem Sanctius illud semper obtinere; sed sufficit *plerumque*, seu *passim* id fieri, et hic omnino, ut vers. 23, et 28. etc. 2. Epitheton *vanitatis* et *mendacii* non competit veris visionibus propheticis; ita ut *visiones falsitatis* adpellari possint, non enim dicitur, *non erit visio falsitas*, sed *non erit visio falsitatis* seu *falsa*. 3. Vox מקסם nunquam de vera, sed semper falsa, vel superstitiosa, revelatione sumitur; quemadmodum mox cap. XIII. 4. denique epitheton חלק alienum est a vera revelatione, et unice falsae competit, cum *blandientem* et *decipientem*, vel *lubricam* ambiguam et fallacem, prophetiam denotat. 5. Tandem parum ad rem faceret hic versus, si diceret, non fore fallacem, et implemento destitutam, visionem in Israele; seu implendam esse omnem visionem; cum illud versu praeced. et seq. adfirmatum sit, et hic superfluum plane foret. Posset alia ratione ad veras Prophetae visiones referri, ut sensus statuatur, proverbiale illud Judaeorum dictum, modo memoratum, *non* amplius locum habiturum, aut nihil rationis aut utilitatis futurum. Phrasis, *non amplius erit*, ergo hunc fundet sensum, nullus locus, nulla occasio erit, dicendi omnem visionem verorum prophetarum esse *vanitatem* aut divinationem lubricam; nullius utilitatis illud dictum erit in posterum; cum implementum adsit. *Non erit* itaque

 est,

est, non erit amplius dictum illud proverbiale inter Israelitas, nulla ejus occasio, nulla utilitas, nullum effectum habebit; dictum nimirum illud, *omnis visio* est *vanitas*, *est divinatio lubrica*, et deceptrix, quae voces ultimae, aeque ac *vanitas*, ad visiones propheticas prostituendas pertinebunt. Haec forte vera est interpretatio.

§. CCXIX. *c.* Veritatem novi hujus dicti proverbialis, et veteris cessationem, confirmat Deus, et respectu visionis, a se profectae, implementi in genere, et respectu praesentis temporis in specie, quod utrumque *dicto* illo erat comprehensum, ut modo vidimus. Verba haec sunt vers. 25. *Quum ego Jehova loquar, verbum, quod ego loquar, etiam fiet; non protrahetur amplius, quia diebus vestris, o domus rebellionis, quod loquar verbum etiam faciam illud, inspiratum Domini Jehovae.* h. e. dictum, quod vestro injurioso dicto substituendum declaravi, verissimum est; *cum* respectu omnis mei verbi, certo implendi, *tum* respectu implementi hoc ipso tempore futuri; quando enim ego Jehova aliquid fuero locutus, illud certo fiet, et, quod nunc locutus sum de excidio Hierosolymae, illud hoc ipso tempore, vobis videntibus, veritatem habebit, ad vestram quoque pudefactionem, ô domus rebellis. Duo itaque Deus hic adfirmat, *alterum* generale, *alterum* speciale; pro duplice parte dicti proverbialis et *veteris*, populo in usu, et *novi* nunc locum habituri, *prius* est, omne verbum Dei esse implendum, *posterius*, illud, quod nunc est prolatum de Hierosolymae excidio, mox esse executioni mandandum. *Prius* his verbis, *quum ego Jehova loquar, dictum, quod loquar, etiam*, vel *profecto fiet*, sic enim voces vertendae sunt, et intelligendae, quod non observatum, orationem reddidit impeditam, ut ex Interpretibus liquet. Vocula כי hic omnino denotat, non *quia*, ut accipi solet, sed *quum*, *quando*, ut sensus sit generalis de omni dicto Dei implendo; et ו in ויעשה dicit *etiam*, *profecto*, *certe*, *certius:* uti saepe alias. Respicitur ad partem dicti proverbialis, modo memorati, *peribit omnis visio, et verbum*

omnis

omnis visionis fiet: *prius* refutatur, et *posterius* adfirmatur. Ad alteram vero partem dicti, *prolongabuntur dies*, uti increduli dicebant, et *adpropinquarunt* dies, ut novum proverbium habet, respiciunt haec verba, quae sequuntur, *non protrahetur amplius*, (scilicet res a me praedicta, verbum enim foemin. תמשך non ad *verbum*, sed *rem* ejus refertur) *quia diebus vestris*, *ô domus rebellionis*, *loquar dictum*, *etiam faciam illud*. h. e. mox implementum ei praestabo, vobis viventibus et videntibus. Quae nunc nihil obscuri habent.

§. CCXX. *Quinta* pars revelationis continet refutationem praejudicatae Israelitarum opinionis falsae, de prophetiis Ezechielis ad tempus, diu post futurum, spectantibus, adeoque non mox, sed longe post demum, implendis, nihil itaque in praesentia esse metuendum, cujus contrarium hic adserit Deus. Quo tendit pericopa vers. 26—28. quae, post solennem formulam, *et factum est verbum Jehovae ad me*, novae revelationis indicium, *α*. praejudicatam opinionem Judaeorum de prophetiis Ezechielis in specie exhibet, vers. 27. *Fili hominis! ecce domum Israelis dicentes*: *visio*, *quam iste* (Ezechiel) *videt ad*, seu *post*, *multos dies* erit, *et de temporibus longinquis ipse prophetat*. h. e. verae quidem sunt visiones et prophetiae Ezechielis, sed ad nostra et nobis proxima tempora non spectant, verum post multos dies demum implebuntur, cum ipse de longe remotis temporibus vaticinetur, nihil itaque Hierosolymae aut nobis nunc timendum est. Nihil hic difficilis; tantum not. voculam ל hic duplicem exserere usum, quo et *post*, et *de* denotat, quem utrumque frequenter habet. Vid. Nold. in phrasi לימים dicit *post*, sed in לעתים *de*; ut in versione expressi, posterius vero enunciatum additum est ad prius explicandum. Qua ratione oratio recte fluit. *β*. *Refutatio* praejudicii his verbis continetur vers. 28. *Praeterea dic ipsis*, *sic dixit Dominus Jehova*, *non protrahetur amplius* tempus *omnium verborum meorum*, *quod loquar verbum*, *et*, vel *tunc*, *fiet inspiratum Domini Jehovae*. h. e. falsum est, et experiemini, quod

quod opinamini de tempore longinquo prophetiarum Ezechielis, *non protrahetur tempus verborum meorum omnium*, quia verbum, quod loquar, mox fiet. Retineri potest usus vocis כל, quo *omne* dicit, ut sensus sit, nonnulla quidem, sed non omnia verba esse in longum tempus differenda, quod falsae opinioni sufficit refutandae, in verbo תמשך recte suppletur, ut Pisc. jam vidit, עת *tempus* ex praeced., quae ellipsis facilior est ob concurrentiam similis fere voculae עוד. Quod vero Deus de *omni* verbo suo negat, illud mox adplicat ad *verba* nunc per Ezechielem prolata, quae dicit mox implenda esse; quo spectant voces; *quod loquar verbum* (scilicet nunc per Ezechielem,) *et fiet* h. e. tunc fiet, quum eloquar. Hanc enim emphasin habet particula ו in ויעשה, quae aliquando est nota temporis, etiam praesentis, uti Belgarum *daar*, *zo*. Sic 1 Sam. II: 15. ובא *daar quam de jonge*. Vid. et Eccles. IX: 16. Ps. LXXVIII: 21. et alibi. LXX eundem in sensum verterunt, *quae igitur* verba *loquar*, *loquar*, *et faciam* non male, si verbum אדבר ante ויעשה mente repetatur, *quod loquar verbum*, *loquar et fiet* h. e. dictum *factum*, loquar et mox fiet, sic et vers. 25. *loquar verbum*, *et faciam illud*.

CAP. XIII.

§. CCXXI. Sexta revelatio, eodem anno facta, directa est contra pseudo-prophetas, et viros et foeminas, quibus fraudes et aliae pravae qualitates, ad populum falsis revelationibus decipiendum, et in perniciem detrudendum, imputantur, et judicium Dei, quo prostituerentur, et e medio tollerentur, denunciatur, eo scopo, ut populus in exsilio ab iis absterreatur, et sibi caveat. Quales in terra Cananaea hoc tempore non tantum erant, contra quos insurrexit simili modo Jeremias cap. XXIII., sed et inter exsules, quos vana

vana spe subitae restitutionis, et liberationis Hierosolymae ab infestationibus Chaldaeorum, alebant; uti liquet inter alia ex Jer. XXIX: 8. Et hi praecipue sunt, quos hic perstringit Ezech., occasione ex superiore pericopa c. XII: 21. etc. captata, ad cujus ulteriorem illustrationem et confirmationem hoc cap. tendit. Duae autem sunt ejus partes, ut facile cernitur, quarum *prior* ad viros, vers. 2—16. *posterior* ad foeminas vates vers. 17—23. directa est.

§. CCXXII. In *priore* parte, post praefationem, qua jubetur contra falsos vates Israelis prophetare vers. 1., quae nihil habet obscuri, tantum notetur, nomen posterius לנביאי in statu constructo supplendum esse ex priore, ubi *prophetae Israelis* adpellantur: plena oratio foret *dicas ad prophetas Israelis ex corde sua*. א. generalis descriptio vatum illorum occurrit vers. 3—7. ב. *judicium* in eos exponitur vers. 8—16. א. Generalis descriptio *a.* eos, tanquam falso praetendentes missionem et revelationem divinam, repraesentat vers. 3. *Sic dixit Dominus Jehova! vae prophetis stultis illis, qui ambulant post spiritum suum, et nihil viderunt.* Adpellantur *stulti*, נבלים proprie *marcidi*, omni succo vitali destituti, inde *stulti*, bona mente carentes, et recta ratione, nec qualescunque, sed *flagitiose* stulti, quibus nequitia adhaeret, Ps. XIV: 1. LXXIV: 18. et alibi. Proprietas enim in *marcescendo* est sita, ut recte Cocc.; adeoque hoc titulo indicatur, eos nihil verae consolationis, nihil solidi habere, stultos esse et viros nequam, qui sua culpa se decipi patiantur fictis revelationibus, vel data opera contra conscientiam fingunt revelationes, et aliis flagitiose imponunt. Quare additur, *eos ambulare post spiritum suum*, non Dei, sed proprium; vel imaginationem, vel mendacem suum animum et flatum; *nec videre quicquam* scilicet eorum, quae venditabant, nihilque esse, quod vident, vel videre se jactant.

§. CCXXIII. *β.* Altera qualitas pessima eorum est, quod suis in latibulis se teneant; tempore periculi, nec in publicum prodeant ad illud avertendum, in eo *vulpibus* similes;

les; in cavernis effossis latitantibus, longeque dissimiles strenuis periculorum et malorum propulsatoribus, quales veri prophetae sunt, monitis et precibus suis periculum conantes avertere. Hunc existimaverim verum sensum et scopum esse vers. 4, 5. *Sicut vulpes in fissis cavernis prophetae tui sunt, o Israel; non adscenditis in rupturas, nec obsepitis sepem super domo Israelis ad standum in bello, die Jehovae.* h. e. sicut falsi vestri vates sese vulpes praestant in vobis decipiendis et defraudandis, nil nisi lucrum adpetentes, ita sese in eo *vulpes* quoque praebent, quod tempore periculi sese subducant, et in latibulis teneant, populi salutem susque deque habentes; tantum abest, ut, quod verorum est prophetarum, monitis suis apud populum, et precibus apud Deum, ruinam, per judicium Dei imminentem, averterent, instar strenuorum militum vel ducum, qui in rupturis pedem figunt, ad hostes oppugnantes repellendos, et populum, instar septi, tutum reddunt. Mira hic est orationis variatio, cum mox ad Israelem vertatur, mox ad ipsos vates falsos, elegantiae et emphasios ergo. Duplex hic occurrit similitudo, altera a *vulpibus* in cavernis excisis, altera a propugnatoribus, qui hostes urbem oppugnantes, ac murum perrumpentes repellunt, desumta, quae ita falsis vatibus adplicatur, ut *prior* ipsis conveniat, *posterior* ab ipsis aliena sit; adeoque eo tendit, ut exponatur, eos in periculis suis praeveniendis esse astutos et adtentos, sed in populi malis averruncandis negligentes; longe aliter ac veri prophetae facere solent, qui suae salutis negligentes, sese strenuos praestant in populo servando ac tutando.

§. CCXXIV. Comparantur itaque falsi vates *cum vulpibus in fissuris*, seu locis perruptis ac varie scissis, in quibus, tanquam *lustris* suis, metu luporum, aliarumque ferarum et hominum, ne capiantur, et dilacerentur, latitant. Quo nos omnino ducit phrasis, *vulpes in rupturis* vel *scissuris*, sive foveis, cavernis, variis foraminibus scissis, quae solent vulpium esse lustra: uti notum est. Vid. Boch. H. p. I. l. III. c. 13.

Quae

Quae hic חרבות vocantur, non *deserta* et *vastata* loca, sed scissa, fissa, et varie perforata; variis *ostiis*, diversis *cuniculis* praedita; ut Oppian. et alii describunt apud Boch. l. c. Radix חרב originem habet in *fissione* et *laceratione*, unde *vastationis*, *siccitatis* etc. orti sunt usus. Etsi itaque non negaverim *vulpium* emblema simul indicare *fraudulentiam* et *rapacitatem* falsorum vatum, Mich. III: 5. Ez. XIII: 19. et alib., ob quam causam propheta hoc in specie elegit emblema; attamen proprie et directe intendi autumaverim astutiam eorum in vitandis periculis suis, tempore calamitatis, populi salute susque deque habita; ad indicandum, eos publicam salutem pensi non habere, et se, cum ingruerit calamitas, quam facile astuti illi homines praevidebant, subducturos esse periculis, instar vulpium in latibulis se tenentium. Interpretes passim aliter instituunt, et aliena etiam sectantur.

§. CCXXV. Alterum emblema desumtum est ab iis, qui vel ipsi stant in ruptis obicibus aut muris, vel sepimento cingunt hortum ac vineam, contra ferarum, et hostium invasiones, ad eas avertendas, et populum tutum ac securum reddendum, quod verorum prophetarum erat officium, sed cujus simile nihil praestabant falsi vates, tempore judicii Divini in populum ingruentis; quatenus nec populum de excidio imminente admonebant, nec ad preces et resipiscentiam excitabant, nec ipsi sese Deo praesto sistebant, ad precandum pro populo; uti fecerunt Moses et Pinehas Ps. CVI: 23, 30. et *Jeremias* saepe; Deus etiam tales quaesivit, sed non invenit inter eos, infra c. XXII: 30. ubi eadem emblemata occurrunt; et unde noster locus facile illustratur. Interpretes etiam passim recte perceperunt, et exposuerunt, adeo ut plura non necesse habeam addere. Tantum notetur, *duo* memorari, quorum neutrum fecerant, *alterum* est, *adscendere in rupturas*, et *stare in bello die Jehovae*, seu judicii Dei executioni jam mandari incipientis, per Chaldaeos, urbem obsidentes, haec enim jungenda sunt,

ut ex locis citatis liquet, *alterum* est, *septo cingere populum*, instar vineae aut gregis, ne perrumpatur; quod aeque neglexerant ac prius; vocula enim לא ex praeced. repetenda est, per ellipsin omissa.

§. CCXXVI. *γ*. Subjungitur convictio falsorum vatum, tanquam talium, ex eo, quod nec missionem nec revelationem a Deo acceperint, nec verbum suum praestare possint, sermone partim in tertia, partim secunda persona, ad ipsos prolato, vers. 6, 7. *Vident vanum, et divinationem mendacem, qui dicunt, inspiratum Jehovae, quos non misit Jehova, quique obhaerescunt in luto ad stabiliendum verbum; nonne visionem vanam videtis, et divinationem mendacem eloquimini, scilicet dicentes, inspiratum Jehovae, nec ego locutus sum.* Ad quorum sensum explicandum, cum de *scopo* jam dixerim, *duo* tantum nobis relicta sunt observanda, quorum *prius* est, ultimum membrum, quod Interpretes expedire non potuerunt, vers. 6. quia ad interiorem vim verbi יחל et חיל non penetrarunt, vertendum esse, ut feci, *et obhaerescunt in luto ad stabiliendum verbum*, et hunc fundere sensum: eos verbum, quod proferunt, non posse demonstrare esse verum, nec valere ejus implementum praestare; hac parte eos ad incitas esse redactos, nec se extricare posse. Radix proprie dicit *volvere*, *volvi*, in luto haerere et luctari ἰλύειν Gr., unde ἰλὺς *lutum*; hinc *obhaerescere in luto*, pro ad incitas esse redactum, nec exitum reperire; uti Ez. XIX: 5. 2 Sam. XVIII: 14. De propria notione vid. Schult. ad Prov. XXXI: 29. *Posterius* est, ו in ואמרים redundare cum emphasi explicationis, *scilicet*, *nimirum*, ut saepe alias.

§. CCXXVII. ב. *Judicii* Divini denunciatio *duobus* constat articulis, vers. 8—16. *Prior* in poenam fictarum ab ipsis visionum continet deletionem ipsorum e societate populi Dei et terrae ejus, vers. 8, 9. Ubi *a*. crimen puniendum repetitur vers. 8. *Propterea sic dixit Dominus Jehova, propterea, quod vana loquimini, et vidistis mendacium* h. e. praetensae vestrae revelationes, et prophetiae, omnes fictae,

fictae, et falsae, in causa erunt, quare judicium meum sitis experturi. β. Ipsum judicium pronunciatur vers. 8, 9. his verbis: *propterea, ecce me contra vos, inspiratum Domini Jehovae; eritque manus mea contra prophetas videntes vanum, et divinantes mendacium, in arcano populi mei non erunt, nec in tabulis domus Israel describentur, nec in terram Israelis venient, et cognoscetis me esse Jehovam.* h. e. iram et manum meam vindicem experiemini vos falsi vates, eandem sortem subituri, quam omnes falsi prophetae, qui ad arcana consilia populi mei non amplius admittentur, nequidem inter Israelitas locum aut nomen habebunt, in terram eorum non venturi; quo ipso sentietis, et volentes nolentes agnoscere debebitis, me esse Jehovam. Cum Deus, sermone ad falsos populi vates in exsilio verso, declarasset, se eorum hostem futurum, et in eos impetum facturum, mox in persona tertia exponit, quam sortem experirentur falsi vates in genere; ut sciant, suam fore eandem, adeoque eos una cum reliquis pseudo-vatibus esse eliminandos, et omni commercio cum populo Dei, in terras suas restituendo, privandos, nec partem in bonis populi Dei habituros. Hac ratione sermo est digerendus et explicandus, ut patescat ratio mutatae personae de secunda in tertiam. Videntur vero *tres* partes sortis eorum *gradationem* continere, qua semper quid plus adfirmatur; hoc modo: *in arcano populi mei non erunt*, imo, quod plus est, *in tabulis ejus ne quidem describentur*, imo, quod gravius adhuc est, *nequidem in terras Israelis venient*. *Primum* dicit, eos non amplius fore *consiliarios* populi, qui ad arcanas deliberationes admittuntur, et quorum consilia magni fiunt. Conf. Gen. XLIX: 6. Ps. LXXXIX: 8. CXI: 1. *Secundum* est, eos nomen et locum inter Israelitas non habituros, pro Israelitis non habendos; quod est *in libro recensionum populi non scribi*, et plus dicit, quam praecedens. *Tertium* habet, eos non redituros *in terram* patriam: quod non est difficile.

§. CCXXVIII. *Posterior* articulus α. crimen ipsorum exhibet

hibet verf. 10—12. *β. judicium divinum* in ipsos, verf. 13—16. *α.* Crimen, quod judicium Dei produceret, proponitur *a* verbis propriis et fimplicibus verf. 10. *Propterea, et propterea quod in errorem abduxerunt populum meum dicendo, pax erit, et vacuitas pacis eft.* h. e. calamitate ingruente, et judicio excidii populi imminente, pacem et profperitatem promittunt, eaque ratione populum meum decipiunt, et per fecuritatem carnalem ab omni medio excidium avertendi abftrahunt; quam ob rationem, et quod falfas proferant vifiones, judicium meum fentient. Duplicatio vocis יען *propterea* non fimpliciter emphafin et certitudinem rei auget, fed et ad duplex crimen eorum refpicit, *alterum*, modo memoratum, *alterum* hic expofitum, ut fit, *propterea* quod falfas fingant vifiones, *et propterea* quod per eas populum meum decipiant, et in ruinam praecipitent; *pacem* promittendo, ubi nihil minus quam pax eft, fed excidium ante fores. Quae nihil habent difficile, utique noftrae curae relictum. *b.* Illuftratur illud crimen elegante figura, a muro luteo, et calce diffluente obducto, qui nec imbri, nec grandini, nec vento refiftere poteft, fed facile corruit, defumta verf. 10—12. Ubi *a.* fpei et fiduciae fundamentum, a pfeudo-vatibus ortum, exhibetur verf. 10. *b.* ejus *vanitas* demonftratur verf. 11, 12. *prius* ad explicandum dictum eorum, *pax eft*, *pofterius* ad illuftrandum dictum Dei, *non eft pax.* *a.* Prius ita habet verf. 10. *et ipfe aedificat parietem cingentem, et ecce eos oblinentes eum calce fluida.* h. e. populus meus falutis ac liberationis et profperitatis fuae fundamentum ponit in vanis fuis praejudiciis de praerogativa fua et Templi ac cultus religionis, nec non firmitate urbis probe munitae muris, denique fubfidio humano et AEgyptiorum auxilio; falfi vero vates eum in eo laudant, et confirmant, fictis fuis vifionibus pacem ac profperitatem nomine Dei promittentes, et firmitatem eorum mediorum et fubfidiorum varie exornantes. Hac ratione exiftimo proverbialem hanc locutionem, pro tali enim habenda eft, effe

intel-

intelligendam, et adplicandam, ficut nonnulli recte obfervarunt. *Ipfe* non eft primus aut princeps pfeudo vatum, ut multis vifum, fed *populus*, modo memoratus, et *illi*, qui incruftant, funt falfi vates; uti ex praeced. et feq. manifeftum eft. Cum enim modo fuerat mentio facta *populi* decepti, et *deceptorum* vatum, relativa *ipfe* et *illi* ad alios ac *populum* et *vates* referri nequeunt. Dein in feq. falfi vates tantum accufantur, quod *parietem obduxerint calce fluida*, et non quod *parietem* erexerint. *Parietem* itaque cingentem populus fecerat, *falfi* vates laudaverant, et firmum ac pulchrum declaraverant, adeoque populum in eo falfo fundamento confirmaverant, cum debuiffent de vanitate ejus admonere populum, uti veri prophetae faciebant; eaque ratione ipfi *parietem obleverant calce fatua*. Paries, mox קיר dictus, hic חיץ adpellatur, quatenus eft *ambitus ftringens* domus vel urbis exterior. Radix חוץ in origine denotat *ftrinxit*, *conftrinxit* arctius, et ufu fuo tranfiit ad *cincturam*, vel incinctionem, et ambitum exteriorem, unde fumitur de *plateis* et *vicis* ab *ambitu et circuitu*; uti verbo monuit Cl. Schult. ad Prov. VIII: 26. et חוצון dicit *exterius*. Sunt, qui *luteum* parietem vertunt ex ufu vocis pro *plateis*, unde formarunt *lutum* in iis jacens, et inde *parietem* hac voce expreffum, quod fit ex *luto* platearum: quod fictum eft, et valde remotum, (vid. *Cappellus* ad h. l.) verbi poteftaeti adverfum; ut ex dictis liquet. Emblema vero eft *paries cingens* exterius omnium mediorum et fundamentorum falutis et fecuritatis populi, quae ipfe fibi *formavit* et finxit, quare ipfe dicitur *aedificaffe* parietem. Quae autem illa fuerint, modo fummatim exhibui, et fatis nota funt. Praejudicata vero haec fundamenta tantum abeft, ut falfi vates deftruxerint, ut exornarint et confirmarint, qua ratione populum deceperunt, et in perniciem detruferunt. Adplicatur iis propterea *obductio parietis calce fluente*, quatenus eum declararunt pulchrum et firmum, *pacem*, ut modo dictum erat, promittentes et fecuritatem. Vox תפל proprie denotat *falivam*,

 fputum

ſputum dilutum et tenuius, unde transfertur ad *calcem* fluidam et dilutam, et figurate verba factave futilia exprimit. Vid. Schult. de *verbis dubiis* § 47. et ad Job. I: 22. quod utrumque et proprium et figuratum hic eleganter, per figuram *ambigui*, conjungitur, et intelligendum eſt, uti Cl. Schult. l. c. fecit, adeo ut ſenſus ſit, falſos vates, inſtar eorum, qui parietem incruſtant *calce diluta*, quae facile diffluit, ad eum firmandum et exornandum, fiduciam vanam populi, per *parietem* expictam, in externa legis obſervantia, promiſſis Dei, praerogativa Iſraelis et Hieroſolymae ac Templi, foederibus, et aliis praeſidiis humanis, poſitam, mendacibus et fictis ſuis viſionibus ac ſpecioſis rationibus ſermonibuſque perpoliviſſe, et pro inconcuſſo munimento incolumitatis commendaſſe. Quare Thren. II: 14. prophetae dicuntur *populo vidiſſe vanum* ותפל *ſputum* tenuius et futile.

§. CCXXIX. *b*. Vanitati ejuſmodi parietis, et quidem belle exornati a falſis vatibus, demonſtrandae inſerviunt ſequentia verba, ad illuſtrandum dictum Dei *non eſt pax*, verſ. 11, 12. *Dic incruſtatoribus calce futili*, *et* (quod) *cadet* (paries conſtructus et incruſtatus) *exſtitit* (cecidit ex alto) *imber inundans*, *et tenſione premente lapides ſtrictiſſimae concretionis* (grandines vaegrandes) *irruent*, *et ventus turbinoſus* diſcindet ſe, *et ecce cecidit paries*, *nonne dicetur vobis*, *ubi tectorium*, *quod incruſtaſtis*? h. e. Quam vana ſit fiducia illa et ſecuritas, a vobis commendata, ipſi cum pudore et ignominia experiemini, quum ingruente imbre, grandine et turbine aeſtuante, in hunc parietem, ipſe ceciderit. Praemittitur mandatum ad prophetam, quo incruſtatoribus diceret *parietem eſſe ruiturum*; his verbis: *dic obductoribus futilis calcis*, *et cadet*, ſeu, quod cadet, ſcilicet *paries* ille; ut ex ſeq. liquet omnia illa praeſidia, quibus fidunt, quaeque vos inculcatis, in vanum facile cadent, et omnis fiducia peribit. Dein convincit eos hac de re ex eo, quod imbri, grandini, et turbini irruenti reſiſtere nequeat ejuſmodi paries, ſed, ſi id fiat, cadere debeat; quo facto utique nil niſi

igno-

ignominia ipsis et confusio contingeret. Quae verba eo hic tantum tendunt, ut quam facilis sit *parietis* ruina, ipsis insinuetur, simul quanta inde ad ipsos tum redundatura sit contumelia et confusio; nondum positive adfirmat, illud futurum esse, quod mox demum fit vers. 13., sed tantum ipsis ob oculos ponit, illud facile fieri posse, seu parietem non esse ejus firmitatis, ut ejusmodi impetum sustinere possit, quod tamen deberet, si firmum praestaret praesidium; adeoque ipsis nil nisi pudorem esse relictum, quum illud contigerit. Oratio itaque est hypothetica, quae nondum adfirmat, *casurum* esse parietem, sed tantum cadere debere, et casurum facile, si ingruerit imber, grando, et turbo, adeo ut ante היה recte intelligatur per ellipsin vocula אם *si*. Hac ratione si sermo capiatur, recte subjungitur, *propterea sic dixit Jehova*, ingruent illa omnia, et *cadet paries;* argumento, illud fatum nondum fuisse declaratum, sed tantum insinuatum, quam facile id fieri possit, et quanta inde ignominia ipsis accideret.

§. CCXXX. Superest, ut versionem nostram paucis illustremus et confirmemus. 1. Verbum היה vers. 11. in phrasi, *existet imber inundans*, exserit vim suam primigeniam, qua dicit *cecidit* ex alto in profundum, et involvit stabilem ac plenam existentiam; de quo vid. comm. ad. Mal. II: 5. p. 178. *Imber inundans* itaque *existere* dicitur, quatenus magno impetu ex alto cadit, et firmiter irruit. 2. vox אתנה nec est pronomen foem. *vos*, nec verbum primae pers. fut. rad. נתן *dabo*, de quo alterutro cogitant Interpretes; quod neutrum huc quadrat, non *vos*, cum apostrophe subita ad *lapides* dura sit et sine emphasi, non *dabo*, quia puncta non tantum repugnant, sed Deus hic nondum declarat, se id facturum esse, quod demum fit, vers. 13. sed est vox derivata radicis vel תנה vel נתן cum א heemantico, formativo nominis, seu signo superlativi, vel אתן, unde אתון *asina*, et אתון *fornax;* quae radices sunt sororiae, in origine sua, dicuntque *firmam tensionem prementem*; unde reliqui usus fluxerunt. Recte ergo vertitur, *et tensione premente lapides irruent.*

irruent. 3. *Lapides* אלגביש esse *grandines* ingentes communiter admittitur, sed quare sic dicti sint, et quid vox Hebr. velit, non ita constat. Probabile est vocem esse compositam ex אל articulo, vel voce, quae denotat *adstrictionem*, et גביש cujus radix proprie significat *concrescere in duritiem*, speciatim a frigore. Vid. Schult. ad Job. XXVIII: 18. adeo ut hac voce denotentur lapides *adstrictionis concreti a frigore*, h e vaegrandes grandines. Cl. Simon de formis nominum derivat ex אגל *gutta* et Arab. גמש, rectius גבש radice sororia, *concrevit*. Plura de hac voce dixit, ut ipse in *Lex. selecto* adnotat, Cl. Clodius in Act. Lipf. a. 1740. 4 Verbum תבקע in pih., in phrasi *ventus turbinum aestuantium*, (id enim dicit, uti alibi saepe observatum est, vox סערות,) habet vim reciprocam, et *se diffindere*, adeoque *erumpere* designat; ut ex vers. 13. liquet, ubi Deus dicit, *se fissurum esse ventum*: non itaque *perruptio* parietis hic denotatur, sed ipsius venti *irruptio*, uti in praecedentibus *casus* et *irruptio* imbris et grandinis. Reliqua sunt facilia.

§. CCXXXI. *β*. Sequitur nunc judicium divinum in parietem erectum et incrustatum, ejusque incrustatores, ad eorum confusionem et interitum. Ubi *a*. ipsum judicium exponitur vers. 13, 14. *Propterea sic dixit Dominus Jehova, et* (utique, profecto) *findam*, vel prorumpere faciam, *ventum turbinum aestuantium in excandescentia mea, et imber inundans in ira mea cadendo existet, ut et lapides vaegrandes grandinum in excandescentia mea ad consummationem* (scilicet et *irae* meae, et destructionis vestrae ac praesidiorum vestrorum, uti mox exponitur) *et diruam funditus parietem, quem oblevistis calce diluta et adpingam eum terrae et retegetur fundamentum ejus*, (parietem illum cingentem et unice firmantem ac munientem urbem funditus diruam, ita ut nihil amplius supersit, sed solo aequetur) *et cadet, et consumemini in medio* ejus (pariete destructo, ipsa urbs, eo cincta et munita, ruet cum eo, et destructa jacebit, aeque ac paries, vosque, et populus et vates, structores ac incrustatores

res parietis, in medio urbis peribitis. Cum verbum נפלה, et adfixum vocis בתוכה *in medio* ejus, sit foemin., non de *pariete*, sed *urbe* eo cincta, cogitandum est, quo etiam tendit phrasis, *consumi in medio ejus;* quae urbi rectius quam parieti convenit, cum dura sit phrasis *in medio parietis consumi*, sed facilis et solita, *in medio urbis*,) *et cognoscetis, me esse Jehovam*: quod saepe habuimus ante. Sensus est, judicia Dei, sive immediate, per pestem et famem, sive mediate, per Chaldaeos, instar tempestatis horribilis, in Judaeos et Hierosolymam irruentes, inflicta omnem illam fiduciam omnia illa praesidia humana esse prostratura, et destructura, adeoque urbem cum incolis et falsis vatibus esse perditura. Vid de sensu emblematis Jes. XXVIII: 27. et ibi Cl. Vitringa.

§. CCXXXII. γ. Subjungitur per modum conclusionis, fiduciam illam una cum falsis vatibus esse ipso eventu contrario patefaciendam, tanquam vanam, et prophetas illos manifestandos tanquam mendaces, vers. 15, 16. *Explebo itaque excandescentiam meam in parietem, et incrustantes eum calce diluta, et dicetur vobis, non est paries, et non sunt oblinentes illum, prophetae Israelis, qui prophetant Hierosolymae, et videntes ipsi visionem pacis, nec est pax, dictum Domini Jehovae.* h. e. cum iram meam plenissime effudero in hanc urbem, et fiduciam ejus ac praesidium humanum cum vatibus prostravero, tunc dicterium de illis vatibus ad eorum prostitutionem, publice proferetur, et in omnium ore erit, *ecce* nec paries, nec obducentes eum, supersunt; adparet itaque vates fuisse falsos, qui pacem promiserunt divinitus, ubi non erat pax. Quae paraphrasis cum et sensum, et verum conspectum verborum in luce posuerit, nihil notandum superest, nisi quod vers. 16tus cum superiore connectendus sit male ab eo divulsus.

§. CCXXXIII. In *posteriore* parte, contra foeminas prophetantes ex corde suo, et non Deo, directa, quae eodem ordine decurrit, post praefationem, quae continet mandatum

tum Dei ad prophetam de prophetando contra eas verf. 17. א. occurrit earum defcriptio verf. 18, 19. ב. judicii divini denunciatio in eas verf. 20—23. א. Defcriptio pravarum qualitatum et actionum harum vatum α. figurata eft verf. 18 β. propria et nuda verf. 19. Quae antequam exponere adgrediar, inquirendum eft, num viros molles et effoeminatos, fimul blanda oratione fe infinuantes in populi gratiam, *foeminarum* nomine infigniat propheta, quod nonnulli volunt, Rev. Huldricus quoque demonftrare conatus eft in Tempe Helvet. tom. II. p. 486., an vero foeminas, fibi vifiones divinas adrogantes, intelligat, quales, ficut inter veros prophetas fuiffe conftat, ita inter falfos non defuiffe probabile eft. Quae utraque opinio ftylo loquendi non tantum convenit, cum viri molles, et adulatores, *foeminae* adpellentur per contemtum, uti Jef. III: 12. XIX: 16. Jer. XLVIII: 41. Nah. III: 13. et apud exoticos fcriptores, ut Huldricus demonftravit, veri quoque doctores, propter gratiam fermonis, et vim perfuadendi, *foeminarum* fub perfona introducantur, Jef. XL: 9. Pf. LXVIII: 12. et Ecclef. I. ubi קהלת adpellatur; fed et ex ipfa hac pericopa aliquid roboris acquirit, cum mafc. et foem. generis voces hic fecum permifceantur; cujus rei alia reddi nequit aptior ratio, quam utriufque generis perfonas intelligi. *Foeminae* autem, proprie dictae, excludi nequeunt, quin praecipue funt intelligendae, cum *foeminae* non, fed *filiae populi* adpellentur, nec ratio fit, quare cum modo viros prophetas perftrinxiffet Deus, nunc *foeminarum* fub emblemate eos redargueret; accedit, *foeminis* etiam rectius convenire *pulvillos confuere*. Statuamus itaque *mulieres* vates hic intendi, fed fimul *viros*, iis fimiles, comprehendi, et contemtus ac indignationis teftificandae ergo eodem titulo involvi, eamque ob rationem nunc foem. nunc mafc. gen. vocibus uti prophetam.

§. CCXXXIV. α. Figurata oratione pravae earum qualitates his verbis depinguntur verf. 18. *Sic dixit Dominus Jehova, vae vobis illis, quae confuunt pulvillos fuper omnibus*

cubitis

cubitis manuum, et faciunt tegumenta calvitiei scabiosae super capite omnis staturae erectae ad venandum animas h. e. Indignationem et detestationem suam declarat Jehova super vobis, falsi vates, viri et mulieres, qui quietis peccatoribus et securis adulamini, et eos molliter genio indulgere facitis, acsi nihil metuendum habeant; justos vero, et officium facientes, mihique erecto capite fidentes, declaratis pudore, ignominia adficiendos, omnibus bonis spoliandos, et miseros futuros esse, adeoque peccatores in peccatis et securitate carnali confirmatis; pios vero tristitia adficitis, et malorum denunciatione a pietate et fide in Deum abstrahere conamini. Incipit Deus sermonem increpatorium cum particula *indignationis* et *detestationis*, הוי *heu*, sive *eheu*, vah, vae, de qua vid. Cl. Vitringa ad Jes. I: 4. Imputat dein falsis vatibus duplex, et oppositum facinus, figurate expressum, *alterum* ad impios confirmandos in securitate carnali, *alterum* ad pios terrificandos, et a pietate abstrahendos. *Prius* his verbis expressum est, *vae consuentibus pulvillos super omnibus cubitis manuum*, scilicet, quietorum, securorum, et genio indulgentium. Respicitur manifeste vel in genere ad sedentes et in cubitum inclinantes, vel in specie ad mensae adcumbentes in lectulis, et super humerum sinistrum cubantes, uti moris erat apud Gentiles, et jam etiam apud Judaeos, vid. Huldricus l. c. adeoque *pulvillos consuere super cubitis*, seu divite sensu pulvillos consutos supponere cubitis, est facere, ut molliter cubent, sive ejusmodi *pulvillos* secum gestarint falsi et falsae vates, sive phrasis sit tota figurata: *prius* sicut a more vatum non abhorret, uti notum est, ita ex seq. aliquid roboris acquirit, ubi vers. 20. Deus declarat, se pulvillos *esse laceraturum de super brachiis ipsorum.* Videntur itaque brachiis circumtulisse adligatos pulvillos, in signum mollis accubationis, quam promittebant Judaeis, eoque sensu eos *supra cubitos manuum* ipsorum consuisse, seu consutos posuisse: quemadmodum supra introducti sunt *parietem* erectum *incrustantes* falsi vates,

 sic

sic hic *pulvillis ornantes* cubitos, securitatem ipsorum fovendo et firmando, simul in peccatis obfirmando, ut vers. 22. habetur. Phrasis et verba mea non indigent ope. Tantum notetur 1. Vocem אצילי, a rad אצל *jungere, nectere*, notare *juncturas* membrorum corporis, quibus inter se arctius constringuntur, quales sunt ad axillas, et cubitos brachiorum, et hic intelliguntur: vox vero ידי brachia quoque comprehendit, uti Jer. XXXVIII: 12 2. voculam על non *supra* designare, sed *ad*, vel *juxta*, uti אל, quae particulae saepe permiscentur: adeo ut de eo adhibeatur, quod rei alicui prope adnectitur, sive *supra*, sive alibi.

§. CCXXXV. Hac ratione cum impiis agebant, ad eorum securitatem et corruptionem firmandam, sed longe alia cum piis Deo fidentibus et officium facientibus, sive fugam e patria meditantibus, sive in exilio degentibus, quibus pudorem et metum incutere conabantur, et quaevis mala minabantur; uti eos fecisse in seq. diserte dicitur et aliunde constat, vid. cap XI: 75. Quo ex mea opinione pertinet, quod *scabiosam calvitiem* vel tegumentum in ejus signum, *fecerint super capite omnis staturae erectae*. h. e. omnium piorum, *capite erecto stantium*, in signum fiduciae in Deum, et promtitudinis ad officia fidelium facienda; opposite ad sedentes illos et adcumbentes, quibus *pulvillos* adsuebant, Vox קומה notat *staturam erectam*, et non quamvis staturam in genere, *caput* itaque *omnis staturae erectae* est emblema hominum, qui erecto capite stabant, seu Deo fidebant, et paratos se praestabant ad Deo in omnibus obediendum, et eum debite colendum, sequendumque, quocumque eos duceret, etiam in exsilium. In horum contumeliam, et ad horum spem ac pietatem prostituendam, ac frangendam, signa pudoris inopiae et miseriae seu *calvitiei scabiosae* praeferebant, et capitibus eorum adplicabant; quae hic adpellantur מספחות a rad. ספח et שפח proprie *defluxit*, et transitive *effudit*, unde transiit ad *decalvationem*, qua capilli de capite defluunt Jes. III: 17. et *scabiem* diffusam ac depilantem,

tem, quae מספחת et מספחת adpellatur. Vid. Schult. ad Hab. II: 15. et Jes. V: 7. Schroeder ad Jes. III. p. 396. *Facere* vero *scabiosam decalvationem* sensu divite est, facere signum ejus, vel scabiosum ac depilatum tegumentum, illudque capiti imponere, in signum talis status, inopis, vilis, et miseri, qui per *caput depilatum* expingi solet, ut Jes. III: 17. XV: 2. Jer. XLVIII: 37. Vid. et Cl. Michaelis Obs. S. exercit. III. Quale *tegumentum* scabiosum hic intelligendum esse liquet ex vers. 21. ubi Deus declarat, se *laceraturum esse eorum* מספחת.

§. CCXXXVI. Interpretes in longe aliam iverunt opinionem, qua intelligunt *cervicalia*, capiti cujusque aetatis et staturae aptata ad molliter cubandum, adeoque eodem tendere, quo praecedens emblema, statuunt, ad securitatem carnalem Judaeorum fovendam. Cui opinioni obstat, quo nostra firmatur 1. vox מספחת, quae eum significatum nusquam habet, nec admittere potest, sed *scabiem*, *decalvationem*, dicit, adeoque ejusmodi pannum, ut ex dictis liquet. 2. vox quoque קומה, quae non qualemcunque staturam et aetatem, sed erectam, et in longum extensam staturam denotat, opposite itaque ad *sessionem ac cubationem*, modo memoratam; nec emphasi pollet, eos *cervicalia* fecisse omni aetati et staturae congrua, quid adtinebat hoc expresse addidisse? 3. Quod sequentia, quibus falsarum vatum institutum clarius exponitur et reprehenditur, distinctam faciunt mentionem piorum et impiorum, quorum animas decipere conabantur, *illorum* tristitia adficiendo, et quaevis mala iis denunciando, *horum* in securitate, et peccatis obfirmando, et quaevis prospera promittendo. Ex quo manifestum est, *pulvillos consuere super axillas* et facere *tegumentum* scabiosum super capite, non eodem et ad eosdem spectare, sed ad diversa et opposita.

§. CCXXXVII. β. Nuda magis et simplex instituti earum declaratio, cum indignabunda interrogatione prolata, his verbis fit, quae sequuntur vers. 18, 19. *An animas venabimini*

bimini populi mei? et animas vobis, vel vestras, vivificabitis? et an profanabitis me apud populum meum propter pugillos hordeorum, et buccellas panis, ad occidendas animas, quae non morientur, et vivificandas animas, quae non vivent, mentiendo populo meo, et audientibus mendacium. h. e. quae haec vestra est insania, et detestanda actio, qua pios, et mei studiosos, ac mihi fidentes, conamini in perniciem trahere, et quaevis mala ipsis denunciare, ac impiis et securis adulari, quaevis bona iis promittendo, cum *illorum* sit vivere et prospere agere, *horum* vero misere et perniciose; idque ideo a vobis fit, ut *lucrum* captetis, et delicate vivatis. Quibus verbis manifeste respicitur ad modo memoratum duplex, et diversum vatum institutum, *alterum* quo pulvillos consuebant supra cubitos cubantium, *alterum* quo scabiosum et depilatum pannum super capite cujusvis staturae erectae ponebant, uti modo exposui; quod utrumque hic explicatius traditur, dum *illud* ad peccatores confirmandos et securos reddendos, illis promittendo *vitam*, *hoc* vero ad pios tristitia adficiendos, vel ad defectionem a Deo trahendos, illis *perniciem* denunciando, si ita maneant, tendat. Quod utrumque falsum erat, et detestandum, cum *priores* sint mala morte perdendi, et *posteriores* in vita conservandi. Quibus recte perceptis, parum superest notandum, cum omnia facilem nunc habeant intellectum ex versione et paraphrasi data. Tantum observetur, ultimae pericopae vers. 18., vel sententiae, *an animas venabimini populi mei, et animas vobis vivificabitis?* duo et opposita esse membra, quorum *prius* ad *pios*, quorum capitibus aptaverant capitium calvum et scabrosum, *posterius* ad impios securos, quorum cubitis adligaverant pulvillos, referendum est; adeoque emphasin habere peculiarem titulum *populi* Dei pro piis, et ei adhaerentibus, et verbum *venari* pro in perniciem adlicere, cum tacita adlusione ad significationem verbi צדה *vastari*, denique pronomen quoque לכנה *animas vestras, vel vobis, vivificabitis*, pro animas vobis devotas, et vos *audientes*, uti vers. 19., ubi לְעַמִּי et

et שמעי כזב eodem modo distinguuntur, ut *populus Dei* sint pii, et *audientes mendacium* impii. Voces itaque לעמי et לכנה *populi mei*, et *vestrae* sibi opponuntur, adeo ut *animae* sint Deo devotae, et *vestrae* non Deo, sed pseudo-prophetis illis dicatae et similes. Praeterea verbo שמעי praemitti debet ו *et*, quae littera censeri potest excidisse per praecedentem litteram י in עמי. Reliqua non indigent nostra opera.

§. CCXXXVIII. ב. In *judicii* divini, in vates illas pronunciati, declaratione *a*. respicitur ad figuratum earum institutum, et pulvillos ac pannum calvum earum esse a Deo auferendum, iis denunciatur vers. 20, 21. *Propterea sic dixit Dominus Jehova, ecce me contra pulvillos vestros, quibus vos ibi venamini animas pullarias* (viles et nequam) *lacerabo eos e brachiis vestris, et ejiciam animas, quas vos venamini, animas* scilicet, *illas pullarias. Et*, etiam, *lacerabo pannos vestros calvos scabrosos, et eripiam populum meum e manu vestra, nec erunt amplius in manu vestra ad venationem vastantem, et scietis, me esse Jehovam.* h. e. ipso facto demonstrabo, *pulvillos vestros*, et *pannos calvos*, quos circumgestatis et adplicatis animis, illos impiis, hos piis, esse vanos et inanes, seu promissa pacis, quae impiis facitis, et *minas* malorum, quibus terretis pios, esse ficta et falsa, quum securos illos impios abjiciam, et in malam mortem ire faciam, *pios* vero in statu libero ponam, et omnibus malis, quae minamini, eripiam, adeo ut vobis ademta sit omnis occasio eos decipiendi. Quae paraphrasis, ex verbis educta, et superioribus consona, cum sensum et scopum verborum in luce collocaverit, vix aliquid, quod observare necesse habeam, superest; quare paucis defungar. Vers. 20., quo judicium pronunciatur in pulvillos, qui cubitis securorum et impiorum adligabantur, ad molliter cubandum, declaratur, illos *pulvillos*, seu promissa pacis et felicitatis, esse judicio divino violenter auferendos, et peccatores illos, loco pacis esse in perniciem abjiciendos, quod hic denotat verbum שלח, *mittere*

 dimittere

dimittere sibi relinquere, repudiare ac missum facere; secus ac vulgo putatur, solet enim in bonum sumi, sed opponitur *τῷ eripere* vers. 21., et agitur de *animabus* levibus et nequam: quae hic emphatice et eleganter פרחות adpellantur, proprie *pullities*, inde improprie vilissima populi populi pars, proles vana levis et nequam. De qua vocis notione vid. Cl. Schult. ad Job. XXX: 12. Interpretes varie instituunt, nec hanc vocem expedire potuerunt, addita est ad *animas* illas definiendas, et distinguendas, ut sciretur de *impiis*, non de piis, *populo Dei*, hic dictis, agi. Ultimae voces, *animas pullarias*, additae sunt per modum adpositionis, ad superiorem vocem definiendam, adeoque praemittendum esse, ut feci in versione *scilicet*. In hisce licet acquiescere possem, addam tamen aliam interpretationem, qua vox לפרחות cum Graeco Interprete vertitur *in dispersiones;* a פרח proprie *findi*, *diffindi*, unde varii usus fluxerunt, etiam *dissipari* instar rei fissae, quae laceratur, et dispergitur; uti Syris in usu est. Quo admisso, sensus erit, animas illas securas et inescatas esse a Deo mittendas in dissipationes et lacerationes ad perniciem. Cujus excidii cum occasionem et causam praebuerint vates, iis quoque tribuitur venatio earum animarum ad *dissipationes* in principio versus; si vox לפרחות ibi genuina sit, et non a librario orta ex fine versus; utique Graeca et Syr. versio non habet. *Alter* versus 21, pertinet ad pios manibus vatum eripiendos ac in libertatem et prosperitatem adserendos, vanis illis terriculamentis vatum, quibus illis metus incutiebatur, et omnia mala denunciabantur, e medio sublatis: ubi nihil est obscuri, tantum not. voces, *nec erunt amplius in manu vestra ad venationem*, significare omnem occasionem pios terrefaciendi fore sublatam, cum vates falsi jam essent prostituti, et terriculamenta eorum locum amplius non haberent.

§. CCXXXIX. β. Repetitur propriis verbis et confirmatur *crimen* eorum vatum, et *judicium Dei* in eos vers. 22, 23. *Propterea, quod contunditis cor justi falso, quem ego luri-*

dum

dum non feci, et quod obfirmatis manus impii, ne a mala sua via se convertat, ipsum vivificando: propterea vanum non videbitis, neque divinationem divinabitis amplius, et eripiam populum meum e manu vestra, et scietis me esse Jehovam. Crimen eorum, quod modo figurate erat propositum, propriis phrasibus repetitur et exponitur, *cum* respectu justorum, quibus erecto capite stantibus capitium foedum imposuerant, quatenus eo ipso declaraverant, eorum statum fore miserum, et contumeliosum, adeoque animos eorum metu et tristitia conabantur *contundere*, plane contra mentem Dei, qui non tantum illos tristari nolebat, sed contra potius *laetari*, et bene sperare, quam emphasin habet vocula לא *non* pro nihil minus, sed contrarium, *tum* respectu *impiorum*, quorum cubitis adsuerant pulvillos, ad molliter accumbendum, quatenus quaevis prospera iis promittebant, eaque ratione in peccatis eos obfirmabant, ne se *convertant*, quo unico medio perniciem avertere poterant. Verba et phrases nihil habent, quod nos moretur, tantum not. 1. verba כאה et כאב praeter elegantem adliterationem pollere insigni emphasi. Radix כאה in origine habet *tundendi* potestatem, unde *cor contusum* denotat gravissimis vulneribus et doloribus adflictum. כאב propriam habet notionem *luridi coloris*, quod est indicium *moeroris*. Praeterea ultimum verbum, להחיתו, *ad vivificandum eum*, cum proxime praecedentibus non cohaeret, sed cum לחזק *ad confirmandum manus impii*, et scopum vatum pravum exponit, ut sensus sit; eos *vivificando* impium eum obfirmare in peccatis, ut ex vers. 18 et 19. patet. Reliqua, quae *judicium* Dei in eos continent, nihil habent obscuri; sensus est, falsos vates non amplius futuros in medio populi, et populum esse in eum redigendum statum, felicem et prosperum, quo nihil ab ipsis sit metuendum, nec illis *occasio* esset mala ipsis denunciandi: quod est, *eripi e manu ipsorum*: uti modo habuimus.

CAP. XIV.

§. CCXL. *Septima* revelatio, eodem anno facta, verf. 1—11. comprehenfa, ex occafione adventus nonnullorum e fenioribus Ifraelis ad prophetam, ut eum confulerent, nata eft, uti verf. 1, 2. praemittitur, *et venerunt ad me viri e fenioribus Ifraelis, et federunt coram me; et factum eft verbum Jehovae ad me, dicendo* h. e. *cum* ad me veniffent et confediffent coram me, ut folent difcipuli, et qui inftructionem petunt, *tunc* facta eft mihi haec revelatio. Hac ratione enim fibi refpondent verba cum ו *et*, verf. 1 et 2., ut Lat. *quum*, quando et *tunc*; uti c. XIII: 14. et apud Jer. faepe habuimus. Nihil hic obfcuri. Veniffe illos viros ad Prophetam confulendum de ftatu et fatis populi, partim in exfilio, partim adhuc Hierofolymis, et quidem eo fcopo, ut profpera et laeta audirent; ex ipfa revelatione fatis patet: nec dubium eft, quin fuerint non miffi ab Hierofolymitanis, fed aliqui feniorum in exfilio, cum ceteroquin fuiffet illud additum; nec ratio erat, quare Hierofolymitani Ezechielem in exilio adirent, qui Jeremiam habebant praefentem, conf. c. XX: 31. Putat quidem Junius, quem fequitur Grotius, eos fuiffe, qui cum Zedekia leguntur Babelem veniffe anno ejus 4to Jer. LI: 59.; fed in eos non quadrat epitheton *virorum e fenioribus Ifraelis*, *rex* enim ibi memoratur cum Seraia, uno vel duobus, et *Seraia* videtur vir probus fuiffe, cui Jeremias volumen prophetarum contra Babelem commifit ibi legendum, et in fluvium conjiciendum, in fignum *lapfus* et *excidii* Babelis. Fieri forte potuit, ut hoc ipfum occafionem dederit *fenioribus* Ifraelis in exfilio mittendi legatos ad Ezechielem, percontaturos de tempore hujus excidii, num ante fores fit, et ea ratione Hierofolyma fit falva futura, ac populus in terram fuam mox reducendus. *Rationes* Junii nullius funt ponderis, nec noftra

nostra indigent, ut refutentur, opera. Titulus *domus Israelis* et *seniorum* Israelis in exsules illos recte convenit, ut supra quoque habuimus, nec abhorret, exsulibus interrogantibus fata Israelitarum in Cananaea simul ob oculos poni, uti supra saepe factum est; sed feriunt haec omnia, quae hic habentur, etiam Israelitas idololatras in exsilio.

§. CCXLI. Partes revelationis sunt sequentes. N. Prima exponit prophetae pravas horum virorum *qualitates* idololatricas, quibus praediti ad prophetam venerant, unde colligi poterat, eos non animo *veritatem* ex ore prophetae audiendi venisse, sed ut verba solantia a propheta acciperent, non obstante corruptione sua, vel, si alia proferret, ipsi illuderent: ut sequentia demonstrant. Verba ita sonant vers. 3. *Fili hominis! viri isti exaestuare fecerunt stercora sua super cor suum, et offendiculum perversitatis suae dederunt coram facie sua; an interrogatus consulendo responderem ipsis?* h. e. ecce viros, qui magna cum specie desiderii voluntatem meam occultam cognoscendi, et gratiam meam ambiendi, ad te venerunt, tanquam prophetam meum! sed scito, eos esse totos deditos idololatriae et perversis cupiditatibus, sibique ipsis coram ponere ea offendicula, ad quae impingant et laesi cadant: fierine potest, ut ab illis, in tali statu positis, serio, et animo obediendi, interroger de fatis populi, utque ego me implorari, et permoveri patiar ad ipsis gratiam faciendam, absit, longissime absit! Exposui omnem amplitudinem sensus, et scopum verborum hac paraphrasi, ad quam illustrandam *duo* vel *tria* tantum necesse habeo observare, Interpretibus intacta vel incognita. 1. Primum est, phrasin, *adscendere facere stercora super cor*, depingere animum *stercoribus*, seu idololatria, et cupiditatibus pravis, totum immersum, et inundatum, ex genuina potestate verbi עלה, qua dicit, *exsuperavit*, *excrevit*, instar fluminis supra ripas intumescentis, unde profluxit notio *ebulliendi*, *exaestuandi*, omnisque excessus, praesertim cum petulantia juvenili conjuncti. Vid. Schult. ad Har. conf. I. p. 15.

p. 15. *Adscendere super cor* dicitur, quod cor tota cogitatione occupat, et cui immersum est totum. Vid. etiam Schult. ad Prov. XXVI. 9. 2. *Secundum* est, phrasin, *offendiculum perversitatis dare coram facie*, duo significare, *a.* perversitatem, quae causam lapsus praebet, ante oculos ponere tanquam objectum amatum, et regulam actionum, quo in omnibus respicitur. *b.* in eum se volentem praecipitare statum, quo necessario inpingere, et graviter laedi debeas; quod sicut phrasis requirit, non enim *perversitas*, sed *offendiculum* ejus dicitur coram facie poni, ita huc unice quadrat, cum inde liqueat, eos non posse a Deo cum ratione petere prosperitatem, nec Deum iis aliud ac ipsis perniciosum respondere posse; et, si secundum statum moralem eorum sit responsurus convenienter eorum desideriis, illud eos inpingere et perire necessario facere debere: uti mox exponitur. 3. *Tertium* est, duplicationem verbi אדרש *rogatus, consulendo* (est enim secundum punctationem infin. et א habet loco ה, euphoniae causa propter praeced. ה, sed posset etiam, ut sequens, punctari adeoque in fut. esse) *interrogarer?* non tantum emphasios ergo, et ad indignitatem rei augendam fieri, uti facile cernitur, et recte observatum est, sed ad duplicem verbi usum etiam referri posse, quo et *interrogari* simpliciter denotat, ad arcana cognoscenda, et etiam *rogari*, peti, gratiam alicujus ambiri. Verbum enim דרש a *terendo*, quae propria est ejus potestas, transiit *cum* ad arcana et abstrusa pervestiganda, *tum* ad *preces*, quibus quasi manu permulcente et leniter terente alicujus gratia ambitur. Sensus itaque est, tales viros non posse censeri aut Deum sincere de fatis populi interrogare, aut debite ejus gratiam ambire; sed velle ut, non obstante depravatione sua, et inde orta causa lapsus, coram oculis posita, Deus sibi favorabilia respondeat, et favorabilem praebeat, secundum vota et desideria sua. Interrogatio, *an rogarer interrogarer ipsis?* non negat, Deum rogari ab ipsis, uti facile cernitur, sed nec debite ac sincere id fieri, nec

cum

cum fructu, ita ut Deus rogatus et interrogatus respondeat, et *sincere* et *salutariter*. Quod ex seq. clarius fiet.

§. CCXLII. ב. *Secunda* pars continet responsum indirectum, et involutius propositum, quo Deus per prophetam declarat, quale responsum exspectandum habeant in genere quicunque idololatriae et perversitati dediti, Deum per prophetam consuluerint, responsum nimirum animo et scopo eorum congruum, quale volebant, et merebantur, sed quod ipsos exitio implicaret, et perderet: his verbis vers. 4, 5. *Propterea adloquere ipsos, dicesque ipsis. sic dixit Dominus Jehova, vir vir* (quisquis) *e domo Israelis, qui exaestuare fecerit stercora sua super cor suum, et offendiculum perversitatis suae posuerit coram facie sua, et* vel *ita venerit ad prophetam, ego Jehova ad respondendum ipsi inducar secundum illud, secundum spissitudinem stercorum ejus, ut implicet domum Israelis secundum cor suum, qui abalienati sunt a cum me, secundum stercora ipsorum, omnes illos.* h. e. ipsis qui ejusmodi qualitatibus, quas tibi manifestavi, praediti ad te venerunt, ut me rogent et interrogent, ob oculos in genere pone, quale responsum a me accepturi sint, quicunque ita adfecti ad prophetam venerint, ut illud sibi ipsi adplicent, in animo suo de illarum qualitatum possessione convicti: responsum scilicet desideriis eorum congruum, non verum et sincerum, de mea voluntate et favore testans, eo cum eventu, ut in perversitate sua confirmati implicentur pravis suis consiliis, et pereant. Propheta jubetur, non directe ipsis dicere, eos esse tales, et tale responsum habituros, sed latius extendere, et in genere loqui; ut omnes sibi adplicare possint, et hi rogatores tacite sibi detegantur, ac convincantur; quo simul indicatur, domum Israelis ejusmodi hominibus esse repletam. *Responsum* vero dicit Deus a se ipso dandum, et non a *propheta* vero, quem consuluerint; hanc enim emphasin habet, quod dicat, *ego Jehova respondebo*; quo modo autem et per quem Deus responsum daret, non hic, sed postea vers. 9. exponitur, ut ibi videbimus, sed quale fo-

 ret

ret responsum? non quale Deus ad eorum correctionem, ex animo eos meliores reddendi et salvandi, dat hominibus sincere et probo animo id petentibus, sed quale Deus per eorum obstinatam perversitatem coactus quasi dare debet, quod iis in ea confirmandis aptum natum sit, cujus etiam consequens foret eorum excidium. Idem itaque est, ac quod alibi *judicium excoecationis et obdurationis* adpellatur, quo Deus immittere dicitur *spiritum erroris*, *mendacii* et *obdurationis*. Quem sensum a nonnullis, ut Hieronymo, et Coccejo, aliisque recte animadversum, vers. 9. extra dubium collocat, ut ibi videbimus, et omnes phrases, ex hac hypothesi tantum explicatu faciles, requirunt: quod paucis demonstrandum est.

§. CCXLIII. 1. Declarat Deus, se ejusmodi viro *responsurum* esse, non prophetam, quem consulerent, non ergo per verum sed falsum vatem: ut vers. 9. habetur, 2. utitur Deus verbo formae passivae, dicens, נַעֲנֵיתִי proprie *respondere factus sum*, non ut alias עָנִיתִי *respondebo*, ad indicandum, Deum per eorum malitiam obstinatam quasi coactum et compulsum esse ad respondendum, contra solitam Dei veracitatem et bonitatem; quare vers. 7. habetur, *responsurus contra se*: ut mox videbimus. Alia aptior reddi nequit ratio formae verbi tam insolitae, a Deo usurpatae. 3. Eodem tendit, quod dicatur responsurus interroganti ejusmodi בה ברב גלוליו *secundum illud*, *secundum spissitatem stercorum ejus* h. e. convenienter animo ipsius obstinate corrupto, quemadmodum volebat et desiderabat, ut in medio corruptionis cursu feliciter agat, adeoque *responsum* corruptae indoli congruum, et acceptum, sicut falsi prophetae respondere solebant; ut est vers. 9. Voces memoratae, *in eo*, *in spissitate stercorum ejus*, ita cohaerent, ut quod primum relative erat expressum *in eo*, mox explicetur per voces additas, *in spissitate stercorum*, acsi esset *in eo*, scilicet *spissitate stercorum ejus*. Relativum itaque *in eo* pertinet ad qualitatem pravam, modo descriptam, quacum venerat rogatum

rogatum prophetam; et adf. foem. eſt pro *neutro*, ut recte Coccejus: ב autem in בה, uti mox in ברב, dicit *ſecundum*, *juxta*, *congruenter*; ut ſaepe alias. Lectio marginalis, quae pro בה habet בא, et paſſim adoptata eſt, ferri nequit, ut recte demonſtravit Coccejus. Sed forte neutra lectio ſana eſt, habet utique *in eo* quid inſolitum, et rectius legitur בי *per me*, vel potius *contra me*, ut ex verſ. 7. patet: de quo mox. 4. Additur noxium et perniciofum conſequens, inde oriturum roganti, verſ. 5. *ut implicet domum Iſraelis in corde ſuo, qui receſſerunt a cum me in ſtercoribus ſuis, omnes illos*. h. e. reſponſum corruptae indoli congruum, et favorabile, illud habebit effectum triſte et pernicioſum, quo rogantes illi omnes propter ſtercora ſua, quae in corde habent, malis impliciti pereant. Not. *a*. infinit. תפש impersonale rectius ad *reſponſum*, quam ad *Deum* referri, ut ſit, *ut implicet*, et non ut *implicem*, cum reſponſi conſequens hic tradatur, in eo ſitum, quod per illud *implicarentur*, ſcilicet *malis* et judiciis Dei, tanquam reti. Radix proprie dicit *implectere*, *circumplicare*, manus rei, inde *prehendere*, manibus ei implicatis, et captam firmiter tenere, et uſum habet in *rete*, quod implectitur pedi, quo implicatus quis haeret Ez. XII: 13. XIX: 8 Vid. Schroeder ad Pſ. X: 2. *b*. *In corde*, ſcilicet *ſtercoribus* exaeſtuante, ut modo erat dictum, *implicari*, eſt *ſecundum* vel *per* illud irretiri, et perire, tanquam medium cauſale exitii ipſorum: utrumque uſum admittit ב, quo *ſecundum* et *per* dicit. *c*. Vox *per*, vel *ſecundum*, *ſtercora ipſorum* non cum verbo *recedendi* eſt conſtruenda; ſed ad illuſtrandam phraſin, *per cor* ipſorum eſt addita, ut *cor* iis deditum intelligi indicaretur, uti modo habuimus, *ſecundum illud*, *ſecundum ſpiſſitatem ſtercorum ipſorum*: ubi vid. dicta. *d*. Vox כלם quoque referenda eſt ad *domum Iſraelis*, et addita ad generalem illum titulum reſtringendum, adeoque ſignificandum *eos omnes* innui, qui e domo Iſraelis tales fuerint, et eos etiam ſolos: cum voce enim *ſtercorum* ipſorum commode conſtrui nequit. *e*. Denique

nique emphasin habet vocula מעלי in phrasi, *qui aversi fuerint* מעלי a *super*, vel *cum me*, h. e. societate et communione mea, rescisso omni meo commercio: uti exposui supra c XI: 15.

§. CCXLIV. ג. *Tertia* pars exhibet salutare monitum ad domum Israelis directum per modum parenthesios, si verum velint et salutare responsum a Deo per prophetam habere, quo monentur, idololatriam et flagitia longe a corde et facie removere, et animo sincero ac Dei reverente, adire prophetam, vers. 6. *Propterea dic domui Israelis, sic dixit Dominus Jehova: redite et avertite* cor *a cum stercoribus vestris, et a cum omnibus abominationibus vestris avertite facies vestras.* Nihil hic difficile, aut nobis observandum, praeter ellipsin vocis לב in priore השיבו, ut ex praeced. ubi expressa est ea vox, et seq. ubi *facies* memoratur, sicut modo *cor* et *facies* conjunguntur, liquet. In verbo שובו *redite* est quid ambigui, cum et absolute capi possit, pro *huc redite*, hunc exitum habete, *ut avertatis* etc. sicut subinde sumitur, uti habuimus Jer. XXX: 16., et *elliptice* pro *ad me* revertimini; quod communiter statuitur, et ex opposito *avertite* cor, faciem, a *stercoribus* facile eruitur. Utrumque conjungi potest.

§. CCXLV. ד. *Quarta* pars contra eos ex Israele est directa, qui falsos vates, idololatriae patronos, consulebant contra Deum et declarat, Deum per eum prophetam falsa et perniciosa esse responsurum, hoc cum eventu, ut et consulens et propheta justo Dei judicio exscindantur, vers. 7—11. solet quidem haec pericopa pro repetitione et fusiore deductione superioris, vers. 4, 5. haberi, adeoque de illis intelligi, qui veros prophetas consuluerint:. sed, praeterquam quod repetitio illa videri possit superflua, utique non sine necessitate admittenda, *falsum vatem* intelligi, vers. 9. manifestum facit, et phrasis quoque vers. 7. fin. *rogare prophetam contra me*, ut verti debet, haud obscure innuit, sicut itaque supra de consulentibus veros prophetas animo idolo-

idololatrico, egerat Deus, ita nunc apte ad eos transit; qui falsos vates, sese pro veris venditantes, adibant. *Tres* sunt pericopae partes, quarum *a*. prima judicium Dei in illos consulentes complectitur, in eo situm, quod Deus eos pateretur decipi a vatibus, et deceptos exterminaret. vers. 7, 8. *Quum vir vir* (quisquis) *e domo Israelis, aut e peregrinis* (proselytis) *qui peregrinatus fuerit apud Israelem, et voto obstrinxerit se a me, et aestuare fecerit stercora sua super cor suum, et offendiculum perversitatis suae posuerit coram facie sua, et ita venerit ad prophetam ad rogandum ipsum contra me, ego Jehova respondere ipsi inducar contra me; et dabo vultum meum contra virum hunc, et siderabo ipsum in signum et parabolas, et exscindam ipsum e medio populi mei, et cognoscetis me esse Jehovam.* h. e. quod si quis idololatriae et sceleribus deditus, sive Israelita, sive peregrinus in medio ejus, falsum vatem consuluerit, ut in peccatis obfirmetur, et solantia verba ex ipso audiat, tanquam nomine meo; faciam ut audiat, et responsum, cupiditatibus congruum, accipiat, sed cujus eventus erit, ut iram meam sentiat, cum stupore et ignominia se deceptum esse experiatur, et e medio populi exscindatur. Pauca nobis tantum relicta sunt notanda. 1. *Primum* est, verbum נזר respicere ad votum Nazireatus, et veram suam potestatem, *obstringendi sese voto*, exserere, adeoque sensum esse, illum se solenni quasi ritu obstrinxisse, seu consecrasse, idolo. Vid. Hos. IX: 11. *secundum* est vocem בי in phrasi, *ad rogandum ipsum* בי, non esse vertendam *de me*, vel simili modo, ut sensus sit, eum per prophetam *Dei* responsum velle, sed, ut recte Coccejus, *contra me*, ut sensus sit, eum aliquid audire velle, quod mihi et voluntati meae revelatae adversetur, et ipsius perversis cupiditatibus adblandiatur. Alium enim sensum non admittit phrasis, et si eum, quem volunt interpretes, haberet, deberet legi, *ad rogandum me per eum*. 2. Confirmat sequens membrum, quod *tertio* observandum est, quo vocula בי eodem sensu capitur, his verbis: *ego Jehova respondere*

 ipsi

ipsi indicat בִי *contra me*. h. e. patiar ipsi meo nomine responsum a propheta dari, quale desiderat, mihi, et voluntati meae adversum; quod vers. 9. dicitur *decipere prophetam illum*: uti mox patebit. Aliam interpretationem non fert ea vocula in hac phrasi, nec *per me*, ut verti solet, hic emphasin aut sensum habet commodum. 4. *Quartum* est, verbum וַהֲשִׁמֹתִיהוּ vers. 8 male reddi *ponam* illum, non enim est a שׂוּם, sed שָׁמַם, ut recte Coccejus et pauci alii, et dicit proprie *siderari*, tanquam urente et pestifero adflatu, inde cum *vastari*, tum *obstupefieri*, et in mentis attonitae horrorem defigi: quod utrumque hic admitti potest, si *prius*, sequentia erunt explicationis et confirmationis ergo addita, si *posterius*, seq. quid plus dicent, et sensus erit, *rogantem* illum esse ipso eventu in stuporem redigendum, et publico exponendum contemtui, ut pro *signo* et *parabola* habeatur, deinceps etiam *exscindendum* e populo Dei. Conf. supra c. XIII: 15.

§. CCXLVI. *β. Secunda* pars exhibet ipsum vatem lucro et blanditiis deceptum, ad falsum responsum dandum, et continet judicium excoecationis, prophetae divinitus inflictum, cum ejus consequente seu pernicie ipsius vatis quoque vers.
9 *Et propheta, quum seductus fuerit, et locutus verbum* blandum, *ego Jehova seduxi ipsum hunc prophetam, et extendam manum meam contra ipsum, et delebo eum e medio populi mei Israelis*. h. e. falsum illum vatem, qui se allici passus est donis et blanditiis idololatrarum et peccatorum ad blanda et solantia verba nomine meo proferenda, meo judicio spiritu erroris ipsi immisso, ad id esse inductum declaro; et illum id impune non esse facturum, sed mala morte e medio populi delendum esse. Verba comprehendunt *α*. crimen vatis, et *b* judicium Dei in ipsum, partim *excoecationis*, partim *desolationis*. *a*. Crimen est, quod se *decipi* passus sit, et *verba solantia* dixerit rogantibus eum nomine Jehovae, h. e. quod muneribus et blanditiis populi idololatrici se adlici fuerit passus, ad falsa vaticinia laeta et jucunda, nomi-
ne

ne Dei, proferenda. Quales vates describuntur Mich. II: 11. III: 5. et alibi. Verbum פתה frequentatur in *deceptione et illectione avium*, unde invaluit pro *rebus* vel *verbis illecebrosis* capere et inescare. Vid. Schult. ad Job. XXXI: 9. qui alibi ad Prov. XX: 19. fusius de eo egit, ejusque originem sitam esse docuit in *laxo* et remisso, unde ad *negligentiam*, in specie ex blanditiis, et blandiendi studio, ortam transiit. Phrasis vero דבר דבר *loqui verbum* hic exserit usum, haud infrequentem, quo blanda et solantia verba loqui denotat. De quo dixi ad Mal. III: 16. §. 169. *b. Judicium* Dei in illum vatem pronunciatur *duplex*, *alterum*, quo in illud crimen incidit, *alterum*, quo propterea gravi poena adficeretur. *Prius* his verbis profertur, *ego Jehova seduxi prophetam illum*, immittendo scilicet in ipsum *spiritum* mendacii, quo ad verba illa adulatoria et consolatoria proferenda impulsus fuit. Ipse vates se cupiditate, adeoque culpa sua, passus erat permoveri ad interrogantium voluntati satisfaciendum; Deus eum propterea tradidit spiritui malo *decipiendum*, quo excitatus est ad *verba* nomine Dei, tanquam verus vates, eloquenda; plane quemadmodum Michae, tempore Achabi, fuit revelatum, Deum spiritui mendacii permisisse, ut in ore prophetarum regis daret verba *mendacia*, 1 Reg. XXII. Nihil itaque hic traditur, quod non alibi quoque occurrit de Deo, ex. gr. quod *spiritum malum miserit* inter Sichimitas et Abimelechum Jud. IX: 23. Davidem incitarit ad *numerandum* Israelem 2 Sam. XXIV: 1. sic dicitur *immittere efficaciam erroris ad credendum mendacio* 2 Th. II: 11. *tradere ad serviendum idolis* Act. VII: 42. *tradere in mentem reprobam* Rom. I: 28. *dare*, et *effundere spiritum* obdurationis et excoecationis Rom. XI: 8. Jes. XXIX: 10. Quae, et quorum similia, convenienter sanctitati et justitiae Dei sunt explicanda, quatenus Deus illud fieri permittit a spiritu malo; etc. quae alibi solent discuti. In quibus si quis acquiescere nequeat, possent verba in hunc sensum flecti, quo exponant consequens falsae prophetiae, in eo situm, quod falsus

falsus vates se experiretur *deceptum*, cum loco lucri, et prosperitatis, inde maximum damnum sibi conciliaret, et cum pudore videret longe aliud contingere, quam ipse prophetaverit; Verti ergo debet, *ego Jehova decipiam ipsum*, et accipi pro, ego *ipsum deceptum* esse demonstrabo ipso eventu contrario; quando recte sequitur, *et extendam manum meam* etc. Concinit plane quod Jerem., licet alio sensu, dicat c. XX: 7. *decepisti me Jehova et deceptus sum*, h. e. cum me ad munus prophetae vocasti, proposui mihi blanda loqui, et mihi favorem populi conciliare, sed me in utroque falsum et deceptum esse deprehendi: ubi vid. comment. noster. Subjungo denique, verba etiam interrogative capi, et pro fortissima negatione haberi posse, ut sensus sit: *egone decepi* etc. absit longissime; etenim ego *extendam manum* etc. Qua ratione infra c. XX: 25. intelligendum esse, suo loco patebit. *Posterius* judicium continet exterminium istius prophetae, *et extendam manum meam contra istum prophetam et delebo ipsum e medio populi mei Israelis.* Quae nihil habent difficile.

§. CCXLVII. γ. *Tertia* pars continet judicium in utrosque et pravos consultores, et falsos vates, quo utrique poenas iniquitatis luerent, et exscinderentur, hoc cum salutari effecto, ut nec deceptores in posterum forent, nec populus amplius spiritu idololatriae et defectionis a Deo et lege, unde orta erat falsorum vatum interrogatio, ageretur, sed Deo adhaereret, sicut Deus ipsi; uti factum est post exsilium Babylonicum. Hic sensus et scopus est verborum vers. 10, 11 *Et ferent iniquitatem suam* (luent ejus poenas) *sicut iniquitas rogantis, ita iniquitas prophetae erit* (eadem vel simili poena utrique involventur, quatenus ob peccata illa sua exscindentur) *ne amplius vagentur domus Israelis a post me, nec polluantur amplius ullis defectionibus suis, sed ut sint mihi populus, et ego sim ipsis Deus; inspiratum Domini Jehovae.* Quae verba salutarem eventum judicii Dei, modo memorati, exhibent; nec aliquid habent difficultatis.

§. CCXLVIII.

§. CCXLVIII. *Octava* revelatio *alteram* partem *capitis* constituit, et superiori immediate successit, ejusque *occasione* facta est, quia propheta per consultationem seniorum, et durum responsum, quod iis jussus erat dare, videtur permotus ad intercedendum, pro populo Hierosolymitano, uti cap. IX: 1. XI: 13. fecisse quoque legitur; adeoque eo directa est haec revelatio, ut certior fieret de inutilitate intercessionis, quippe omni effectu cariturae, cum Deo fixum sit propositum urbem et populum delere sine misericordia, ut c. IX. etiam dictum erat, addit insuper Deus prophetam et socios in exsilio justificaturos esse judicium et se tranquillaturos, quum ex paucis residuis, in exsilium abducendis, intellexerint, quam horrenda fuerit et incorrigibilis Hierosolymitanorum corruptio. Revelatio itaque directa est non ad *seniores*, ut putatur, sed *prophetam* ipsum, et *occasione* intercessionis ejus pro populo Hierosolymitano nata est, eoque tendit, ut omnem, quam efficacem alias, intercessionem esse frustraneam significaretur, et propheta cum sociis in exsilio ex post facto convinceretur, de justitia et necessitate hujus judicii, sed, licet eo directe tendat revelatio, eaque facta sit, quam dixi, occasione, *indirecte* tamen etiam ferit *seniores* illos, ut viderent, quam inepte facerent, prophetam consulendo, et ab ipso favorabile responsum exspectando, prophetam insuper excitando ad intercedendum pro populo insanabiliter corrupto, cum Deo fixum sit, exsequi judicium, quod nulla intercessio avertere possit. *Pertinere* vero revelationem directe ad prophetam instruendum 1. inde patet, quod *ad ipsum* simpliciter dicatur *verbum* Jehovae factum, non addito, ut alias, *mandato* de loquendo ad *seniores*, uti supra vers. 4. 2. quod Deus *prophetam* tantum adloquatur in tota hac pericopa, 3. quod residui captivi dicantur ad ipsum et socios venturi, et ipsi consolationem percepturi ex peccatorum illorum consideratione, argumento, pios intelligi prophetae socios, ad quos venirent. *Prophetae* vero intercessionem *occasionem* praebuisse, licet ex-

pressa ejus non fiat mentio, inde haud obscure elucescit, 1. quod vel sanctissimorum et illustrium oratorum intercessiones, eo in casu, nihil valituras esse, declaretur, non tantum, sed repetatur identidem, et ad hoc adfirmandum revelatio tantum facta sit. Ex quo colligendum est, scopum ejus fuisse, omnes intercessiones repellere, adeoque prophetae quoque frustraneam esse; quae itaque videtur praecessisse, et ansam praebuisse revelationis, 2. quod vers. 21. et 22. pro hypothesi habeat, prophetam cum piis in exsilio luxisse super judicio in Hierosolymitanos pronunciato, adeoque illud conatum fuisse avertere. 3. Accedit, simile quid Jeremiae, pro populo oranti, fuisse pro responso revelatum cap. XV., qua cum pericopa nostra omnino comparanda est.

§. CCXLIX. Haec hypothesis, quae Interpretes latuit, sicut occasionem et scopum, revelationis pandit, ita ad ejus verum conspectum et intellectum multum facit, cum hinc pateat, quare potentissimorum intercessorum fiat mentio, ubi de judiciis Dei in populos extraneos agitur, et nullus memoretur pro Israele, vers. 20. quia ad Ezechielem et pios id facientes respicitur, praeterea quare addatur, prophetam cum sociis esse *consolationem* recepturum ex residuis exulibus, quia contenti forent repulsa, quam precantes tulissent: uti mox patebit. Duae sunt revelationis *partes*, quarum *prior* spectat ad populos peregrinos, *posterior* ad Hierosolymitanos. *Prior*, vers. 13—19. habet, judicium Dei in populum aliquem summe et insanabiliter corruptum, quo delendus sit, per unam tantum aliquam plagam, sive sterilitatis et famis, sive ferarum et bestiarum noxiarum, sive belli, sive pestis, ne per eximie justos, et potentissimos quidem intercessores, si in eo essent, averti posse, cum illi nullum alium inde reportarent fructum, quam ut ipsi soli eripiantur, licet Deus illis multum alias tribuat, tamen, hoc in casu, eos nihil effecturos; quia corruptio populi est nimis magna, diuturna, et incorrigibilis. Eo enim tendit

dit

die haec declaratio, ut indicetur, tantam esse populi istius depravationem, cui Deus judicium illud infligeret, ut a justo mundi judice ferri amplius nequeat; adeoque intercessiones locum non habeant cum fructu. Nihil hic difficile, quod nostram operam requirat, nisi in *tribus* illis intercessoribus expresse nominatis, *Noacho*, *Daniele*, *et Jobo*, praeteritis aliis, in specie *Mose et Samuele* Jer. XV. memoratis, Interpretes varias excogitarunt rationes, apud ipsos legendas, magis minusve probabiles, et ad rem facientes. Mentem paucis exponam. 1. Moses, Samuel, aut alius aliquis justus aut patriarcha populi Israelis, non nominatur, quia in hac pericopa non agitur de Israele, et Hierosolymitanis, sed extraneis populis; uti liquet ex *terrae* epitheto, et oppositione Hierosolymitanorum vers. 20. Versati autem hi tres fuerunt inter extraneos, *Noach* inter antediluvianos, Job inter Arabes, et Daniel inter Chaldaeos, ubi prophetam seu magum egit, et ministrum primarium. Deinde 2. *Noachus* et *Job* in scenam producuntur, quod justitia et pietate prae reliquis omnibus sui aevi non tantum fuerunt illustres, ut de Noacho Gen. VI. et Jobo cap. I. habetur, sed et tanquam potentissimi precatores noti erant et celebres, quorum precibus multum effectum fuisse constabat, uti *Noachi*, qui familiam suam cum reliquiis animantium servavit, et mundi instaurationem ac perpetuam conservationem impetravit, Gen. VIII, IX. cui itaque omnes terrae populi quasi acceptum ferre debebant, quod Deus *longanimitate* et *clementia* uteretur erga illos, nec non *Jobi*, qui domum suam diu conservavit precibus suis Job. I. dein instauratam vidit, et gratiam sociis suis impetravit Job. XLII. Sed quid causae est, quod *Daniel* ipsis adjungatur, et quidem *medius* inter duos illos antiquissimos? cujus ratio mihi non patet alia, quam quod in summa fuerit apud Deum gratia, spiritu ejus ductus, et vir *desideratissimus* dictus, simul *arcanorum* Dei gnarus, et precibus efficacissimis celebris, ut ex ejus libro patet. Vid. etiam infra c. XXVIII. 4. Erat autem

jam hoc ipſo tempore hac parte celeberrimus; ut ex temporum ſupputatione facile demonſtratur, nam anno *3tio* Jojakimi eſt Babelem abductus, et haec revelatio anno *6to* Zedekiae facta eſt, adeoque poſtquam ſomnium Nebucadnezaris jam eſſet interpretatus, et ad ſummam in aula dignitatem euectus; notiſſimus itaque inter exſules jam hoc tempore. Declarat nunc Deus, ne quidem hos viros, qui alias tam potentes fuerunt precatores, ſuaſque domos etiam liberarunt, nunc hoc effecturos eſſe, nedum quod populum ſalvum praeſtarent; adeoque judicium Dei in ejuſmodi caſibus nulla ratione inpediendum eſſe, ſed certo certius executioni mandandum; niſi interveniat populi iſtius *reſipiſcentia*, quae ſola animum Dei mutare poterit, et non interceſſio vel ſanctiſſimorum virorum. Etſi enim hujus *medii* mentio non fiat expreſſe, illud tamen mente intelligendum eſſe, res ipſa requirit. Vid. exemplum Ninevitarum in libro Jonae, et dictum ad Jeremiam c. XVIII: 7. Ceterum cum voces et phraſes nihil morae injiciant, niſi forte בדם verſ. 19. quae vix peſti conveniat, verbo obſervo, vel ex cap. V: 17. eam explicandam, vel expungendam eſſe, tanquam vitio librarii ex ſequente אדם ortam.

§. CCL. *Poſterior* pars revelationis ad Hieroſolymitanos ſpectat, ut ex verſ. 20. patet, et cum praefatione, *quia*, vel *quare*, *dixit Dominus Jehova*, expreſſe addita incipit, quia haec proprie fuit intenta, et *prior* tantum ad eam illuſtrandam praemiſſa. Vocula vero כי *quia* vel cum emphaſi adſeverationis inchoat orationem, ut ſit *profecto*, uti ſaepe alias, vel idem dicit ac *quare*, *propterea* uti 1 Sam. II: 25. ubi vid. Clericus, et 2 Reg. XXIV: 19. ut ſit: cum haec ſit conſtans mea agendi ratio cum quocunque populo corrupto, *propterea ſic dixit Dominus*, *quanto magis* etc. Continet vero haec pericopa *a*. declarationem judicii Dei in Hieroſolymitanos certo exſequendi, nec illius interceſſione intercipiendi, verſ. 20. *quanto magis quum quatuor mea judicia mala*, *gladium*, *famem*, *feram malam*, *et peſtem immittam*

mittam Hierosolymam ad exscindendum ex ea hominem et bestiam. h. e. cum in minore mea excandescentia in populum, quae unam tantum immittit *plagam*, ita agam, multo magis in majore in Hierosolymitanos ira, qua cuncta illa judicia simul immittam, me ita instituturum esse, ut incurabile sit, manifestum est. Voculae אף כי usu Script. ut notum, dicunt, *quanto magis*, a quo hic discedendum non est; licet sint, qui *quamvis* reddant, et cum seq., ubi judicii temperamentum vident, construunt: ut sit, *quamvis* ea omnia immittam simul judicia, *attamen* nonnulli evadent; adeoque mitius cum populo Israelis agam. Quae interpretatio aberrat ab usu vocularum, אף כי, ut vidimus, a scopo et seq. pericopa; scopus enim est prophetam convincere de certitudine excidii Hierosolymae, nulla intercessione praeveniendi, et sequens pericopa non temperamentum judicii comprehendit, sed justificationem consolatoriam apud Prophetam et socios, uti mox patebit. Sensus itaque est, *iram* Dei in Hierosolymitanos esse summam, et majorem, quam in populum, una tantum plaga adficiendum: eo enim tendit quatuor plagarum simultanea immissio, opposite ad *unam* illarum, uti alibi propterea *summus irae gradus* adpellatur 2 Reg. XXIV: 20. et alibi, *praeterea*, intercessiones multo minus esse a Deo admittendas: quod hic quidem non expresse memoratur, sed ex superioribus facile suppletur, et supplendum esse evincitur: nec tamen *tres* illi viri hic mente intelligendi sunt, verum alii quicunque populi Israelis potentissimi intercessores, uti Jer. XV. *Moses* et *Samuel* nominantur. Ceterum ad faciliorem intellectum verborum in אף כי vocula כי repetenda est, acsi bis legeretur, אף כי כי *quanto magis quia* vel *quum immitto* etc. omissa est כי, uti mox c. XV: 5. propter praecedentem; uti saepe alias contigit. De *quatuor* autem hisce plagis vid. Jer. XV: 3. unde etiam patet, quid hic sibi velint *ferae malae*; ad quod obhaesit Coccejus, qui emblematice propterea cepit.

§. CCLI. β. *Posterior* pars pericopae complectitur justificationem

cationem hujus judicii, ab exsulibus faciendam ex consideratione improbitatis ipsorum residuorum, in captivitatem abductorum, indeque ortam consolationem exulum, qui ingemuerant initio super omnibus illis malis, Hierosolymae inflictis, et pro urbe supplicationibus suis intercesserant apud Deum. Hunc existimo cum Calvino et Belgis esse sensum et scopum vers. 21, 22. et non, quem vulgo volunt, acsi temperamentum hic occurreret, ex misericordia Dei ortum, quo Deus mitius ageret cum Israele corrupto, quam gentibus, et *residui* hic essent poenitentes, vel innocentes, *liberi* peccatorum, a Deo, deletis parentibus, liberati, quorum adventu exsules consolationem aliquam reciperent. Rationes nostrae sunt 1. quod vers. praecedens, et nexus horum versuum cum illo, ejusmodi conspectum non admittat. Non enim ferri potest versio, *quamvis* immittam — — — *attamen ecce residuum* etc. supra enim magis adfirmaverat Deus judicium longe gravius in Hierosolymitanos, nec והנה est *attamen ecce*, sed *et ecce*; ac scopum residui, in captivitatem ducendi, exponit respectu exsulum; qui, eos contemplati, desinerent condolere super malis, et Deum justificarent in judicio suo. 2. Quae secunda nostra ratio est, inde sumta, quod *residuorum* conspectus finem imponeret misericordiae exsulum, ac *consolationem* produceret ex necessitate et justitia judicii Dei percipiendam. Quo cuncta verba tendunt, ut mox patebit. 3. *Tertia* ratio est, quod *residui* hic non occurrant tanquam poenitentes aut innocentes, et ex misericordia Dei liberati, verum in sceleribus et pravis adfectionibus perseverantes, eo scopo tantum reservati, ut in captivitatem abducti popularibus in exsilio ostenderent, quam justum fuerit et necessarium Dei judicium, ut ita consolationem aliquam reciperent, qui initio adeo indoluerant.

§. CCLII. Consideremus nunc verba, et ea, ubi opus fuerit, illustremus: *Et ecce, residuos in ea evadentes, qui educti sunt filii et filiae* (attendite quaeso ad eos, qui evaserunt his malis, in captivitatem eductos, filios et filias, quales

sint,

sint, et qualitatum et sortis respectu, earum respectu incorrigibiles peccatores, et hujus respectu miseri captivi, quorum conditio non erit melior, mortuis, forte etiam deterior; Residui igitur, qui evaserunt, hic dicti abstracte, *residua evasio*, in quo nihil est singulare, hic occurrunt tanquam in *captivitatem* abducendi, quod est, *educti*, eo scopo, ut exsules de justitia judicii Divini suo exemplo convincerent, *filii et filiae*, ex quibus de *parentibus* judicari possit, cum illi adeo sint corrupti et incorrigibiles, ut per ipsum hoc grave judicium nihil facti meliores, uti mox additur,) *ecce eos exeuntes ad vos*, *et videbitis viam eorum et facinora ipsorum* (ecce, quales sint, qui ad vos venerint, videbitis ex iis, quanta fuerit populi depravatio, quam invincibilis, cum ipsi filii et filiae in corruptione toti sint, et adhuc perseverent, Deo potius male dicentes, et murmurantes, quam poenitentes: uti in alio, sed simili, casu Jes. VIII: 21, 22., et in hoc ipso casu post deletam Hierosolymam a Chaldaeis, Jer. XLII.) *et condoluistis super malo*, *quod immitto*, vel immisi, *Hierosolymae*, *omni* inquam, *quod immisi ipse*, *et consolabuntur vos* (quum ipsos coram fueritis contemplati, non dubito, quin vos, qui tantopere luxistis super judicio meo, et illud deprecati estis, consolationem sitis percepturi, et in judicio meo acquieturi, ex ipsis captivis ratione petita consolationis. Hic sensus est verborum, quem Interpretes non perceperunt, quod diversum verbi נחם sensum non adtenderunt, quem tamen ipsa structura orationis requirit, prius נחמתם vers. 21. est *condoluistis* et posterius נחמו אתכם est, *consolabuntur vos*; Interpretes utrobique per *consolari* vertunt, quod non tantum tautologiam adfert, sed structurae adversatur, cum prius absolute occurrat, posterius habeat, quocum construatur, *consolabuntur vos*. Praeterea *consolatio*, quam adferrent captivi, opponitur adfectioni tristi, quae tollenda erat, adeoque eam praerequirit: quae per prius verbum recte censetur expressa. Verbum נחם apud Arab. frequentatur in gemitu graviore, cum vehementia e

 pectore

pectore educto, estque ἀνομασίαν; hinc inter alia et *adgemiscere* alicui, pro condolere, et *consolari*; quod est condolentium proprium; Ezechiel itaque et focii hic occurrunt, tanquam *condolentes* super malis Hierosolymae, quos ipsi captivi suo statu *consolarentur*, cessare faciendo hos gemitus, et tranquillando eorum animos, non *verbis* et *poenitentia* sua, sed pravis suis facinoribus, in ipsorum oculos ingestis, uti sequitur) *quum videbitis viam eorum et facinora eorum* (hisce visis et hac ratione illi vos consolabuntur respectu judicii mei, in quo submisse et cum adprobatione acquiescetis) *et cognoscetis* (adeoque agnoscetis, et adprobabitis) *quod non gratis* (sine justa et necessaria causa) *feci*, *quodcunque in ea* (Hierosolyma) *feci* (omne illud malum, quod ei inflixi) *inspiratum Domini Jehovae*.

CAP. XV.

§. CCLIII. N*ona* revelatio, hoc cap. comprehensa, soli prophetae facta ad ejus instructionem ac consolationem, eo tendit, ut superius judicium in Hierosolymitanos, et eorum residuos, a Deo abjiciendos et destruendos, illustretur ac justificetur, ex eo, quod omni bona fruge orbi ad nihil utiles sint, adeoque repudiandi, et contemtui exponendi, uti digni erant, similitudine sumta a *vite* infrugifera, quae integra nihil valet, ambusta adhuc minus, adeoque rejicienda; magis quam gentiles, licet infrugiferi et ipsi, qui ad multa adhuc apti sunt opera providentiae Dei. Ubi א. simile *proponitur* vers. 2—5. ב. *adplicatur* ad Hierosolymitanos vers. 6—8. א. Similitudo a ligno vitis desumta, relate etiam ad reliqua agri vel sylvae ligna, duas habet *partes*, quarum *prior* ad vitem adhuc integram spectat vers. 2, 3. *posterior* ad eam adustam, vers. 4, 5. utraque continet ejus inutilitatem ad opus aliquod faciendum; sed *posterior* eam ineptitudinem

titudinem magis adgravat. *a. Prior* habet, lignum vitis, et palmitem ejus per ſe nihil valere, minus quam reliquarum arborum infrugiferarum, verſ. 2, 3. his verbis: *Fili hominis! quid erit lignum vitis ex omni ligno? quid palmes ex omni quod eſt in lignis ſylvae? an inde ſumetur lignum ad faciendum in opus? an ex eo ſument paxillum, ad ſuſpendendum inde vas ullum?* h. e. ex omni ligno, ſive ſit arbor frugifera, ſive ſylveſtris, nihil ineptius eſt ligno vitis, et palmite ejus cum ex illo nihil fieri poſſit ad opus aliquod utile, ex hoc nullum, ut ex paxillo, ſuſpendi inſtrumentum; adeoque *vitis* tantum inſervit fructui praeſtantiſſimo ferendo, quo reliquis arboribus, excellit tantum, quod niſi faciat, ad nihil valet, et deterior eſt reliquis arboribus, quarum ligna et termites alium praebere poſſunt uſum utilem; ſed lignum vitis prorſus contemnendum eſt, et abjiciendum. Comparatur *vitis*, reſpectu ſolius ligni, cum reliquis arboribus, adeoque utrobique praeſupponitur eſſe eas infrugiferas; quo etiam facit, quod עץ *lignum* adpelletur, et vitis, et quaecunque alia arbor. Etſi enim pro *arbore* ſubinde veniat, etiam frugifera, hic tamen ad ſolum *lignum*, qua tale, reſpicitur: uti facile adparet; et praeſupponitur *vitem* nullum proferre fructum; quod recte obſervandum eſt. Adfirmatur, per modum interrogationis, *lignum* vitis nihili eſſe faciendum inter ligna arborum qualiumcunque, ſive in hortis ſive in ſylvis ſint: quem ſignificatum habet particula מה, quae, ut *quid* Lat., ſaepe eſt *inficiantis* uti 1 Sam. X: 27. Job. IX: 2. ſic et במה pro *nihilo* ſumitur Jeſ. II: 22. vid. Lette anim. ad V. T. p. 142. et כמה *quotnam* vel *quantum*? ſpecies negationis eſt aut imminutionis pro *parum* aut *nihil*, Pſ. CXIX: 84. Job. XIII: 23. *Quid erit lignum vitis* itaque idem eſt, ac nihil, nullius uſus; additur *ex omni ligno* h. e. ex omnibus reliquis arboribus, ſive *inter* ligna reliqua. Solet verti, *prae omni ligno*; minus recte, et ex uſu voculae מה non obſervato: non enim ſenſus eſt, *lignum vitis* reliquis lignis non eſſe praeferendum, ſed inter ligna reliqua illud *vitis* nihili eſſe faciendum, quod

etiam usitato voculae מ ex מן significatui congruentius est. Posterius vers. 2. membrum est ellipticum, ex praecedente supplendum, quippe quo idem de *palmite* vitis adfirmatur, quod modo de ipsa arbore vitis: voces itaque *palmes*, *qui est in lignis sylvae*, ut proprie sonant, hac ratione supplendae sunt: *quid erit palmes ex omni quod est in lignis sylvae?* h. e. inter sylvestrium arborum termites seu ramos nihili est faciendus *palmes* vitis, hic adpellatur זמורה a putando et amputando. Quod si haec ellipsis alicui nimis insolita videatur, is, vocem זמורה *palmitem* loco suo motam, et ante *ex omni ligno* ponendam esse, statuat, quod non est sine exemplo, incuria descriptorum, hac ratione: *quid lignum vitis, quid palmes erit ex omni ligno quod est in lignis sylvae.* Quod forte facilius est, et verius. Illustratur et confirmatur haec thesis ex eo, quod ex ligno vitis *nihil* sumi possit, quo fiat *instrumentum* ad aliquod opus, uti ex aliis arboribus, unde fiunt naves, trabes, mensae et alia instrumenta; *palmes* ipse non valeat ad *paxillum*, unde vas suspenditur, sicut *rami* aliarum arborum. Hic sensus et scopus est vers. 3. *an sumetur ex illo lignum ad faciendum in opus? an sument ex eo paxillum* etc. prius referendum est ad ipsum *truncum* vitis, posterius ad *palmites* ejus; cujus utriusque modo facta fuerat mentio. Qua ratione cuncta recte fluunt, et sibi bene respondent: *posterius* quoque ad *palmitem* respicere, inde firmatur, quod non tam *truncus*, quam *palmes*, sit ad vas sustinendum instar *paxilli* ineptus. Reliqua nihil habent difficile.

§. CCLIV. *Posterior* pars similitudinis illam ligni vitis et palmitis ineptitudinem adgravat et majorem facit ex *ambustione* ejus, per quam fit, ut adhuc minus ad aliquid valeat, et magis sit abjiciendum, tanquam inutile; his verbis vers. 4. 5. *Ecce igni traditum sit ad absumendum, duas extremitates ejus devoraverit ignis, et medium ejus ambustum sit, an succedit ad opus? ecce cum adhuc integrum erat, non aptabatur ad opus, multo minus, quum ignis consumsit illud, et ambustum est, et aptabitur amplius ad opus.* Quorum sensus

sus et scopus, ut rectius, quam vulgo fieri solet, percipiatur, haec *tria* sunt observanda. *α. Primum* est, innui quidem lignum vitis cum palmite esse in ignem conjiciendum, illudque praesupponi, sed non directe hic adfirmari, sed hypotheticam esse orationem, eoque tendentem, ut ligni vitis, igne ambusti, ineptitudo magis inculcetur; non ergo sensus est, *ecce igni dabitur*, vel *datur*, acsi *scopus* et consequens ligni vitis exponeretur, tanquam quod ad nihil utile sit, quam ut igni tradatur; sed, si amburatur lignum, major longe erit ineptitudo ejus; adeoque verti debent verba, ut feci, *ecce igni traditum sit — — — an succedet*, etc. h. e. posito, illud igni amburi, nonne erit ineptius? Quem sensum et structura sermonis requirit, et sequens versus clare adfirmat: ut legenti patebit. *β. Secundum* est, lignum vitis non repraesentari totum combustum, et in cineres redactum, sed in extremitatibus tantum combustum, medio ejus quidem ambusto, et tosto igni, sed instar titionis relictum superstes. Cujus indicium in eo est, 1. quod *extremitates* tantum dicantur *combustae*, et *medium* ejus ambustum seu *tostum*: quae diversitas phrasium non recte est animadversa aut intellecta, licet haud obscure se offerat. Verbum אכל adhibetur de *extremitatibus*, et נחר de *medio* ejus: prius denotat totalem combustionem, quae in cineres redigit, sed *posterius* ambustionem, seu ignitionem, qua igni totum quid est penetratum, et tostum, absque ut sit absumtum. Radix חרר proprie dicit, *caluit*, *ferbuit*, *incanduit*, ita ut totum sit ignis particulis repletum; quale quid in principio *candescit*, dein frigidum factum *nigrescit*; a *candescendo* fluxit usus *ingenuitatis*, *nobilitatis*. et *igneae virtutis*. Vid. Schult. ad florileg. p. 170. et חררים sunt *loca candentia*, in quibus *aestus* simul et *sitis* candent, et candescere faciunt eum, qui ibi versatur. *Lignum* itaque medio suo *ambustum*, et igne totum occupatum, ac mutatum, intelligitur. 2. quod in lignum totum combustum non quadret interrogatio, *an succedit ad opus?* et quod vers. 5. habetur; *integrum* non

valebat, quanto minus ambuſtum. Cum itaque in principio verſ. 4. dicitur, *ecce igni traditum ſit ad conſumendum*, illud, ne de totali combuſtione capiatur, mox explicationis ergo ſubjungitur, *duas extremitates ejus abſumſit ignis, medium ejus ambuſtum eſt*, adeoque *conſumtio* illa reſtringitur ad *extremitates* tantum, ſalvo *medio*, ſed *ambuſto*; quo eodem ſenſu verſ. 5. dicitur, *quanto magis quia ignis abſumſit illud et ambuſtum eſt* h. e. *abſumſit* ratione *extremitatum*, et *ambuſtum* reſpectu *medii*. *γ*. *Tertium* eſt, cum diſtincta fuerit mentio facta *ligni* ſeu *trunci* vitis, et *palmitis* ejus, id, quod de *extremitatum* conſumtione et *medii ambuſtione* habetur, ad utrumque illud eſſe referendum, ita ut diſtincte *lignum* repraeſentetur in *extremitatibus* conſumtum, et in *medio* ambuſtum, nec non *palmes* eodem modo. Quod facile cernitur. Plura non requiruntur ad verborum intellectum; de re ipſa, vel *ligni* vitis, et *palmitis* ejus inutilitate ad opus et inſtrumentum, ſatis conſtat, et ab interpretibus obſervatum eſt.

§. CCLV. ב. In explicatione et adplicatione emblematis a Deo ipſo prophetae facta, *α*. declaratur in genere illud, quod de *ligni* vitis ineptitudine, eaque majore poſt miſſionem in ignem ad conſumendum, ſupra dictum eſt, reſpicere ad *incolas Hieroſolymae* verſ. 6. his verbis; *propterea ſic dixit Dominus Jehova; quemadmodum lignum vitis inter ligna ſylvae, quod in ignem immiſi ad combuſtionem, ſic tradidi incolas Hieroſolymae*. h. e. Hieroſolymitani ſicut ſimiles ſunt viti infrugiferae, cujus lignum ad nihil valet, ita eandem ſortem, quam lignum vitis inutile, quod in ignem ad conſumendum mittitur, ſubibunt, igni judiciorum meorum ad deſtructionem eorum tradendi a me. Adfirmat itaque Deus, Hieroſolymitanos eſſe purum putum lignum vitis, et, quod ſupra in emblemate hypothetice dictum erat, de *ligni* immiſſione in ignem, illud hic abſolute iis denunciatur. Indicatur itaque 1. Hieroſolymitanos eſſe *vitem*, et habere *palmites*, h. e. populum eſſe eo ſcopo formatum, et aptum

aptum redditum, ut fructus ferat gratos et jucundos: et *palmitibus* esse insignitum, seu regno et sacerdotio; exstantioribus membris civitatis, etc. De quo emblemate *vitis* ex Jes. V., Ps. LXXX. et aliunde satis constat, et ab aliis abunde expositum est. 2. Vitem esse cum palmitibus *infrugiferam*, quatenus fructus pietatis, religionis et probitatis non fert; sed contra. 3. nudum itaque et purum putum lignum, ad nihil utile; cum scopo institutionis exciderit; et ad statum civitatis, vel Ecclesiae tuendum inutilis factus, secus ac gentilibus populis proprium est, qui, licet infrugiferi, tamen utiles sunt, et societati tuendae, et providentiae Dei exequendae. 4. denique judiciis Divinis tradendum esse, famis, pestis, et gladii, eaque ratione superstites adhuc inutiliores futuros; magis abjectos, et contemtos: uti mox explicatius traditur. Quam sortem subiret et *truncus*, et *palmes* vitis, seu populus, civitatem constituturus, et regia domus Davidis per *palmitem* expicta; ac *sacerdotalis*, seu praesentes urbis et populi reges et *sacerdotes*.

§. CCLVI. β. Judicii Divini, et sortis Hierosolymitanorum accuratior traditur explicatio vers. 7. *Et dabo vultum meum in ipsos, ex igne egredientur, et ignis absumet eos, et cognoscetis me esse Jehovam, quum posuero vultum meum contra ipsos.* Quibus distincte traditur, Hierosolymitanos partim esse absumendos, partim in statu vili et misero futuros; qui manserint superstites, et a Deo abjiciendos, ac omnibus fore contemtui; haud absimiliter ligno in extremitatibus combusto, et in *medio* ambusto. Huc enim respiciunt, et hunc fundunt sensum, verba, *ex igne egredientur, et ignis consumet eos*, quae Interpretes expedire non valuerunt, sed perverse admodum explicuerunt de malorum continua successione, qua ex igne egressi denuo in alium inciderent, donec absumerentur; imo post Origenem Coccejus de igne Babylonico et Romano cogitavit, tanquam sibi successuris. Ceperunt itaque verba, acsi legeretur: *ex igne exibunt, et ab alio igne consumentur.* Quod hic non habetur, nec de

 alio,

alio, sed eodem igne manifeste agitur; *duo* autem traduntur de Hierosolymitanis, quae ipsis hoc tempore evenirent, *alterum* est, quod igne ambusti superessent, *alterum* quod consumerentur igne, adeoque *partim* consumerentur et perirent, *partim* residui manerent igne pleni, seu omni dignitate, et fortuna spoliati, ac contemti, et miseri. Respicitur manifeste ad superiora, quibus lignum vitis in *extremitatibus* dicitur *comburendum*, et in *medio* tantum *amburendum*, adeoque adustum superfuturum, quod hic dicitur, *prius* comburi et consumi igne, *posterius ex igne exire*, scilicet adustum superesse, instar *titionis* ex igne sumti; non enim *liberari* simpliciter et *eripi* denotat, sed miserum et vilem ac inutilem superstititem manere; instar *ligni* ex igne educti. Traditur itaque hic explicatio superioris emblematis *ligni* vitis ac *palmitis* ejus cujus *extremitates* comburerentur, et *medium* ambustum restaret. Per *duas extremitates* trunci vitis, emblematis populi Hierosolymitani, igne penitus absumendas, expingitur, non terra ad septentrionem et austrum Hierosolymae, per *medium* repraesentatae, ut putatur, quod abhorret, cum de *incolis* Hierosolymae hic agatur vers. 6., sed longe maxima pars populi, et per *medium* minima ejus, quia exigua pars, *illa* penitus exscindenda, *haec* residua futura, sed spoliata, omni ornatu, omnibus opibus ac viribus privata, simul abjicienda, tanquam *inutilis*, et contemtui exponenda, quemadmodum de *residuis* habetur Jer. XXIV. et Ezech. XII: 16. XIV: 21. et alibi. Praeterea per duas extremitates *palmitis*, et *medium* ejus, *illas* ad cineres redigendas, *hoc* superstes, sed *ambustum* superfuturum, recte quoque intelligimus maximam partem domus Davidicae et Aaronicae, seu regiae, et sacerdotalis, esse delendam, *paucis* tantum superstitibus in statu vili et misero, quo *vasa* suspensa tenere nequeant instar *paxilli*, vers. 3. quemadmodum Jer. XXXIII: 23. habetur, ubi de duabus illis familiis instaurandis agitur, nec non Am. IX: 11. ubi de tabernaculo Davidis collapso, sed restituendo, agitur. Domus Davidis

regia

regia per Chaldaeos eſt partim deſtructa, partim in exilium et ſervitutem abducta; uti notum eſt, aeque ac *ſacerdotalis* Aaronica, et utraque, tanquam inutilis abjecta a Deo; quod hic praecipue intenditur, ad illuſtrationem ſuperioris prophetiae c. XIV: 21. ut ſupra diximus.

§. CCLVII. γ. In ſignum partim deſtructionis partim abjectionis populi, et ad cauſam ejus exponendam, ſubjunguntur haec verba verſ. 8. *Et dabo terram ſiderationem, propterea quod praevaricati ſunt praevaricatione*, vel omnia vincula, omnia jura ſacratiſſima, abruperunt, quae vis eſt verbi מעל in *ſcindendo, abſcindendo*, ſita, ſpeciatim vincula, quibus perſonae erant ſecum connexae. Hinc judicium Dei erat repetendum, quo Hieroſolymitanos abjicit, ita ut *terra*, incolis privata, jaceret *ſiderata* vaſta et inanis, tanquam fulmine aduſta; in ſignum totalis deſtructionis et abjectionis populi. Quae nihil habent obſcuri. Extenditur itaque judicium ad totam terram, quae deſolata jaceret, incolis, ad exemplum Hieroſolymitanorum, partim occiſis, partim abductis, aut alio migrantibus.

CAP. XVI.

§. CCLVIII. D*ecima* revelatio, hoc capite comprehenſa, et eodem tempore facta, eodem tendit, quo ſuperiores; ad juſtificandum judicium Dei ſuper Hieroſolyma, et incredulos de neceſſitate ac certitudine ejus convincendos, et puſillanimes fideles in ſpe reſtitutionis confirmandos, ne putarent actum fore de Hieroſolyma et civitate Judae, in perpetuum. Hoſce in fines Deus per prophetam hoc in capite *abominationes*, eaſque ſecuturum judicium excidii Hieroſolymae vivis coloribus, et emblematice depingit, ſed ſubjungit luculentum promiſſum inſtaurationis per modum appendicis ad piorum conſolationem. Ipſius revelationis praecipuum

cipuum argumentum et ſcopum Deus declarat, dum prophetae injungit, mox in principio, ut *Hieroſolymam cognoſcere, agnoſcere, et experiri faciat abominationes ſuas*, verſ. 2. abominationes nimirum recenſendo, et earum vindicationem denunciando. Quod utrumque verbo ידע eſt involutum, dicit enim et notitiam, et poenam exemplarem: uti alibi ſaepe obſervavimus, ſic et הודיע in Hiph. *experiri facere*, punire Jud. VIII: 16. et alibi. Utrumque hic agit propheta; Objectum itaque eſt *Hieroſolyma*, tanquam metropolis civitatis, et Eccleſiae, tribus Judae; diſtinguitur enim a *Samaria*, ſorore ejus dicta; metropoli civitatis et Eccleſiae Iſraelitarum reliquorum. *Urbs* itaque cum populo Juda hic eſt intelligenda; ſed ea tanquam *metropolis*, ad quam in ſeq. manifeſte reſpicitur. Sunt autem *duae* partes revelationis, praeter adpendicem, *tertiam* ejus partem; *altera* repraeſentat *abominationes* ejus, *altera* judicium Dei, utraque diſtinguitur per formulam, *ſic dixit Dominus* Jehova, verſ. 3. et verſ. 36. Siſtit autem Hieroſolymam ob oculos ſub imagine *foeminae*, vilis et obſcurae originis, in ſtatu foedo a nativitate, ſed adoptatae a Deo, educatae, et nubilis ductae in uxorem, ac magnifice lauteque habitae, denique adulterae factae, penitus infamis et proſtitutae, tandem rejectae, et exemplari judicio punitae. Quae imago ſatis uſitata, et per totum caput regnat, ſimul ſtylo luxuriante, reſque obſcoenas nude et ſimpliciter exponente ad pudorem Judaeis incutiendum, a propheta vivis depingitur coloribus, etiam explicatu hic illic difficilioribus.

§. CCLIX. In *prima* parte ſeſe offerunt foeminae hujus natales, et fata ac mores per varias aetates, infantilem, puellarem, ſeu virginis nubilis, et adultam, ſeu uxoris. א. Natales, ſeu familiae, unde orta fuit, his verbis deſcribuntur verſ. 3. *Conflaturae tuae et nativitates tuae e terra Cananaea, Pater tuus fuit Amorrhaeus, et mater tua Chittaea.* h. e. Patria tua, ubi conflata, et unde traxiſti naturam et indolem, eſt *Cananaea*, parentes tui, ex quibus genita,

quorum-

quorumque ad imaginem formata es, ſunt *Amorrhaei* et *Chittaei*; adeoque infamem, idololatricam, et abominabilem habuiſti originem, et ab ortu tuo talem indolem; gloriaris quidem te eſſe nobiliſſimam prolem, a Patriarchis ortam, ſed longe ſecus eſt, cum indoles tua longe alios ſpiret natales, acſi non ex patriarchis piis, ſed idololatris impiis eſſes nata; quippe quibus ſimilior ab ipſa nativitate fuiſti, quam Abrahamo, Iſaaco, et Jacobo, adeo ut non ex his, ſed illis recte dici poſſis orta. *Terra* itaque nativitatis vocatur Canaan, et *parentes* Amorrhaei et Chittaei, non proprie et litteraliter, ut facile cernitur, ſed improprie et figurate; quatenus indole et adfectionibus Amorrhaeis et Chittaeis ſimiliores ſint, quam Abrahamo et patriarchis: quo ſenſu ex *patre diabolo* eſſe dicuntur Joh. VIII., et *progenies viperarum* Matt. III.; Sic, qui tardo et ſtupido ſunt ingenio nati dicuntur ex *robore* aut *ilice*, qui inhumano et ſaevo ex *leone*, *tigride*, ſaxo aut ſilice, apud Ovidium Virg. et Senecam. Quae loca jam produxit Sanctius. Sed non eſt pura puta figura, ut in phraſibus adductis, verum aliquid veri et proprii habere debet in progenitoribus et parentibus populi Judaei; quo hic reſpicitur, et unde figura deſumta eſt, maxime cum patriam adpellet *Cananaeam*, et parentes *Amorrhaeos et Chittaeos*. Quod quid ſit quaeritur, ſunt qui ad *Abrahamum*, ex parentibus idololatricis natum, in Meſopotamia, Joſ. XXIV: 7. reſpici putant; minus recte, *cum*, quod ratio tunc reddi nequeat Cananaeae, et Amorrhaeorum ac Chittaeorum, unde nati ſint Judaei, *tum* quod de *Juda*, ſeu Judaeis, proprie dictis, hic praecipue agatur, licet reliquos Iſraelitas non excluſos velim, qui in ſeq. titulo *ſororis* hujus foeminae inſigniuntur. Digitum intendi rectius ſtatuitur, *cum* ad uxorem Judae, progenitoris eorum proximi, *Cananaeam*, Gen. XXXVIII. qua cum fuit copulatus, et ex qua *tres* filios procreavit, quibus uxorem, uni poſt alterum, dedit *Tamarem*, itidem Cananaeam, ut probabile eſt, ex qua nati ſunt *Peres et Zarah*, unde ſunt Judaei, quod Coccejus

jam obſervavit, *tum*, quod addo, ad *inceſtum* Judae ipſius cum *nuru* ſua Tamar, unde originem traxerunt, quod morem deteſtandum *Amorrhaeorum* et *Chittaeorum* ſpirabat Lev. XVIII. Confirmat, quod Eſavitae, per *Sodomaeos* intelligendi verſ. 46., ut ſuo loco videbimus, *ſororis* ejus titulo inſigniti, quoque ex progenitrice *Chittaea* ſint, uxore Eſavi; Gen. XXVI: 34. Senſus itaque eſt, Judaeos ex matre Cananaea vere ortos, ac infami concubitu Patris, Indole et moribus ſeſe Cananaeis et infamibus populis praebere ſimiles, acſi ex iis, et non patriarchis, eſſent nati. Sed verius eſt, et hic proprie in cenſum venit, *Amorrhaeos* et *Chittaeos* adpellari, quod illi tantum praecipui fuerint Cananaeorum, praeſertim quod Amorrhaei, Chittaei, et Jebuſitae fuerint vicini, et in tractu montano auſtrali habitarint, Num. XIII: 29. quem deinceps acceperunt *Judaei*, quorum progenitores itaque illi recte adpellantur, quia in eorum ſedes venerunt, quod eorum indolem exprimant. Ceterum, ad intellectum verborum, notandum reſtat, vocem מכרתיך pertinere ad *ſolum* nativitatis Cananaeam, et מלדתיך ad parentes; quod *poſterius* facile patet, et ex verſ. ſeq. 3*to* manifeſtum fit, *prius* inde etiam elucet, quod *terrae* haec vox et *patriae* adjungatur, infr. XXI: 35. et XXIX: 14. Radix eſt, non מכר ut vulgo, ſed כור in *globum congeſſit*, *conglobavit*, unde כיור *lavacrum* rotundum, ſive *olla*, ſive foculus et fornax; hinc מכורה *conflatura* ſeu *locus conflationis*, ubi aliquis conflatus et formatus eſt, et hinc *indoles* natura, in qua quis eſt informatus. Senſus ergo eſt, Judaeos indolem traxiſſe ex patria Cananaea, et imaginem habere ex Amorrhaeis ac Chittaeis, ex quibus ex parte nati ſunt, quorumque in ſedes ſucceſſerunt; eaque ratione quaſi eorum poſteri, quippe iis ſimiliores, quam veris progenitoribus Abrahamo et patriarchis, a quibus mirum quantum degenerarunt. Denique addendum eſt, *Hieroſolymam*, cujus hic quoque ratio eſt habenda, ut ex dictis et dicendis clareſcit, hoc tempore nativitatis populi adhuc fuiſſe poſſeſſam a Cananaeis;

naeis; qui *Jebusaei* adpellantur, et cum Amorrhaeis ac Chittaeis conjuncti sunt; iisque vicini; in quorum locum dein successerunt Judaei, qui primum una ibi habitarunt cum Jebusaeis Jud. I: 21. dein sub Davide soli. Quae ultima observata mox usui erunt, ad tempus nativitatis populi, et varias ejus aetates recte definiendum.

§. CCLX. ב. Sequuntur nunc fata populi per varias aetates seu periodos, sub imagine foeminae, primum *infantis*, dein *virginis* pulchrae et nubilis, denique *uxoris* Dei insigniter ornatae et ditatae vers. 4—14. In qua pericopa α. repraesentatur populus tanquam foemina, a nativitate sine ulla cura, ad vitam ejus necessaria, projecta in agrum, et ab omnibus deserta, ita ut morti fuerit proxima vers. 4, 5. *Et ad nativitates tuas* quod adtinet, *die*, *quo nata es*, *non praecisus est umbilicus tuus*, *nec aqua es abluta ad tersionem mihi*, *neque sale es perfricta*, *nec fasciis ligata*. *Non connixit super te oculus alicujus ad faciendum tibi unum ex iis*, *mollem se tibi praebendo*, *et abjecta es super facie agri in fastidium animae tuae*, *die*, vel a die, *quo nata es*. Respici ad infantem in sordibus nativitatis abjectum, qualis erat nudus et solutus, nec ullius misericordiam ac curam, qua tollatur et curetur, expertum; adeoque praesentissimo vitae periculo expositum, facile adparet; nec hac parte aliquid inest difficultatis, nisi in voce לְמִשְׁעִי *ad tersionem mihi*, uti verti, quam expedire non potuerunt interpretes; sed fecit Cl. Schult. defect. §. 21, et 28— ubi docuit משע proprie esse *mulierem tergere*, vel blanda manu *pertergere*, adeoque eam intelligi curam religiosam, qua *sordes foetus a matre rubentis eluuntur*, *exterguntur*, idque manu *molli*, ac totum corpus permulcente, quae omnia in radicem confluunt; est praeterea pleonasmus emphaticus pronominis affixi in לְמִשְׁעִי, respondens Lat. *mihi*, ut fit *ad tersionem mihi* ab eodem ibid. quoque observatus. *Duo* autem de hoc infante praedicantur, *alterum* est, eam a parentibus non fuisse *curatam*, sed abjectam, *alterum*, neminem fuisse alium, qui ejus curam susceperit,

ceperit, vel cum fructu et effectu potuerit: *prius* verſ. 4., *poſterius* verſ. 5. traditur; *curatio* infantis recens nati quatuor comprehendit, reſecare umbilicum, aqua leniter lavare, ſale perfricare, et faſciis ligare; quorum duo *priora* ad *purgationem*, *poſteriora* ad firmitatem corporis, omnia ad vitam infantis conſervandam et fovendam pertinent, nec noſtra opera indigent, ab aliis etiam ſatis illuſtrata.

§. CCLXI. Majoris fuerit definiviſſe *tempus*, quo hic reſpicitur, et *ſenſum* emblematis explicuiſſe, ac ad populum Judaeum et Hieroſolymam adplicuiſſe; maxime cum Interpretes magis minuſve omnes a vero aberrarint. *Quod* ad *tempus* adtinet; Interpretes cogitare ſolent vel de Abrahamo in Meſopotamia ex familia idololatrica nato, vel de Iſraele in AEgypto adflicto. Sed *neutrum* ferri poteſt, minus *prius*, quod ratio reddi nequeat nativitatis in Cananaea et ex Amorrhaeis ac Chittaeis; nec etiam primum effectum curae Dei verſ. 7. conveniat in Iſraelem in AEgypto degentem; multiplicatus quidem ibi eſt populus, ſed nec floruit, nec pulcher, firmus ac proſper factus eſt, ut ibi dicitur: *poſterius* etiam hac difficultate peculiari premitur, quod jam ante adflictionem fuerit *multiplicatus*, nec in AEgypto floruerit, et proſper factus ſit. Sed *neutra* hypotheſis convenit *ſubjecto*, per infantem depicto, ejuſque nativitati in Cananaea, et ex parentibus Amorrhaea ac Chittaea. *Subjectum* eſt populus Judaeus in ſpecie Juda, et Hieroſolyma, ut ex ſupra dictis liquet; repraeſentatur autem hic tanquam recens natus in ipſa Cananaea, et ex parentibus, qui ſedes Amorrhaeorum ac Chittaeorum tenebant, abſque ut illi penitus eſſent exterminati, ſiſtitur denique populus, cum natus eſſet, in ſtatu corrupto vili et miſero poſitus, imaginem et indolem non parentum propriorum, ſed peregrinorum, et in quorum ſedes venerant, ac in medio adhuc verſabantur ferens, adeo ut ex hiſce cenſeri debeant nati, ſed ab iis abjecti, et a nemine curati cum effectu. Quae ſi ad animum revocentur, et ſequentia conferantur, in nullum

lum tempus populi Judaici aptius videbuntur quadrare, quam quo terra Cananaea occupata, divisa et possessa, *nova* generatio, ex iis orta, qui terram sibi vindicaverant, in lucem prodiit, et parentibus successit, corrupta et idololatrica Jud. II: 10.— Judaei itaque, ex mea hypothesi, hic depinguntur, quales fuerunt ab eo tempore, usque donec per Samuelem, Saulum, et in specie Davidem, a Deo sunt curati, et ad meliorem statum aptati, qui describitur vers. 7. etc.

§. CCLXII. Commendat se haec hypothesis, quod omnes imaginis partes faciles inde nanciscantur explicatus, et haec pars in populum ejus temporis unice quadret: quod paucis illustrandum est. 1. Repraesentatur populus sub imagine *foeminae* recens natae in *Cananaea;* quatenus prima fuit generatio eorum, qui in eam venerant, et eam sibi vindicaverant; unde itaque status infantilis recte ducitur. 2. Sistitur tanquam ex Amorrhaeis et Chittaeis originem habens, quippe in quorum sedes venerant *Judaei*, quorum hic praecipua habetur ratio, et ubi erat Hierosolyma; quatenus a veris suis genitoribus et antiquissimis, et proximis, plane degeneraverant, adfectiones et corruptiones Cananaeorum induerant; adeoque recte dici poterant ex iis nati, ut supra exposui. 3. Describitur porro haec infans a parentibus, quorum imaginem praeferebat, spreta et abjecta: quod facile ad Judaeos a Cananaeis non curatos, sed rejectos, adplicari potest, magis etiam, quod, uti Cananaei et Philistaei eorum praecipui hostes fuerunt, ita Jebusaei Hierosolymam tenentes eam privarunt honore et splendore, ipsi destinato; 4. Comparatur porro populus cum infante puella in sordibus naturalibus jacente, umbilico non rescisso, nec lota, nec sale adspersa, nec fasciis constricta; adeoque in statu vili, misero, infirmo et contemtibili; qui in mortem exire deberet. Quae elegans est pictura populi corrupti et idololatrici, simul infirmi, abjecti et miseri, in quo tandem exspirare deberet. *Corrupta*, et *idololatrica* ejus conditio recte per *umbilicum non resectum*, et *sordes* non ablutas, ad Deo nitendum,

tendum, expingitur; ut facile cernitur. *Umbilicus* non resectus, sicut indicat connexionem durantem cum matre Chittaea, seu idololatrica, ita corruptionem nativam sese exserentem, denotat. Stylo enim Orientis *umbilicus* inter alia usurpatur pro principio et radice quasi vitae animalis, unde humorem nutrientem primitus hausimus, et inde pro corruptione nativa et alte insita, in qua concepti et nati sumus. Vid. Jer. III: 17. et ibi dicta; *sordes* nativitatis non ablutae eodem etiam facile tendunt, cum maternum sanguinem, et alias naturae sordes infanti adhaerere, et eum deturpare, ac impurum reddere, significent. *Infirmus* vero et solutus status populi recte depingitur per negatam frictionem salis, ac fasciarum ligaturam, ad corpus firmum reddendum, et membra consolidanda ac recta facienda, tendentem. Qui verus conspectus fuit populi Israelitici sub *judicibus*, vel tota periodo, quae post Josuam et seniores fluxit usque ad Samuelem et Saulum. Nec aliam praetulit faciem Hierosolyma, vilis et abjecta urbs, simul idololatrica, usque ad Davidem. 5. Dicitur praeterea infans puella *super faciem agri projecta*, egregium emblema populi neglecti, contemti, et cujusvis insultationi ac conculcationi expositi: uti Judaei hac periodo experti sunt, teste historia; et Ps LX. 6. *Jacuit* praeterea ibi in *fastidio animae suae*; quatenus et aliis et sibi fuit aversationi; quam per multiplices querelas, et murmurationes saepe demonstravit; manus etiam subinde in se ipsam injecit, ut tempore belli Benjaminitici, et sub Gideone ac Jephta. 7 Denique nullum nacta est infans puella patronum, qui ejus misertus efficacia adplicuerit ipsi remedia, quibus in vita manere, et firmari ac educari possit. Quod ipsum a Judaeis eo tempore non multum abhorret. Tentarunt quidem subinde judices, et inceperunt id facere, sed nemo inventus, qui cum durabili effecto id praestitit, Hierosolymam nemo quidem tentavit ab illis sordibus purgare, et in metropolin formare, ante Davidem. Nullus praeterea fuit inter vicinos, qui hujus populi

populi misertus sit, contra, varii ipsi insultarunt, et manus violentas injecerunt, eumque in statu vili et abjecto perseverare fecerunt.

§. CCLXIII. β. Sequitur secunda *periodus*, qua populus Judaeus, cum ipsa Hierosolyma, benevola Dei cura, multiplicatus, ornatus et formatus est, absque tamen ut sedes regni et religionis fuerit urbs facta. Quae conditio a Samuele ad Salomonem usque duravit, et per Samuelem, Saulum, et praecipue Davidem est effecta; hic autem depicta et repraesentata per infantem puellam curatam, et educatam, donec ad aetatem adultam et nubilem pervenerit vers. 6, 7. his verbis: *Et transivi juxta te, et vidi te conculcantem te in sanguinibus tuis*, (rectius *inquinantem* Vid. Scheidius disp. ad V. T. sub Cl. Schroedero p. 23.) *et dixi tibi in sanguinibus tuis, compacta vivas, et dixi tibi in sanguinibus tuis, compacta vivas; spissitatem instar germinis agri dedi te, et spissa ac firma adolevisti, et intrasti ornatus ornatuum*, (vel potius *usque ad voluptates sentiendas et desiderandas* aut *ad tempus voluptatum*) *ubera tua* (legendum enim est שדיך, ut Graecus et Syrus habent, etiam MSS.) *solidata sunt, et capillus tuus splendide emicuit; et*, vel *sed, tu nuda et retecta*, seu usque ad pudenda nuda. Quae, quoad litteram, parum difficultatis habent, respicitur ad infantem puellam, quae a sanguinibus rubens et projecta, ac conculcationi exposita, seu inquinata insignem nacta est patronum, ejus misertum, qui ipsi opem suam addicit, et adfert, qua curata est, et in virginem nubilem ac pulchram adolevit, ita ut firma et compacta simul formosa fuerit facta, mammis bene instructa, et capillitio comata; attamen nuda adhuc tota, et ad concubitum prona, sine vestitu et ornamentis, sine marito, nuditatem ejus tegente, et sibi servante retegendam. Describitur 1. benevolum patroni promissum, quo curam suam infanti miserae addicit, ad firmam et splendidam ipsi procurandam corporis conditionem, his verbis: *et dixi, compacta vivas*; (bis licet legatur in textu hodierno semel

 tamen

tamen in versionibus Graeca et Syr. ut et in MSS. nonnullis, videtur quoque repetitio superflua, nisi emphaseos caussa id fieri statuatur, ut mox dicam) *spissitatem instar germinis agri dedi te;* h. e. promisi tibi, me curaturum, ut corpore bene compacto vivas, quod est רבה proprie *coagmentare* et *in unum* compingere, unde etiam de *corpore firmiter* compacto usurpatur, Ex. I: 19. 2 Sam. XXIII: 20. et alibi; simul in spissam molem, et eximiam staturam, excrescas; quod phrasis significat, *spissitatem instar graminis agri dedi te,* h. e. promisi te talem futuram, densam, spissam, proceram, ac pulchram; 2. additur effectum secutum, quum dicitur, *et spissa, ac firma, facta es, intrasti ornatum ornatuum* (pulchram et venustam faciem, speciem et staturam, accepisti: de alio enim ornatu externo non agitur, et mox *nuda* dicitur, forte rectius leg. בעדי עדנים *usque ad voluptates sentiendas,* vel בעת עדנים, ut mox עת דודים) *ubera firmata sunt, et crines emicuerunt tui* (nubilis facta es, mammis turgida, et crinibus ubique, ut puella nubilis, vestita, in capite scilicet et pudendis; non enim est restringendi ratio, et posterius etiam intendi ex nexu cum praeced. videtur liquere) *attamen tu nuda* et *pudendis retecta* (sine ullo vel minimo vestitu, tota nuda, usque ad *pudenda,* instar puellae veneris cupidae, eo enim tendere videtur, quod non ערם *nuda* simpliciter dicatur, sed simul עריה cum adlusione ad ערוה, qua voce *pudenda* nudata exprimi solent. Indicatur itaque puellam, pulchram licet, et bene compactam, omnibusque partibus recte ornatam, adhuc caruisse marito, et protectore, quocum consueseret, et a quo pulchre vestiatur, esse tamen ejus cupidam vid. vers. 8. Plura non necesse est addere.

§ CCLXIV. Explicemus nunc sensum emblematicum, et adplicemus ad statum populi Judae et Hierosolymae, durante periodo sub Samuele ac Saulo, et Davide; incepit enim sub illis, et sub hoc est consummata; quo pertinet, quod dictum Dei duplex occurrat, *dixi in sanguinibus tuis vive, dixi*

dixi in sanguinibus tuis vive; quae repetitio si genuina sit, de quo modo monui, non est otiosa, nec certitudinis tantum nota, sed ad duplicem periodi partem respicit, *alteram*, qua incepit compacta vivere et crescere, *alteram* qua in eo statu consummata est, et vitam compactam, pulchramque staturam in omni emphasi accepit. *Dixit* illud Deus quum populo promisit plenam liberationem ab hostibus tempore Samuelis 1 Sam. VII: 3. et uncti Sauli ibid. IX: 16. Sed repetiit Deus, et longe luculentius sub Davide; etiam in specie respectu *Hierosolymae*, in metropolin regni et religionis erigendae: cujus hic specialem rationem esse habendam dixi. Docuit etiam eventus; purgatus jam esse incepit populus a sordibus idololatricis sub Samuele et Saulo, vid. 1 Sam. VII. nec legibus eo tempore denuo invaluit idololatria; liberatus est a Philistaeis et hostibus vicinis 1 Sam. VII. et XIV: 47. Factus est populus bene compactus, firmus, simul pulcher., ac dives; 2 Sam. II: 24. Sed haec omnia consummata sub *Davide*; uti ex historia ejus nemini non notum est: in specie Hierosolyma tum est ornata, et firmata, ac in spem metropolios regni non tantum, sed et religionis adducta, ac praeparata. Sed quid sibi vult, quod puella, jam nubilis facta, dicatur *nuda* et *retecta*? significatur, ni fallor, populum Judae et Hierosolymam adhuc caruisse actuali inhabitatione Dei, tanquam *mariti*, ejusque effectis in summo splendore, et abundante copia omnium bonorum, uti factum est sub Salomone. Erat populus cum urbe illa, ut sic dicam, nubilis, et cupidus mariti, quatenus tempus ante fores erat, quo promissorum, Davidi factorum, compos fieret. Sed nondum ea praerogativa gaudebat, carebat adhuc Templo, et cohabitatione Dei in medio Hierosolymae, cujus promissum tantum habuit, et anticipatum per *arcam* sub Davide, patrocinio itaque et consuetudine Dei maritali adhuc orba erat; et eo sensu *nuda* et *retecta*; quatenus nondum habebat, qui *nuditatem* splendido ornatu tegeret, et *pudenda* obvelaret, ac sibi reservaret,

 quod

quod Deus ipsi sub Salomone concessit; quando Hierosolymam et populum Judae sibi *uxorem* adsociavit, eoque sensu ejus *pudenda* quoque *texit*, ut vers. 8. dicitur. Est itaque illud non absolute, sed restricte intelligendum, et relate ad cohabitationem conjugalem; qua rupta deinceps rursus dicitur *nuda* et *retecta* facta vers. 34.

§. CCLXV. *γ*. *Tertia* periodus sita est in populi Judae et Hierosolymae, tanquam metropolios regni et religionis actuali possessione et adsociatione a Deo sibi facta, posteaquam eam ab omnibus sordibus, ab ipso sibi contractis tempore praecedente, purgasset, et splendide tanquam regiam sedem ornasset, eo cum effectu, ut deinceps adhuc multo splendidior et fortunatior evaserit per Dei cohabitationem; qualis fuit ejus conditio sub Salomone: ad quam tota haec pericopa unice referenda est, vers. 8—14. In qua *a*. occurrit actualis conjunctio Dei, tanquam mariti, cum populo Judae et Hierosolymae, tanquam uxore, jam ante desponsata; vers. 8. *b*. descriptio status ejus ex Dei benigna cura orti, in quo fuit, cum Deus eam sibi actu adsociavit vers. 9—12. *c*. consequens hujus conjunctionis cum Deo, in status splendidi amplificatione, vers. 13, 14. Secundum quam hypothesin, et divisionem, omnes pericopae partes recte cohaerent, et ab omni tautologia liberantur, simul faciles acquirunt explicatus: ut ipsa tractatio, summatim tantum instituenda, docebit.

§. CCLXVI. *a*. Actualis inhabitatio Dei, tanquam patroni et regis, in medio populi Judae et Hierosolymae, sub imagine conjugii cum puella, eum in finem educata, jam nubili facta, his verbis repraesentatur vers. 8. *Et transii juxta te et vidi te, et ecce tempus tuum, tempus deliciarum* conjugalium, *et expandi oras meas super te, et obtexi pudendam tuam nuditatem, et juratus me tibi obstrinxi, ac veni tecum in foedus, inspiratum Domini Jehovae, et facta es mea.* Quae ad litteram depingunt, ut facile cernitur, conjunctionem conjugalem, qua sponsus sibi sponsam adsociat, solenni

pacto

pacto inito, in uxorem, cum nubilis et veneris cupida est facta. Huc omnes phrases, quae parum obscuri habent, clare tendunt. *Puella* describitur apta ad conjugalem consuetudinem non tantum, sed et eam adpetens; cum dicitur *tempus* ejus esse *tempus deliciarum*; scilicet, quae ex amore et consuetudine conjugali percipiuntur: quas vox דדים indicat; cujus proprietas est in *sugendo*, et suctu mulgendo, ac *delicias* capiendo. Sicut Lat. *delicior a lacio*, suctu traho, unde *illino*, *illecto*; unde et *ollae* significatus a deliciis, quas cibi cocti et calidi adferunt, et *canistri*, frugibus et fructibus pleni. Conjugalis conjunctio depingitur per reliquas phrases. *Expansio* enim *alarum* dicit susceptionem sponsae in tutelam et patrocinium, tanquam uxoris, uti Ruth III: 9. Jes. IV: 1. *Obvelatio nuditatis pudendae*, quam hic denotat ערוה, consuetudinem conjugalem honeste exprimit, tanquam marito soli competentem, et reservatam, aliis plane *tectam* et prohibitam, quam ipse solus *tegit*, et *retegit*. Denique *jurare* et *venire in foedus* pactum matrimoniale exprimit solenniter firmatum et sancitum: quod facillimum est: additur, *et facta es mihi*, scilicet uxor legitima, mihi soli adligata. Sed quorsum haec tendunt? vulgo ad foedus Sinaiticum, vel gratiae etiam, referunt Interpretes; de Judaeis et Israelitis in deserto hic agi existimantes. Sed, licet foedus Sinaiticum quoque comprehendatur tanquam renovatum, et pacto matrimoniali Dei cum Juda involutum, proprie tamen et directe respicitur ad foedus cum Juda et Hierosolyma initum tempore Salomonis, quo Deus declaravit ibi fore sedem regni et religionis et Deum speciatim habitaturum esse; sicut Templo aedificato, id praestitit actu. 1 Reg. VIII: 10. IX: 2. etc. 2 Chron. V: 14. VII: 1. Quare Hierosolyma in verbo prophetico sub imagine sponsae et uxoris Dei, ac matris populi sequentis proponitur, et Ecclesiae emblema est. Huc vero nos series orationis manifeste ducit, ut ex superioribus patet, huc sequentia clare tendunt, ut mox patebit. *Foedus* vero hoc

picum, variegatum et acupictum, quod est, *vestire opere phrygionico*; uti constat. Radix רקם in genere notat, quod *Lat. plumare*, vel *acu pingere*, aut variare, sive *auro*, sive alia *materia*, ope *acus* inducta; vid. Schroed. ad Jes. III. p. 221. Hic videtur vestis exterior auro et purpura variegata indicari, ut ab *interiore*, mox memoranda, distinguatur. Convenit etiam verbum לבש proprie *plicavit*, *complicavit*, et cap. XXVII: 24. *pallia hyacinthina et auro picta* occurrunt. 2. *Calcei melini* vel *ex vaccae marinae pelle*: est enim vox תחש dubiae significationis; alii intelligunt *pelles ovium* purpureas, sive natura, sive arte. Vid. Bochart. H. p. I. l. III. c. 30. alii *vaccam marinam*, *Belgice meerminne*, uti Cl. Hasaeus diss. altera de *manathi*. 3. *Fasciae* seu *taeniae* byssinae, quibus caput ornatur, et crines constringuntur, פארים dictae Jes. III: 23. de quibus vid. *Schroeder* ad eum locum: series nos eo videtur ducere, cum modo de *calceis* fuisset actum, nunc de *capitis* tegumento agit, quod hic omitti non poterat; convenit verbum חבש, cujus potestas est in *compressione arctiore*, opposita *laxationi*, unde inter alia ad *adligationem ornamenti* ad *caput* transiit, uti Jon. II: 5. sic Ex. XXIX: 9. *adligabis iis tiaras*, Ez. XXIV: 17. Consentit nobiscum Cl. Schroeder ad Jes. III. p. 102. 4. Indusium *sericum*; cui verbum כסה recte concinit, est enim proprie *involvere*, unde ad vestem, totum corpus involventem, adplicatur, vocem משי esse *sericam* demonstravit inprimis Cl. Schroeder ad Jes. III. p. 325.

§. CCLXX. β. Reliqua pertinent ad adscititia ornamenta, vers. 11. 12. uti etiam indicatur, quum praemittitur, *instruxi te adparatu magnifico*; quod generale est, et mox deducitur per partes, *ornamentis* illis recensitis. 1. Primum continet *armillas manuum*; צמידים a rad. צמד proprie *pressius adligavit*, constrinxit *vinculo*, unde inter alia denotat *manuum ligamen*, inde *armillas*. Adpellantur Jes. III. שרות, quae vox a propria *nectendi* et *struendi* potestate transiit ad *lapides pretiosos* vel *margaritas* in *armillam consertos*. Vid.

Schroed.

Schroed. ad eum locum p. 57.— 2. *Secundum* est, quod *collum* ambebat, et רביד adpellatur; cujus significatio non nisi in genere nota est. Alibi pro *stragulis*, vestibus, quibus instratus lectus; usurpatur Prov. VII: 16. alibi, ut hic et Gen. XLI: 42. pro *ornamento collari*. Conf. Cl. Schult. ad Prov., qui tamen nihil definit. Forte conferri potest cum Arab. רבט *ligavit*, unde vox derivata dicit *ligaculum*, *vinculum*, quod jam observavit Simon de form. p. 100. vel cum Hebr. quoque רפד proprie *stipare*, *suffulcire*, unde inter alia *substernere pro fulcimento*, et derivatum est *fultura*, *pulvillus coactilis*, qui substernitur, in specie *natium macrarum in muliebri mundo*. Vid. Schult. clav. p. 204. et ad Cant. II: 5. Est itaque ornamentum, quo collum extensum fulcitur, seu *collare*. 3. *Tertium* est margaritarum series infilata, supra nasum suspensa, dicta נזם, quae vox denotat *lineam margaritarum* a rad quae notat *ordinare*, certaque serie conjungere margaritas, eas trajiciendo per filum. Vid. Schroeder ad Jes. III. p. 294.— Prov. XI: 22. *monile aureum ad nasum porci* memoratur. 4. *Quartum* continet *inaures* scilicet globulorum, qui auribus adpendi solebant, nomine עגילים *supra aures*, quod proprie *compactum* dicit, inde *rotundum*, et *globulorum* genus denotat, qui auribus adpendebantur. Vid. Schroeder ad Jes. III. p. 53., alias etiam נזמים adpellantur, et Jes. III. ענפות *γαλάγμιον*: uti Id. ib. p. 50. observavit. Denique 5. *quintum* est *corona tumide decora super capite*, corona תפארת h. e. fasciae sublimioris, fastigiatae, et quasi *intumescentis*, capiti circumligatae, a rad. פאר proprie *tumuit*. inde *gloriae* et *excellentiae* usus fluxit. Vid. Schroeder ad Jes. III. p. 95. etc.

§. CCLXXI. Quod ad sensum emblematicum adtinet, putaverim in *generalibus* tutius subsisti, quam in *specialibus*, quorum specimen dedit *Pradus* et *a Lapide*, oberrare, adeoque in genere significari, Hierosolymam, tanquam metropolim regni et religionis, fuisse sub Salomone in conditione *libera*, *pacifica*, *opulenta*, *splendida*, in specie regia et

 facet:

facerdotali positam; quum Deus eam sibi solenniter, Templo perfecto, adsociavit, sedemque ibi fixam posuit. Addi potest, eam fuisse exercitio religionis et virtutis pulchre ornatam, et multiplice scientia splendide instructam, iisque nominibus Deo, sponso et marito, gratam. Quod si quis ad *specialia* velit progredi, is per *caput* redimitum intelligat *regem*, per *collum* Pontificem, per *manus* ministros sacros et civiles, per *aures* prophetas et poetas, per *nares* denique quosvis sapientes, prudentes et consiliarios.

§. CCLXXII. *c.* Duplex subjungitur conjugii jam consummati, seu inhabitationis Dei in medio populi Hierosolymae, consequens, *alterum* respectu status populi, *alterum celebritatis* ejus inter gentes. 1. Prius in eo situm est, quod populus supra modum fuerit dives et splendidus factus, illudque omnibus modis demonstraverit, praeterea laute et delicate vixerit, adeoque omni parte beatus fuerit, et prosper in regno. vers. 13. *Et ornasti te auro et argento, et vestitus tuus* fuit *byssus, sericum et opus phrygionicum; similam,* (florem farinae) *mel et oleum comedisti, et pulcherrima facta es* supra modum, *et prosperrime successisti in regnum.* h. e. pulchra non tantum et gloriosa fuisti, cum te meam feci, sed et mansisti, imo majore gradu, omnique abundantia et delectatione gavisa es in pace; adeo ut pulcherrimus et prosperrimus fuerit regni tui status. Significatur 1. splendorem et opulentiam fuisse durabilem, et majus quoque incrementum cepisse post inhabitationem Dei, 2 bonorum illorum fuisse usum pacificum, laetum et copiosum, ita ut se ipsa ornaverit nova nupta in posterum, et laute ac delicate vixerit. 3. prosperitatem fuisse per totum regnum diffusam, et omnes eam participasse, Hierosolyma in regnum felix, prosperum et splendidum, tanquam metropoli, succedente. Quae omnia ex historia Salomonis sunt notissima. Sicut etiam de *altero* consequente 2. facile inde constat; quod his verbis proponitur vers. 14. *Et emicuit tibi nomen inter gentes in pulchritudine tua;* vel *per* eam, *quia consummata est ipsa per glorio-*

gloriosam meam majestatem, quam super te posui, inspiratum Domini Jehovae. Quorum sensus, qui non est in difficili, huc redit, Hierosolymam et regnum ejus accepisse celeberrimum nomen inter gentes, in specie propter gloriosam inhabitationem Dei, ejusque majestatem in ea conspicuam, per quam *regnum Dei* factum est. Conf. 1 Reg. X: 1. et V: 14. Nihil hic praeterea observandum occurrit, praeter emphasin phrasios, *posui majestatem meam gloriosam super te*, qua simul indicatur, regnum fuisse Dei in eo Salomonis conspicuum, sicut ipse in *throno Dei* sedisse 1 Chron. XXIX: 23. legitur.

§. CCLXXIII. 2. Sequitur fusa descriptio *abominationum* Hierosolymae, quibus in lucem proferendis haec revelatio erat destinata, ut vers. 2. habetur, sub imagine uxoris adulterae, quae horrendum in modum sese prostituit, supra omnes alias mulieres, per idololatriam qualemcunque, continuo mutatam, nunc hanc nunc illam, ex vicinis gentibus desumtam, per arctam conjunctionem cum gentibus idololatricis, et fiduciam in iis collocatam, denique per terribilem morum corruptionem, in corporalibus etiam scortationibus et quibusvis aliis criminibus. Quae omnia nomine *scortationis* et *adulterii* solent emblematice insigniri. Haec summa est pericopae vers. 15—34. Cujus duae partes generales sunt, quarum *prior* continet adulterii generalem descriptionem, *posterior* ejus adgravationem, et specialiorem deductionem. *Prior* vers. 15—21. *posterior* vers. 22—34. repraesentatur. In *priore* parte α. occurrit propositio vers. 15. β. ejus deductio vers. 16—21. α. Propositio ita habet vers. 15. *Et secura facta es pulchritudine tua, et scortata es super nomine tuo, et scortationes tuas effudisti in quemvis transeuntem, cui factum est* vel *cujus es facta.* h. e. Cum *pulchritudo* tua et *nomen* tuum, quo mea facta es, et a me tantopere ornata sis, te sollicitam reddere deberet, et mihi magis devincire, longe secus accidit, ipsa enim illa pulchritudo te *securam* reddidit, et omni cura solutam, et non obstan-

te ea, nomineque tuo, quo mea es, et adpellaris, et gloriosa facta es, a me ad idololatras et idola defecisti, et te effuse in omne genus idololatriae praecipitasti, instar publici prostibuli cuivis transeunti se tradentis, cui quicquid habes pulchrum et gloriosum cessit in possessionem et usum. Ad quam paraphrasin illustrandam not. 1. verbum בטח hic exserere usum *securitatis*, ansa arrepta a propria significatione *sternendi* et *complanandi*, unde ad complanatum et stratum animi statum, quo secure degit, et nihil metuit, aut curat, transiit. Conf. Jes. XXXII: 9. et alibi. 2. voculam על *super* hic notare *non obstante*, *quantumvis*: ut saepe alias. Vid. Schult. ad Job. X: 7. et observata nostra ad Ps. XXXI: 24. et Jer. II: 34. *super nomine suo* itaque scortari dicitur Hierosolyma, quatenus non obstante eo hoc agit, nihil curans praestantissimum suum *nomen*, quo Dei erat uxor, et ab ipso unice ditata ac gloriosa facta. Addi potest, uxorem hanc Dei existimasse *pulchritudinem* et celebritatem suam solam sufficere adfectui Dei mariti conservando, quacunque ratione se gerat. Quod alibi dicitur: *pacem* sibi promittere, licet secundum concupiscentiam vivat. Deut. XXIX.; et fidere Templo, et inhabitationi Dei etc. super nomine itaque erit, eo freta et innixa. 3. Ultimae voces לו יהי *ipsi factum est*, ad superiora, seu pulchritudinem et *nomen*, referendae sunt, dicuntque illud omne quod erat, et habebat, quodque Deo, marito et patrono acceptum ferre, et ipsi conservare debebat, cessisse cuivis transeunti, quocum scortata erat. Interpretes hic varie instituunt, sed nobis nihil suppetit. Locum tamen deinceps adcuratius inspicienti, visum est, rectius legi לו תהיי *ipsi*, vel *ipsius*, *facta es* uxor, vel amica; sicut vers. 8. a Deo adoptata, et ornata dicitur, לי תהיי *facta es mihi* vel *mea*. Sensus ergo est, Hierosolymam, antea sponsam et uxorem Dei, nunc per adulterium factam esse sponsam cujusvis peregrini, eique subjectam in posterum.

§. CCLXXIV. B. In *deductione* propositionis *tres* species idolo-

idololatriae recenſentur, ſe ordine ſecutae; quarum *prima* eſt, quae incepit ſub Salomone ipſo, in eo ſita, quod excelſa fuerint Hieroſolymis; vel in vicinia, erecta, in gratiam mulierum extranearum ad idololatriam exercendam. verſ. 16. *Et ſumſiſti e veſtimentis tuis, et feciſti tibi excelſa diverſicoloria, et ſcortata es ſuper illis per non intrantes* foeminas, (ſive *non fuit hoc*) *nec erit* (aut eſſe debebat.) Cum idololatria ſub ipſo Salomone inceperit, et ejus regnum proſperum modo deſcriptum ſit, eo hic intendi digitum exiſtimaverim, quippe quo tempore excelſa fuerint *idolis* erecta, ut eſt 1 Reg XI. טלאות *variegata* per cortinas, vel veſtes diverſicolores, pro varietate idolorum; Vox proprietatem habet in *glutinatione*, ſeu *adpactione glutinante*, unde apud Golium *illinendi*, *inungendi* etc. poteſtas fluxit; unde ſumitur de *calceis* interpolatis multis cruſtulis, quaſi conglutinatis, et ad *variegationem* colorum transfertur, et *oves* multis coloribus variegatas, ac tanquam *maculis* diſtinctas. Confirmat ſententiam noſtram de tempore Salomonis, quod ſubjungitur, לא באות ולא יהיה; quae voces multum negotii faceſſiverunt Interpretibus, et varie accipiuntur; nobis alterutrum videtur ſtatuendum. *vel mulieres peregrinas* intelligi per לא באות, *vel* pro באות legendum, בזאת, et per ellipſin intelligendum verbum היה ex ſeq. *Prius* ſi obtineat, לא באות erunt *non intrantes* foeminae, pro *non intrare debentes* in coetum Jehovae, uti de peregrinis populis Deut. XXIII. Verbum בוא adhiberi ſolet pro *intrare* oppoſite ad יצא *exire*, prodire foras, et de *foeminis* domum ductis, uti Jud. XII: 9. לא באות itaque emphatice ſunt *foeminae*, quibus epitheton *non intrantium* competit, quatenus *intrare* non debent; poſterius vero *et non erit* dicet, quod Cocc. jam vidit, et Sanctius obſervavit, ac exemplis comprobavit, quod *eſſe non deberet*, quod abhorret. Quam egregie illud in tempora Salomonis quadret, nemini non eſt notiſſimum. *Scortata* itaque dicitur Hieroſolyma non *intrantibus foeminis*: quatenus per eas, quae non intrare debebant, ſeu peregri-

nas id fecit. *Posterius* si locum teneat, verba dicent, scortationem illam, eo tempore factam, talem esse, ut nec antea fuerit, nec post futura sit, לא כזאת itaque est, *non in hoc*, seu sicut hoc, scilicet *fuit*, vocula ב saepe abundat cum emphasi, vel pro כ *similitudinis* sumitur: uti notum est, vel facile demonstrari potest. Confirmat posterius *cum* quod facilius sit priore, *tum* quod res extraordinaria, singularis et stupenda, soleat hac formula exprimi, non *fuit sicut hoc, nec erit*. Vid. Jos. X: 14. Joel I: 2. II: 2. Ex. X: 14. Mutatio vero vocis כזאת in באות levis et facilis est, uti in oculos incurrit. Quo admisso, singulare illud non est in *excelsis* idololatricis simpliciter quaerendum, sed in *tempore*, quo illud accidit, sub *Salomone*, ejusque regno, rege tam sapiente, et a Deo benedicto, regno tam religioso, et signis favoris Dei illustri, quod ecce stupendum erat et singulare, cujus simile fere dici poterat nec *fuisse*, nec *futurum* esse. Utrovis modo sumatur, character temporis Salomonis manebit salvus, et conspicuus.

§. CCLXXV. *Secunda* species, quae tempore Rehabeami et deinceps semper invaluit, continet idola aurea et argentea, splendide vestita, et quibusvis donariis ac oblationibus culta, vers. 17—19. Ubi 1. occurrit idolorum, seu simulacrorum formatio ex auro et argento. vers. 17. *Et sumsisti vasa tumidi, seu excelsi, tui decoris, ex auro meo et argento meo* (seu aurum et argentum meum) *quod dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculorum, et scortata es cum iis.* In quibus nihil est, quod moram injicit, modo notetur *a. vasa decoris* hic esse ornamenta regalia, et sponsalia, supra vers. 11. memorata, quibus ornarunt idola sua, cum *vestium* mox fiat mentio; et *auri* ac *argenti* subjiciatur: sive sint idola tota aurea vel argentea, sive iis obducta, ut Jes. XL: 19. et alibi. *b. imagines masculorum* memorari, non quod *foeminarum* non haberent, coluerunt enim ex. gr. aeque *Astarten* ac Baal, sed quod imago *mulieris* adulterae hic aptetur populo, uti jam est observatum, sic et Hos. II: 8.

aurum

aurum et argentum fecisse dicuntur *Baalem*. Ceterum incepit haec idololatria cum Rehabeamo, 1 Chron. XII., et deinceps duravit, licet subinde impedita et prohibita per pios reges, uti constat.

§. CCLXXVI. 2. Sequitur idolorum ornatus et cultus vers. 18, 19. *Et sumsisti vestes acupictas tuas, iisque involvisti te, et oleum meum et suffitum meum coram iis posuisti, et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum et mel, quibus te cibavi, etiam dedisti coram ipsis in odoramentum jucundae requiescentiae*. Ad quae verba, haud difficilia, aut satis illustrata, hoc tantum observo, *versum* 18. pertinere ad *ornatum* imaginum per vestes acupictas, et *cultum* earum per *lumina* et *thura*, uti in Templo seu sancto moris erat; adeo ut *oleum* hic memoretur relate ad lampades accensas; quo observato tolletur difficultas, ex vers. seq., ubi *olei* quoque mentio fit, nata, *versum* vero sequentem 19. referendum esse ad oblationem *munerum similae*, *olei*, *et mellis*, in *odoramentum jucundae requiescentiae*; quae in genere *panis*, seu *cibus*, adpellantur, dein in specie explicantur per *similam*, *mel et oleum*, ad *placentas offerendas* etc. nisi quis vocem *panis* latius velit extensam ad quaevis *sacrificia*, etiam ex animalibus, quae *panis* vel *cibi* nomine subinde insigniuntur, vid. ad Mal. I., et reliquas voces ad *mincham* restringere.

§. CCLXXVII. 3. *Tertia* species idololatriae deinceps per Achazum introducta, et Manassen maxime exercita, omnium abominabilissima, quae subjungitur, sita est in liberorum consecratione Molecho, et primogenitorum mactatione vers. 20, 21. *Et factum est inspiratum Jehovae, et accepisti filios tuos et filias tuas, quos mihi peperisti, et obtulisti eos ipsis ad comedendum, profecto turpissimum scortationum tuarum*, (vel *tanquam faeces ex scortationibus tuis*) *et mactasti filios meos, et tradidisti eos, transire faciendo ipsos iis per* vel *in ignem*. Respicitur, ut facile adparet, ad detestandam illam idololatriam, qua liberos consecrabant Molecho et comburendos tradebant; cujus mentio est Jer. VII: 31. tanquam tempore Jeremiae exercitae; et 2 Reg. XVI: 3. tanquam

quam ab Achazo introductae, et ibid. XXI: 6. a Manasse usurpatae, et post Josiam continuatae ad finem reip. Ad verborum intellectum 1. notandum est, voces vers. 19. fin. *et factum est inspiratum Domini Jehovae*, non ad praeced., sed sequentia pertinere, prava versuum distinctione inde avulsas, quod Gr. Interpretes etiam vidisse videntur; nullam enim emphasin habent cum praeced. connexae, quid enim necesse erat subjicere, *et factum est*, cum modo adfirmative dictum erat, quid *fecerint*, sed sequentibus recte et emphatice praemittuntur, ad indicandum, quid *insuper*, et maxime detestandum, fecerint, dignum cui praemittatur, *et factum est*, quod quis fieri non posse diceret, *inspiratum Jehovae*, verum tamen est, et probe advertendum. Solet saepe illud *et factum est* praemitti orationi, uti notum est, vid. mox vers. 23. 2. Verba, *obtulisti eos ipsis ad comedendum*, *et mactasti eos*, *et dedisti ipsos ad transire faciendum ipsos iis*, hac ratione esse accipienda, ut *prima* phrasis sit generalis, quae in genere dicit, liberos esse Molecho consecratos instar sacrificiorum, *reliquae* duae *modum* declarent, quo id factum sit, in eo situm, quod *morti* tradiderint liberos, quo verbum *mactare* tendit, eos *transire faciendo* in ignem, adeoque eos in honorem idoli comburendo. Quod hic est *transire faciendo*, alibi *per ignem* additur, sed hic per ellipsin intelligitur; uti et c. XX. 26. Denique 3. voces vers. 20. fin. המעט מתזנותך, ab Interpretibus non intellectas, vel vertendas esse, *o contemtissimum scortationum tuarum*, vel tanquam *faecem* e *scortationibus tuis* natam: utroque sensu vox מעט hic exserit potestatem, qua quid contemtissimum et foedissimum denotat, a propria significatione *ramenti*, quod radendo deteritur, unde metonymice occurrit pro *parum quid*, sed et *exilissimum*, *vilissimum*, et *foedum* signat. Vid. Schult. ad Prov. X: 20. et Job. XXXII: 22. Ita etiam sumitur Prov. V: 14. sed *priore* sensu ה in המעט est adfirmantis et admirantis, de quo usu vid. Dieu ad 1 Sam. II. et Jer. VII. ac Schult. ad Job. IV: 21. et alibi,

alibi, adeoque insertum est ad turpitudinem rei augendam, ut sit, *o turpissimum tuarum scortationum*, *posteriore* sensu pertinebit illud מעט ad *filios* et *filias*, quos Deus dixerat *suos* esse, quippe ex foedere conjugali cum populo natos, et dicit, filios illos tanquam *faeces* e *scortatione natos* tractari a populo, adeoque longe infra dignitatem eorum, acsi essent idoli, seu Baalis filii; ita ut המעט sit pro כהמעט vel כמעט per ellipsin ℵ̓ כ similitudinis. Ita pro *faecibus* et *scoriis* sumitur Prov. X: 20. et alibi.

§. CCLXXVIII. ב. *Posterior* pars, qua spiritualis scortatio populi partim adgravatur, partim ulterius deducitur et illustratur, *a.* crimen *ingratitudinis* continet, quo superiorum beneficiorum Dei nulla ratione habita, sese a Deo benefactore suo ad turpissima convertit idola, et quamvis concupiscentiam; vers. 22. *Et cum*, vel *in*, *omnibus abominationibus ac scortationibus tuis non es recordata dies juventutis tuae*, *quum eras nuda et retecta*, *fuisti conculcans te*, vel *inquinata*, *in sanguinibus tuis*, h. e. quam indigne et ingrate te gesseris tibi nunquam in animum venit; ad tuum statum pristinum et miserum, meaque beneficia in te collata, non adtendisti, sed te in quasvis turpitudines contra tuam obligationem, effudisti. Nihil nobis relictum est observandum, nisi hoc unum; ultimas voces, *fuisti te conculcans*, *vel inquinata*, *in sanguinibus tuis*, non ad illud tempus adolescentiae, quo erat *nuda*, pertinere, sed ulterius tendere, et primam infantiam comprehendere; adeoque emphasin augere, quare repetitur illud *fuisti*, quod alias non erat necessarium, cum praecesserat בהיותך *quum eras*. Est itaque sermo ellipticus hac ratione ex praeced. supplendus, *non es* recordata dierum juventutis, quum nuda eras, nec etiam dierum infantiae, quum te *conculcasti in sanguinibus*. Posset forte legi חיית *viva* et *compacta* es, adeoque sine ellipsi capi, hac ratione: *non es* recordata status miseri in adolescentia, postquam conculcans te in sanguinibus facta es viva. Vid. vers. 6. Imputatur vero non simpliciter *status* vilis et miseri oblivio,

ſed et favoris ac curae Dei, qua ex illo ſtatu eſt liberata, etc. uti facile cernitur.

§. CCLXXIX. β. Repetitur non tantum idololatria, ſed adgravatur nova ſpecie ſcortationis ſpiritualis, qua ſeſe in tutelam commiſit populis idololatricis, uſque ad ipſos AEgyptios, antiquos hoſtes, quibus Deus populum eripuerat. Quae nova ſpecies ſcortationis *a*. ſummatim proponitur verſ. 23—26. *b*. explicatius traditur per varios articulos et gradus, verſ. 27—29. *a*. In ſummaria propoſitione 1. praemittitur ad inemendabilem populi animum indicandum, populum jam ante fuiſſe corruptum, et interminationibus divinis de infelici conſequente ejus admonitum, ſed nihil emendatum, quin impudentiorem et obſtinatiorem factum, verſ. 23. *Et factum eſt poſt omnem malitiam tuam, omne vae, vae tibi, inſpiratum Jehovae.* h. e. cum jam valde corrupta eras, cumque variae et graves tibi factae eſſent interminationes, ita ut ſpes eſſe deberet, te tandem anteacta vita corrupta fore contentam, et per interminationes abſterritam, *accidit*, dictum Jehovae, ut impudentior, nihilo utique melior ſis facta etc. Hunc exiſtimo verum eſſe conſpectum et ſenſum horum verborum; qui ut ſeſe adprobet, not. 1. ante voces, *vae, vae tibi*. eſſe ex ſuperiore repetendam, et ſupplendam voculam אחרי *poſt*, et *vae vae* ſenſu divite involvere ejus denunciationem, publice factam, ut ſit plene: poſt *vae, vae tibi*, palam, et ſaepe divinitus denunciatum. Reſpicitur ad interminationes propheticas, populo ſaepe et ſerio factas, ad curſum inpietatis ſiſtendum, qua ratione ſermo recte fluit, qui alias multum abrupti et impediti habet. 2. Verbum ויהי *et factum eſt* conſtruendum eſſe cum verſ. ſeq., ut ſenſus ſit: *poſt haec omnia factum eſt*, dictum Jehovae, *ut aedificaveris tibi* etc. quod facillimum eſt, et ſtylo loquendi uſitato congruum.

§. CCLXXX. 2. Repetitur idololatriae, publice et impudenter exercitae, deſcriptio, et ei additur ſubjectio ſpontanea populis idololatricis in tutelam, ſpreto et cultu Jehovae,

et

et ejus patrocinio, in signum, populum nihil fuisse emendatum, sed corruptiorem et impudentiorem factum; quod tempore Achazi maxime incepit; et deinceps continuatum est, sub Manasse summum adtigit culmen, dum modo his modo illis populis se adsociavit, ut postea specialius exponitur. Generalis ejus rei repraesentatio his verbis fit vers 24, 25. *Et aedificasti tibi fornicem, et fecisti tibi excelsum in quavis platea; ad omnia capita viarum aedificasti excelsum tuum, et abominabilem fecisti pulchritudinem tuam, et divaricasti ad rupturam usque pedes tuos omni transeunti, et spissam fecisti scortationem tuam.* Viva est imago publici prostibuli, seu meretricis impudentissimae, quae publicum erigit lupanar, seseque ibi cuivis volenti palam summa cum libidine subagitandam tradit, sine ulla intermissione: nec multum est in litterali sensu difficilis, quod nostram curam requirit. Verbo tantum notetur, radicem גבב et גבה proprie significare, *insecuit, secando curvavit*, et inde curvando *fornicavit*; hinc adhibetur de omni *convexa*, et veluti suspensa, compage, de convexa et pulchre elevata altitudine; ac usurpatur quoque de *frontispicio* alto et editissimo. Exprimitur itaque hoc loco lupanar convexum et excelsum, cum amplo frontispicio, titulum meretricium praeferente, uti moris erat. Vid Sanctius. 2. Verbum פשק proprie dicere *diductionem* cum ruptura, et usurpari de *dactylo e cortice erumpente.* Hic pedibus tributum, et in Pih. ad emphasin augendam, denotat pedum divaricationem summam, ad rupturam usque. Vid. Schult. ad Prov. XIII: 3. ac sensu obscoeno sumitur de libidinosa meretrice, sese libidini cujusvis subjiciente. Emblematice vero hac descriptione indicatur, populum Judaeum 1. de idololatria sua, post praecedentis temporis prostitutionem, et interminationes propheticas, nihil non tantum remisisse, sed eam fecisse spissiorem, et diffusiorem; se totam ei tradidisse et palam instar meretricis in lupanari. 3. qualemcunque exercuisse, et per omnia loca, omnium gentium vicinarum idololatria adsumta. 4. Denique ei addidisse sub-

jectionem sui populis vicinis in tutelam et patrocinium; Jehovae, mariti sui, tutelae palam renunciantem. Hunc enim sensum sequentia manifeste requirunt, ut mox patebit. Quae omnia nos manu quasi ducunt ad tempora *Achazi*, et sequentium regum impiorum; in primis Manassis, quorum lineae hic ducuntur; et quo nexus cum praecedentibus nos vocat, ut ex dictis liquet.

§. CCLXXXI. 3. Exaggeratur indignitas scortationis cum populis vicinis ex eo, quod ad ipsos AEgyptios se adplicuerint, idololatria et confidentia ac societate inita; non quidem mox, sed sub finem reip., post societatem cum Assyriis et Babyloniis in perniciem populi versam; cujus itaque mentio fit in summaria propositione, *cum* quod ultimum fuit populi perfugium, *tum* quod Deo maxime displicuit, adeoque ad adgravandum pravum institutum, quia eousque in scortatione processit, ut AEgyptiis sese quoque adplicuerit. Verba ita habent vers. 26. *Et fornicata es cum filiis AEgypti, vicinis tuis, magnis carne, et spissam fecisti scortationem tuam ad irritandum me.* Utramque speciem *scortationis* spiritualis hic intelligere licet, et idololatriam AEgyptiam, et fiduciam in ipsorum societate ac subjectione positam; cujus se reos fecerunt primum *Ephraimitae* tempore Hoseae, propterea severe reprehensi a Deo Jes. XXX et XXXI., dein *Judaei* sub finem reip. ideo etiam objurgati et irrisi Jer. II: 18. adeoque postquam se Assyriis et Chaldaeis adsociassent cum proprio detrimento, quorum mentio mox sequitur. Ex quo colligendum est, vel confusionem et transpositionem esse in sermone admittendam, nostro versu non suo loco posito, vel in summaria propositione hanc cum AEgyptiis scortationem memorari, reliquis tacite vers. 25. comprehensis, et mox explicite in speciali deductione productis vers. 28, 29. ad adgravandum crimen, cum eousque defecerint, ut ipsis AEgyptiis, antiquis illis oppressoribus suis, a quibus miraculose liberati erant, et quorum commercium ipsis saepe erat interdictum, sese in tutelam

tutelam dederint. Ceterum *ſcortari ad filios AEgypti* dicit ſenſu divite ſcortando ſe ad eos vertere, et iis ſe arcte adplicare; nec ſine ratione *magni carne* adpellantur, proprie bene *filati*, *intorti*, fortes et rigidi corpore ac pudendis, quae verbi גדל poteſtas eſt, ſaepe obſervatum. Ratio indicatur, quare ſe iis adſociarint, in fortitudine et potentia eorum ſita; Conf. Jer. XXX et XXXI. Quo autem litteraliter reſpiciatur in propria ſcortatione, facile adparet. Vid. c. XXII: 20. nec exponi debet.

§. CCLXXXII. *b. Specialis* deductio propoſitionis 1. ſpecimen interminationis, modo memoratae, verſ. 23., executioni mandatae, praemittit verſ. 27. *Et ecce! extendi manum meam contra te, et retraxi dimenſum tuum, et tradidi te animae* (cupiditati) *odio te habentium filiarum Philiſtaeorum, quas pudet viae tuae obſtinate ſceleſtae.* h e. Quod ſupra dixi, te per interminationes meas nihilo meliorem eſſe factam, illud ipſo facto, producto uno aliove tantum ſpecimine, verum eſſe demonſtro; fame enim te adflixi, et antiquis tuis hoſtibus Philiſtaeis te tradidi ſpoliandam, et adfligendam, tanquam ipſis longe deteriorem, quippe pudore quaſi ſuper ſceleſta tua ſcortatione adfectis. Reſpicitur ad illud *vae* in generali propoſitione, verſ. 23. et ad ejus illuſtrationem producitur unum alterumve ſpecimen Judicii Dei in populum Judaeum obſtinate idololatricum; *famis* nim. et *invaſionis* Philiſtaeorum: Ad famem enim recte refertur *retractio dimenſi*, ſeu cibi quotidiani, ac potus, per ſterilitatem et ſiccitatem, vox enim חק eum uſum et alibi praefert, ut Prov. XXX: 8 *ubi panis* חקי *dimenſi mei* memoratur et XXXI: 15. Conf. de re ipſa Hoſ. II: 11. Adflictio hoſtilis ex. gr. profertur, a Philiſtaeis profecta, cujus mentio eſt tempore Achazi 2 Chron. XXVIII: 18. quod ab Interpretibus jam eſt obſervatum. Philiſtaeorum potius quam Syrorum invaſio producitur: quod haec effectu caruit durabili, *illa* habuit, praeterea Judaei a Philiſtaeis maxime alieni erant, adeoque longe moleſtius ferre debebant, ſe ab iis

infestari, et oppidis suis privari. Sed forte rectius censetur, voces בנות ארם *filias Syriae*, vel titulo odio habentium te comprehendi, vel excidisse: uti ex vers. 57. colligi posse videtur. Additur vero ad majorem confusionem Judaeorum, ipsos Philistaeos fuisse horribili scortatione Judaeorum *offensos*, ad indicandum eos esse Philistaeis longe pejores et impudentiores: uti in seq. vers. 47. etc. exponitur relate ad Ephraimitas et Sodomaeos. Reliqua nostra cura non indigent.

§. CCLXXXIII. 2. Duo specimina idololatricae conjunctionis cum populis peregrinis continet, quorum alterum secutum est alterum, *prius* cum Assyriis, *posterius* cum Chaldaeis; quorum idololatriam sectati sunt, et tutelam adoptarunt; *Prius* est vers. 28. his verbis: *et scortata es cum filiis Assur, cum satiata non esses, et fornicata es cum ipsis, nec satiata*, h. e. Post varias tuas scortationes idololatricas, et adsociationes cum populis vicinis idololatris, uti ex. gr. Phoenicibus, Syro-Damascenis, Ephraimitis, Idumaeis etc. quibus desideria tua non sunt expleta, te adplicuisti Assyriis, licet remotioribus, sed ne sic quidem satiata es, et votorum compos facta; uti fieri coepit tempore *Achazi*, teste Historia. 2 Reg. XVI. 2 Chron. XXVIII. Nihil in verbis obscuri, et res ipsa per paraphrasin explanata satis est. *Posterius* specimen, dein secutum, his verbis exhibetur vers. 29. *Et multiplicasti scortationem tuam cum terra Canaan, Chaldaeam versus, nec in hoc satiata es.* h. e. Assyriaca societate et tutela non contenta, quin votis et desideriis non respondente, te ad Chaldaeos, ubi erat orbis emporium, vertisti, iisque te arcte adsociasti. Sed nec ibi satisfactum tibi est. Cujus adsociationis fundamenta jacta sunt sub ipso Hizkia, et deinceps maxime invaluit; uti notum est ex historia. Adpellatur vero Chaldaea symbolice *Canaan* seu *terra Canaan*, quod maximus ibi, ut in orbis imperio, esset hominum confluxus, et omnes cum ea commercium haberent, uti manifestum est ex c. XVIII: 4. quod jam recte obser-

vavit

vavit R. Salomo. Aliae interpretationes alienae sunt, quas mitto. Utique *Canaan* emblematice denotat subinde *mercaturam* et *mercatores*, uti Job. XL: 25. Prov. XXXI: 24. Jes. XXIII: 8. ansa arrepta a *Phoeniciis*, qui hoc nomine a *Canaan*, filio Chami, adpellati sunt, famosissimis *mercatoribus* per totum orbem. Ceterum, cum additur, *nec in eo fuisse satiatam* adulteram Tsionem, indicatur, eam inde sese ad alios adplicuisse populos, ut *AEgyptios*; de quo vers. 26. agitur, ut supra habuimus.

§. CCLXXXIV. γ. Adgravatur ulterius scortationis crimen ex eo, quod aestu libidinis excocta mulier adultera se non tantum promiscuae veneri dederit, sed et amasios non spoliaverit, et dona ab ipsis acceperit, ut alias solent meretrices, verum donis eos allexerit, et se iis spoliandam tradiderit. Quae summa est pericopae vers. 30—34. Ubi a. praemittitur admirabunda expositio furiosae libidinis populi Judaei, tanquam adulterae vers. 30. *Quam excoctum est cor tuum! inspiratum Domini Jehovae: quum fecisti haec omnia, opus mulieris meretricis accerrime dominantis.* h. e. Praebuisti te, ut mox dicam, in opere scortationis, meretricem acerrimam, et per omnia perrumpentem, ac dominantem, adeo ut merito cum admiratione exclamari possit, quantopere cor tuum igne libidinis est excoctum, et omni bona mente exhaustum, debile et languidum prae libidine. Parum hic obscuri, nisi in voce אמלה; modo notetur 1 illud, *quum fecisti illud omne*, pertinere ad sequentia, mox memoranda, sicut Mal. II: 1 in הזאת et alibi, ut ibi demonstravi. 2. meretricem שלמת esse, quae acerrima est et dominans in scortatione, ad nihil adtendens, et libidini unice ac imperiose obsecundans. Radicis primigenia potestas est in *acri et penetrante* vehementia, cui nihil resistere possit, quo respicitur etiam Eccles. VIII: 4. unde orta est *dominandi* cum *absoluto* imperio significatio. Sed quid sibi vult vox אמלה? Radix proprie dicit *radere*, *scindere*, inde *urere*, *exurere*, quod ignis perurens *scindat* firmissima,

 et

et in specie *excoquere*, et quidem lento igne, ita ut omnis succus penitus absumatur. Hic vero *animo* adplicitum, et ad scortationem relatum, denotat animum 1. aestu libidinis ictum, et urentem; 2. plane excoctum, omni ratione et sensu bonae mentis privatum. 3. denique languidum prae amore libidinoso, et ad omne praeclarum facinus ineptum, omni virtute et robore agendi orbum. Exclamatio vero admirabunda, *quam est excoctum!* significat et summum rei gradum et rem plane in hac muliere stupendam; sicut vere erat in *populo Judaico*, a Deo amato, et tantopere ornato ac beato.

§. CCLXXXV. *b.* Subjungitur rei stupendae et expositio, et acerrimae libidinis specimen in singulari modo, quo se prostituebat, non donis adlecta et opibus ab amasiis, sed eos alliciens suis donis, et spoliandam tradens: plane contra suetum meretricium morem agendi. Quod 1. proponitur vers. 31. his verbis, *cum aedificaveris fornicem tuam in omni capite viae, et excelsum tuum feceris in omni platea; nec tamen fuisti instar meretricis ad evomere faciendum mercedem.* h. e. Te amasiis, exstructo omni adparatu scortandi, exposuisti, non, ut solent meretrices, ab ipsis donata es, nec eos per subjectionem tuam emulsisti, sed contra eos ditasti, et tua bona iis tradidisti spolianda, quod subintelligitur, et in seq. explicatius traditur. Turbavit Interpretes, et in devia abripuit, verbum קלס non intellectum. Est *onomatopoeia* e sono factum, et proprie dicit *vomere* cum facilitate, ut קיא *vomere* cum vehementia, in pih, ut hic, *vomere facere*, metaph. *dona* et munera largiter effundere, sic apud Plaut. *argentum vomere* dicitur, qui emungitur, et apud Cicer. *devoratam pecuniam evomere.* Sic et Aristoph. Equit. vers. 1145. Vid Cl. Schultens Defect. ling Hebr. Sensus itaque est, meretrices solere facere, ut amasii dona et opes in sinum suum effundant, commovendo ad donandum, haud secus, ac qui, stomacho commoto, vomit; sed meretricem Judaeam secus facere; quemadmodum mox explicatur. Rem ipsam

ipsum non male expresserunt LXX et Syr. modo apud LXX legatur, ut nonnulla MSS. habent, *καὶ ἐγένου ὡς πόρνη συνάγουσα μισθώματα.*

§. CCLXXXVI. 2. Explicatius traditur, comparatione instituta inter meretrices ordinarias et adulteram Judaeam, respectu donorum et munerum; quatenus illae accipiebant, haec spoliari se patiebatur ab illis: vers. 32, 33. *Mulier adultera pro viro suo carpet peregrinos; omnibus meretricibus dabunt largum munus; et*, sed, *tu dedisti munera tua omnibus amasiis tuis, et donis adlexisti eos, ut veniant ad te undiquaque in scortationibus tuis.* Quae verba continent *protasin* et *apodosin*, seu similitudinem et ejus adplicationem per contrarium. *Antecedens*, seu unde similitudo aut comparatio petitur, exstat vers. 32. et initio vers 33. his verbis: *mulier adultera pro viro suo carpet peregrinos, omnibus meretricibus dabunt largum munus.* h. e. constans est mos, quo mulier adultera in sui amorem pellicit, loco mariti, peregrinos, eosque praedatur; dant quoque amasii omnibus meretricibus larga munera. Duplex est similitudo, altera ab *adultera*, altera a quavis *meretrice*, petita, et *prior* habet, adulteram loco viri sui peregrinos in sui amorem pellicere, et ita capere, praeterea carpere eos et spoliare, prae libidinoso amore omnia in sinum adulterae patientes defluere bona et dona sua, *posterior* tradit, amasios sua scorta omnia largiter donare solere. Ad *prioris* intellectum observandus est peculiaris usus verbi לקח non observatus Interpretibus, qui propterea *versum* minus recte perceperunt, quo et *capere*, et sibi *subjicere* dicit instar venationis, et *praedari*. Sic de muliere adultera procum suis palpebris, venationem instituentibus, *capiente* Prov. VI: 25. et de hoste aliquem prehendente et subjiciente adhibetur Jes. XXVIII: 19., et מלקוח *captura* capta bello; praeterea de *praeda* capta Ez. XXIII: 10, 29. XXX: 4. Proprietas est in *carpendo*, unde ad varios usus *capiendi* in bonum et malum transiit. Adultera itaque hic loco viri dicitur *carpere* peregrinos, quate-

nus eos in amores suos allectos in suam potestatem redigit, et bona eorum *carpit*. Quod huc unice quadrat. Duo itaque mulieribus scortatricibus tribuuntur, *alterum* est, quod amasios in sui amores pelliciant, *alterum*, quod eos sibi subjiciant, et quaevis dona iis extorqueant, eosque spolient. Adplicatio ad Judaeam adulteram instituitur ex contrario, respectu utriusque rei, modo memoratae; his verbis: *at tu dedisti dona tua omnibus amasiis tuis, et muneribus excitasti eos ad veniendum ad te undiquaque in scortationibus tuis*. h. e. longe aliter, ac solent adulterae et meretrices, tu agis, in signum horrendae libidinis, cujus oestro percita es; tu ipsa procos muneribus et donis cumulas, non ab iis accipis, tu etiam ipsa eos provocas et excitas eos donis tuis, ut ad te intrent, et tecum scortentur. Duo itaque adulterae Judaeae inputantur extraordinaria, et consuetudini meretricum adversa, *unum* est, quod ipsa amasios donet ac ditet, cum dicitur, *et tu dedisti dona tua omnibus amasiis tuis*, quae nihil habent obscuri, *alterum*, quod ipsa instiget et adliciat procos suis largitionibus, et non in amorem sui ardentes recipiat, uti *adultera* facit, *capiens* peregrinos, sicut modo habuimus; quo pertinent verba, et *muneribus excitasti eos ad intrandum* etc. Verbum שחד usu suo *munerationem* denotat ad corrumpendum judicem, seu in suas partes aliquem trahendum, convenit Arab. verbo, cujus usus sic exhibentur *acuit cultrum*, *ussit stomachum* fames, *importunius rogavit*. Proprietas videtur esse, uti in חדה, חדד, חדש, ejusdem originis radicibus, in *fricando*, effricando frictu titillante, inde *laetificare*, *exhilarare*, *excitare* ad agendum dicit, seu *effricare* ad agilitatem, hilaritatemque, de quo respectu חדה et חדד vid. Schult. ad Prov. XXVII: 17 hinc *acuere*, *urere* stomachum apud Arab. fricando excitare etc. In specie ad *munera* refertur שחד, quibus quasi *fricatur* quis frictu titillante, et uritur seu accenditur ad agendum in nostrum favorem. Ceterum respicitur ad Judaeos, tanquam Assyrios et Chaldaeos suis largitionibus sibi adtrahentes, et se iis, tutelae causa, *spoliandos* dedentes;

dedentes; quod ab iis factum esse a temporibus Achazi constat ex historia.

§. CCLXXXVII. 3. Repetitio hujus moris agendi, cum ejus noxio consequente, subjungitur per modum conclusionis vers. 34. *Et*, vel itáque, *facta est in te alteratio prae mulieribus in scortationibus tuis, et post te non est facta scortatio, et quod dederis mercedem meretriciam, nec data sit tibi merces, et facta es in subversionem.* h. e. alteratio et perversio tua longe est deterior, quam reliquarum meretricum, *cum* quod te non ambiant proci, sed tu eos, *tum* quod mercedem non accipias ab iis, sed ipsa des; adeoque cedet etiam tibi hoc in subversionem, ac totalem destructionem. Hic verborum sensus est, quem Interpretes non sunt adsecuti. Not. 1. vocem הפך in primo membro notare *alterationem*, et in malum conversionem, quam potestatem aliquando adsciscit, uti Job. XX: 14. et Ps. XXXII: 4. uti ad Jobi locum observavit Cl. Schult. sic et Jer. XXIII: 36. et phrasin, *in te est alteratio* מן הנשים vertendam esse prae *mulieribus*, ut sensus sit, pluquam in illis major est et gravior tua alteratio quam reliquarum *meretricum*, quod in seq. vers. 47. etc. plenius deducitur. quae etiam voculae מן est usitata potestas. Vox vero הנשים cum ה emphat. hic denotat *mulieres* illas, tui similes, seu meretricias et adulteras. 2. eandem vocem in ultimo membro praeferre significatum *subversionis* et *destructionis*, quem subinde habet. Vid. Schult. ad Prov. VI: 14. Hac ratione vitatur tautologia, et oratio est emphatica, quae perversae indolis et rationis agendi consequens tradit, in totali destructione, inde oriunda, situm; phrasis quoque eo ducit, *et facta es* להפך *in subversionem.* 3. Denique phrasis, *et post te* לא זונה, non dicit, similem scortationem non fore in posterum, uti capi solet, quod huc non quadrat, nec phrasis admittit, sed, quod alii pauci jam viderunt, amasios ejus amore illectos, non ambiisse eam, post eam currendo ad scortandum, verum ab ea fuisse muneribus adlectos, ut modo dic-

tum erat. *Post te non facta est scortatio*, te ambiendo, et sequendo non est facta, uti *scortari post idola* dicitur, qui, et ambit, et amore eorum pellectus ea sectatur. Reliqua sunt facilia.

§. CCLXXXVIII. In *secunda* parte revelationis, quae sententiae judicialis pronunciationem complectitur, vs. 35—58. W. occurrit summaria horrendae scortationis, supra expositae, repetita propositio, tanquam causae condemnationis vers. 36. *Sic dixit Dominus Jehova, propterea quod effusa est rubigo tua, et pudendum tuum retectum est, in scortationibus tuis cum amasiis tuis, et cum omnibus stercoribus abominationum tuarum, et secundum sanguines filiorum tuorum, quos ipsis obtulisti.* Quae verba continent 1. inveteratam ac effusam scortationem in genere, his verbis, *propterea quod effusa est rubigo tua, et pudendum tuum retectum est.* h. e. propterea quod ad venenatas illas spurcities effusas usque exercuisti pudendos concubitus; sic enim cum Junio et aliis nonnullis verba esse capienda existimo, adeo ut sensus sit, scortationes ejus fuisse vehementes et diuturnas, usque ad ultimum terminum, quo meretrix profluviis venenatae spurcitiei laborare incepit. Eo enim referenda est phrasis, *effusa est rubigo tua*; quae varie solet exponi, etiam valde dilute de *aeris* effusione in gratiam amasiorum; quod valde est alienum, nec phrasi consentaneum. Vox Hebr. נחשת proprietatem habet in *pungendo*, et ita *perforando*, ac quasi *terebrando*, unde inter alia, sicut ad *serpentem*, qui pungit et terebrat, veneno ad intima penetrante, ita ad *aes et rubiginem* transiit, cujus est penetrantissima vis et venenata, quae interiora exedit. Hic ubi de meretrice agitur, et cum pudendorum retectione, seu concubitu meretricio, conjungitur, respicitur ad venenatum illum fluxum, quo meretrices per diuturnam et libidinosam scortationem laborant, et ipsae exeduntur, omnibusque sunt fastidio. Conf. Ez. XXIV: 11. de voce *rubiginis*, emblematice sumta, licet alio casu. 2. *scortationis duplicem modum*, *alterum in adsociatione peregrinorum*

tem tanquam patronorum, alterum in idolorum cultu, his verbis; *in scortationibus tuis, cum amasiis tuis* (populis peregrinis, quibus te in tutelam subjecisti) *et cum omnibus stercoribus abominationum tuarum*, (idola abominanda colendo.) Quae satis clara sunt. 3. horrendum idololatriae adjunctum in mactandis filiis, his verbis: *et secundum sanguines filiorum tuorum, quos dedisti ipsis*. h. e. convenienter caedi filiorum, et propter eam, per eorum consecrationem Molecho; ut vers. 20, 21. habuimus. Nonnulli codd. Mss. praeferunt בדמי *propter sanguines*, sicut etiam veteres habent versiones, et jam conjecit legendum Piscator. Quod non est spernendum. Quae ratio saepe apud Jerem. et in historia Manassis 2 Reg. XVI. traditur expresse.

§. CCLXXXIX. ב. Sequitur sententiae condemnatoriae pronunciatio, et executio per ipsos illos amasios, per quos instar adulterae et homicidae occideretur et destrueretur vers. 37—43. In qua pericopa sese offert a. congregatio populorum, quorum alios dilexerat, alios oderat, scortatrix Judaea contra eam, ejusque denudatio coram oculis eorum, vers. 37. *Propterea ecce me congregantem omnes amasios tuos, super quibus dulcescebas, et omnes quos amasti, praeter omnes quos odisti, et congregabo illos contra te undiquaque et retegam nuditatem tuam coram ipsis, videbuntque omnem nuditatem tuam*. h. e. omnes populos, quorum societatem ambiisti, et idololatriam secuta es, una cum illis, quos semper odio habuisti, adeoque Assyrios, Babylonios amasios, Philistaeos, Syros, Idumaeos, Ammonitas, Moabitas, contra te congregabo hostes, ipsisque manifestabo nefanda tua contra me facinora, quae ipsi cum indignatione videbunt, et ad te puniendam excitabuntur. Respicitur ad exercitum Babylonicum, ex illis populis constantem 2 Reg. XXIV. Jer. I; 15. et declaratur, Hierosolymam ab ipsis esse cingendam, et obsidendam eo scopo, ut pudenda populi Judaei facinora, tanquam causae excidii, detegantur coram omnium oculis, et populi excitentur ad Judaeos destruendos, quippe a Deo

in manus eorum propterea traditos, ut mox sequitur. Nihil hic curae nostrae relictum est, nisi ultimum membrum, de *nuditate retegenda*, ac *videnda*, quod ad populi Judaei contemtibilem statum, post destructionem, retulerunt, contra phrasin *pudendi*, *et omnis pudendi*, quae differt a titulo *nuditatis* vers. 39. et nexum cum seq.; Deus enim hic dicitur pudenda populi retecturus, idque coram oculis hostium, qui congregarentur contra Hierosolymam, et postea demum populi hostiles dicuntur vestes ejus detracturi, ac nudam exposituri adulteram vers. 39. *Pudendum* itaque hic intelligitur scortationis, uti in superioribus semper; a quo distinguitur *nuditas* populi ab hostibus facienda, vers. 39. Deus autem *retegere* hoc pudendum populi dicitur, coram oculis hostium, quatenus iis sit expositurus *rationem* judicii Dei in populum, quaerendam in defectione ejus horrenda a Deo per idololatriam, ab eo vetitam populo Judaeo, aliaque facinora horrenda contra legem Dei; eaque ratione certiores redderet eos de expeditionum hostilium successu ad destructionem populi. Quod ipsi illi populi quoque agnoverunt, Jer. XL: 5 vid. supra vers. 27. de Philistaeis, ac infra vers. 57. Et si vel non agnovissent, nihil obesset, cum sensui et stylo prophetico satisfieret, si significetur populos hostiles ita punituros horrenda populi Judaei facinora, acsi Deus iis manifestasset, et illi vidissent ipsi. Sistuntur enim hostes in scena prophetica tanquam executores judicii Dei, quibus itaque *causae* Judicii erant exponendae, et simpliciter significatur, eos populum propterea esse destructuros. Cum itaque Deus dicitur, *iis retegere pudenda omnia populi*, indicatur, Deum iis usurum ad ea vindicanda, eos tanquam executores judicii Dei missurum contra populum Judaeum ad punienda facinora ejus pudenda. Quibus cum solent causae judicii revelari, ideo Deus introducitur, tanquam illis retegens pudenda populi. Conf. c. XXIII: 44.

§. CCXC. β. Verus conspectus judicii in populum traditur, in eo situs, quod tanquam adultera et homicida tractaretur,

retur, verſ. 38. *Et judicabo te judiciis adulterarum effundentium ſanguinem, et dabo te ſanguini excandeſcentiae et zelotypiae.* h. e. poenam tibi ſine ulla miſericordia certo certius infligam, qualis adulteris et homicidis ſolet, quae eſt poena lapidationis, gladii, et combuſtionis; ut mox explicatur, Vid. Sanctius. Ultimum membrum, cujus ſenſus eſt, ut facile adparet, adulteram et homicidam eſſe morte puniendam a Deo, tanquam vindice ſanguinis et marito, ignita zelotypia adfecto in adulteram, adeoque ſevere et ſine gratia certo certius; habet tamen in conſtructione aliquid impediti, quod varie poteſt et ſolet expediri. Mihi maxime placet Syr., qui voces *ſanguinem et excandeſcentiam* ſeparat, et utramque cum verbo נתן *dare* conſtruit, adeo ut Deus declaret, ſe adulteram et homicidam traditurum cum *ſanguini*, ſeu ejus vindicationi per ſanguinis effuſionem, quae gladio fit, ſecundum legem Gen. IX. *tum excandeſcentiae* et *zelotypiae*, ſeu zelotypiae *ignitae*; juris vindici, et injuriae ultrici, quae vis eſt vocis חמה Vid Schult. ad Prov. VI: 34. ad adulteram puniendam ſevere et certiſſime. *Zelotypia*, inquit Salomo Prov. l. c. *ignitio* (חמה) *viri eſt, neque remolleſcit in die ultionis.*

§ CCXCI. *γ. Judicium* ipſum, per Chaldaeos, et eorum ſocios, ſupra memoratos, executioni mandandum, diſtincte et per articulos propoſitum verſ. 39—41. *a.* Primus articulus comprehendit Hieroſolymae, quae hic ſpeciatim intelligenda eſt, tanquam metropoleos, per adulteram depictae, expugnationem, fanorum deſtructionem et ſpoliationem verſ. 39. *Et dedam te in manus eorum* (ſcilicet hoſtium verſ. 37.) *et diruent fornicem tuam, et deſtruent excelſa tua, et exuent te veſtimentis tuis, et ſpoliabunt inſtrumenta decoris tui magnifici, et dejicient te nudam et nudatam.* Quibus ſignificari exiſtimem, quod ex parte jam obſervatum eſt, Hieroſolymae expugnatae, quod hic per phraſin, *dare in manus* hoſtium, indicatur, *religioſam*, ut ſic loquar, deſtructionem et ſpoliationem, reſpectu Templi et altarium, (quae hic *for-*

 nicis

nicis et *excelsorum* nomine veniunt) omnis adparatus ac ornatus sacerdotalis, et regii, cum omnibus vasis et instrumentis pretiosis, (quae nomine vestium et instrumentorum decoris regii veniunt) denique statum abjectum et vilem, quo a Deo repudiata, et omnibus contemta jaceret Hierosolyma, qualis fuit, antequam Deus eam sibi in sedem adoptavit vers. 7. quod hic exprimitur per *dejectionem in terram nudae et nudatae.* Verbum הניח hic exterit usum, quo *dejectionem* et *prostrationem* in *terram* denotat, uti Jes. XXVIII: 2. de Samariae et regni Ephraimitici dejectione in terram, Jer. XIV: 9. Am. V: 7. Ita נוח violentam mortem comprehendit, *ut procumbere* apud Lat. Job. XVII: 16 et מנוחה Jud. XX: 43. *Nuda vero et retecta pudendis* de projecta Hierosolyma, quatenus omni sua praerogativa et tutela Dei orbata jaceret vilis et despecta, qualis antea fuerat, quum Deus eam elegit sedem regni et religionis; vers. 7.

§ CCXCII. *b. Secundus* articulus sistit totalem urbis destructionem, sub imagine mulieris, quae lapidibus obruitur, tanquam adultera, et gladio scinditur tanquam homicida, cujusque domus comburitur, tanquam idololotrae vers. 40, 41. *Et adducent contra te coetum, et lapidabunt te lapidibus, et diffindent te gladiis suis, et comburent domos tuos igne.* Respici ad adulterae *lapidationem* publicam, coetu coacto, Deut. XXII. 21. Joh. VIII. homicidae naecem per gladium Gen. IX. urbis idololatricae combustionem Deut. XIII: 17. ab aliis jam notatum est, et facile adparet. Ad metropolin Hierosolymam adplicitum significat ejus totale excidium lapidum dejectione, incolarum caede, et incendio omnis materiae combustilis. Quae omnia ipsi evenisse per Chaldaeos constat. 2 Reg XXV. Jer. LII. et 2 Chron. XXXVI. *Lapidatio*, quod unice hic notandum est, non est oppugnatio urbis ballistis et catapultis, ut solet passim capi, jam supra enim urbs tanquam expugnata occurrit, sed lapidum ejus murorum, et aedificiorum dejectio, qua *acervus* lapidum facta est, et obruta. Conf. Mich. III: 12. *Lapidare itaque*

lapidibus

lapidibus eſt lapidibus projectis obruere, et de urbe *acervum* lapidum facere.

§. CCXCIII. 1. Judicii deſtructionis conſequens ſubjungitur triplex relate ad vicinos populos, ad ipſam adulteram, et ad Deum verſ. 41, 42. 1. Primum reſpicit ad populos vicinos, ad quorum notitiam haec ſtupenda urbis cataſtrophe veniret, his verbis verſ. 41. *Et facient in te judicia coram mulieribus multis.* h. e. judicia, quae hoſtes in hanc adulteram executi ſunt, famoſa erunt per vicinas gentes quaquaverſum, in exemplum earum, et ad majorem pudefactionem ac proſtitutionem adulterae, adeo ut, quod hic ſubintelligendum eſt, Hieroſolyma ſit exempli et proverbii loco futura, ut verſ. 45. videbimus. 2. *Secundum* eſt, quo urbs ceſſaret ſcortari, et procos adlicere, ibid verſ. 41. *Et ceſſare te faciam meretricem eſſe, nec amplius mercedem meretriciam dabis.* Quae verba in genere dicunt, idololatriam et adſociationem populorum tanquam patronorum, locum non amplius habituram in urbe et populo: ſed in ſpecie conſiderata aliquid de ambiguo trahunt, ſtudio, ut videtur, captatum, ad utrumque comprehendendum. Poteſt enim et coacta, et voluntaria, idololatriae ac conjunctionis cum gentibus, omiſſio intelligi, ita ut nec poſſit, cum nemo ejus amicitiam et patrocinium velit, et urbs deſolata, incoliſque orba ſit; nec etiam in poſterum velit id facere, animis ab idololatria et commercio cum gentibus abſtractis, et in melius commutatis, ſicut poſtea factum eſſe conſtat. Quae ambiguitas eo majore jure locum habere poteſt, quod *tertium* conſequens, ad Deum ſpectans, eadem laboret.

§. CCXCIV. 3. *Tertium* conſequens, ad Deum maritum urbis et populi reſpiciens, ita habet verſ. 42. *Et ſternam* (ſtratum ſedabo et complanabo, quod eſt הֲנִיחֹתִי, uti vidimus c. V: 13.) *aeſtum meum in te, et deſiſtet zelotypia mea a te, et reſidebo* (remittam et ſedabo iram meam, quod eſt שָׁקַטְתִּי, ut docuit Cl. Schroeder Obſ. ad Orig. cap. V.) *nec iraſcar amplius.* Senſus eſt, ignitam Zelotypiam, ſeu

 juſti-

justitiam et vindictam ultricem Dei *partim* ad ultimam destructionem desaevituram esse, uti c. V: 13. et alibi, ita ut ei plene sit satisfactum, *partim* finem habituram, ita ut non amplius se exserat, sed, quod subintelligendum est, in gratiam et favorem commutandam esse; uti in ultima parte cap. expresse traditur, non itaque in perpetuum sine fine duraturam. Quo verba, *desistet* zelotypia, et *residebit non amplius irascar*, etiam haud obscure ducunt. Interpretes passim in malum simpliciter sumunt, exceptis Judaeis, et aliis e veteribus, teste Hieron., et Coccejo, qui in bonum vertunt; Utrumque conjungendum est; ut dixi; quod eventui etiam convenit.

§. CCXCV. 3. *Tertia* pars continet vero suo conspectu *justificationem* superioris sententiae judicialis, cui itaque recte subnectitur; vers. 43—52. Repetitur autem justificatio a. a populi ingratitudine, et obstinatione in gravissimis suis sceleribus vers. 43. *Propterea quod non fuisti recordata dierum juventutis tuae, nec tremuisti mihi in omnibus istis; etiam ego heus! viam tuam in caput dedi, inspiratum Domini Jehovae; et,* (quod) *nihil fecisti, illud scelus, summum omnium abominationum tuarum.* h. e. quam justa sit et necessaria mea sententia, modo in te pronunciata, facile adparebit, si terribilis tua ingratitudo, et insuperabilis obstinatio, contra omnes meas interminationes, qua nihil tremuisti, nullo metu fuisti adfecta, nihili reputasti immania tua facinora, et summum gradum abominationum, ad animum revocetur. Duas rationes adfert Deus ad justificandam sententiam, *alteram*, quod se ingratam praestiterit pro tot beneficiis in eam collatis, *alteram*, quod nullo metu ergа Deum fuerit adfecta, nihili fecerit omnia, quam immania etiam facinora, sed obstinate et secure, ac elata manu ea commiserit. *Prior* ratio facile sese offert in verbis, *propterea quod non es recordata dierum juventutis tuae*, scilicet, nec status miseri, in quo tunc, et ab infantia fuisti, vers. 22., nec splendidi et fortunati, in quo per puram putam meam gratiam collocata es. De quo supra

fupra vidimus verf. 22. *Pofterior* ratio, in obftinatione et fecuritate carnali fita, his verbis involuta eft, quae minus recte funt intellecta, *nec tremuifti mihi in omnibus his*, *et nihili fecifti illud facinus fixum*, *fummum omnium abominationum tuarum*. Sic enim verba vertenda funt, et ad obftinationem ac fecuritatem in graviffimis peccatis referenda: quod ficut huc recte quadrat, ita e verbis et phrafibus facile eruitur, fi recte capiantur. Quo fini not. 1. voculam לא in ותרגזי effe ex fuperioribus repetendam, et verbum רגז hic non *active*, fed *paffive*, ut folet, fumendum, ut fignificet *commoveri*, *concuti metu*, a propria poteftate *tremuli motus nubis tonantis*, *feu concuffionis* cum *fremitu* ac *fragore*. De quo vid. Schult. ad Job. III: 17. Senfus ergo eft, populum non fuiffe metu aut tremore correptum, non *tremuiffe* Deo, *vae* intonanti transgreffioni legum, et idololatriae, uti habuimus verf. 23., quo hic refpicitur Confirmat hunc fenfum phrafis, *tremuifti mihi in omnibus iftis*; fine ullo metu mearum interminationum, meorum judiciorum, verfata es, et perfeveraftī *in omnibus* iftis peccatis. 2. Ultimum membrum, quod verti, *et nihili fecifti fixum fcelus hoc*, *fummum abominationum tuarum*, judicio memorato fubjectum, ad ulteriorem rationis ejus, in primo membro praemiffae, illuftrationem, ut recte intelligatur, obfervandum, לא hic effe *nihil nihili*, ut faepe apud Jobum et alibi, et *nihil facere* effe nihili reputare, aeftimare, fpernere, tanquam nullius momenti, nullius confequentiae, על vero dicere *fummum*, ut faepe alias, adeoque fenfum effe, Hierofolymam nihili feciffe deftinatum fcelus, et fummum gradum abominationum, in idololatria horrenda, corruptione terribili. Quem fenfum nemo non videt egregium, et loco aptum effe. In quo fi quis acquiefcere nolit, poterit vel cum Coccejo interrogative capere הלא *nonne* fecifti, ad majorem convictionem populi, ad confcientiam per hanc interrogationem provocati. Sic fubinde fumitur Mal. II: 15. et alibi, ubi vid. comm. nofter. ad Mal. I: 7. vel cum Graeco Interprete, qui vertit

tit ἴτως, legere כה *sic ita*, ea ratione, eo in statu. Reliqua nos non morantur, tantum obiter notetur, voculam הא vera sua potestate sistere *promtum* et *paratum*, ex Arab. האהא, הא, et sono fictam, ut Lat. *heu*, *heus*.

§. CCXCVI. β. *Secunda* ratio desumitur ab omnium sapientum et prudentum adprobatione, proverbio, inde sumto, demonstrata, qua Hierosolymam pro filia, matris corruptae simili, haberent, eaque ratione judicio Dei testimonium praeberetur tanquam juste inflicto foeminae tam corruptae, vers. 44. *Ecce, quicunque dicta sapientia et acuta formare novit, hoc in te utetur; qualis mater, talis filia ejus.* Quorum sensus est, populos, de Hierosolyma sumta parabola, vel sententia acuta, adtestaturos esse et corruptioni ejus, et justitiae judicii Divini, dicendo, filia est Hierosolyma *matri* similis, et eadem sorte digna, adeoque eam non patriarchis, unde orta erat, sed Amorrhaeis ac Chittaeis, quibus successit, esse similem, et eandem meritam fuisse sortem, qua aeque ac Amorrhaei et Chittaei ejiciatur terra et exscindatur. Hanc enim sensus amplitudinem habet sententia proverbialis, *sicut mater*, *sicut filia*, scilicet et vitae, et sortis, respectu, uti Jes. XXIV: 2. et alibi. Conf., quodad rem ipsam, Lev. XVIII: 27, 28. et vid. *Sanctius*, qui recte exposuit post alios.

§. CCXCVII. γ. *Tertia* ratio derivatur a comparatione Hierosolymae cum duabus sororibus ejus, Samaria et Sodoma, corruptis et graviter punitis, qua Hierosolyma depingitur illis, longe deterior, eo scopo, ut judicium in eam, quippe sororibus pejorem, magis justificetur. In qua comparatione *a*. Hierosolyma Samaria et Sodoma in scenam producuntur tanquam sorores, ex eodem patre Amorrhaeo et matre Chittaea natae; et in moribus similes, vers. 45, 46. *Filia matris tuae tu es, fastidiens maritum suum et filios suos, et soror sororum tuarum tu es, quae maritos et filios suos fastidiverunt, mater vestra Chittaea, et pater vester Amorrhaeus est. Et soror tua major Samaria est, ejusque filiae, habitans ad sinistram*

sinistram tuam; et soror tua minor te, habitans ad dextram tuam, sodoma et filiae ejus. Cum Deus modo dixerat, proverbii loco inter gentes fore Hierosolymam, quo, *filiam eam esse matri similem*, diceretur, hinc occasionem sumsit instituendae comparationis inter ejusdem matris filias, tres itaque sorores, sibi hac parte similes, Hierosolymam, Samariam et Sodomam, eo scopo, ut in lucem proferret Hierosolymae conditionem moralem, reliquis pejorem, adeoque evinceret, eam magis quam alias esse dignam, quae, ut illis acciderat, destruatur. Verba ipsa nihil habent difficultatis, quoad litteram, quare hoc tantum observandum habeo, voces vers. 45. *fastidiens virum suum et filios suos*, non pertinere ad matrem, sed filiam ejus, sicut mox de aliis duabus sororibus dicitur, eas *fastidire viros et filios suos;* non ergo *matri* imputatur fastidium, sed *filiabus* ejus, ut doceatur eas, repudiando viros et filios suos, sibi nomen et titulum *filiarum* matris Chittaeae acquisivisse; quia eo ipso a vero suo marito desciverant ad peregrinos, et in familiam Amorrhaeorum et Chittaeorum venerant. De his gentibus enim vix dici potest, eas sprevisse cum fastidio conjuges suos; cum Deum, qui hic per maritum intelligitur, non habuerint maritum, cui nuncium miserint, sicut Hierosolymae, Samariae, et mysticae Sodomae recte imputatur: ut mox patebit. Praeterea not. est, pro אחותך in sing., rectius legi אחותיך in plur., cum de *duabus* sororibus agatur, et mox in plur. sermo de iis fiat. Quod observavit jam *Calvinus* et confirmant Gr. et Syr.

§. CCXCVIII Sed quae est altera illa *soror sodoma?* de *samaria*, tanquam metropoli Israelitarum, res satis clara est. Judicandum vero de ea est ex praedicatis, quorum praecipua sunt 1. eam arcta necessitate fuisse Judaeis cum et Israelitis conjunctam, ita ut *sororis* titulus ei dari possit. 2. ejus sedem fuisse ad dextram Hierosolymae, uti *samariae* ad sinistram, adeoque versus *austrum* Judaeae es, cujus facie *ortum* versus respicit. Quod satis est receptum. 3. Praecipuam

puam ejus corruptionem fuisse luxum, superbiam, securitatem et fiduciam carnalem, praeter idololatriam vers. 49, 50. 4. eam fuisse despectui habitam, et contemto in statu tempore prosperitatis Judaeorum vers. 56. 5. denique eam, a Deo destructam, fore restituendam, et Judaeo populo instar *filiae*, una cum Israelitis, subjiciendam, vers. 61. Quae, si ad animum revocentur, de *Sodomaeis* proprie dictis, cogitare vetant. Nullum enim praedicatum est, quod in eos convenit, cum dudum fuerint e medio sublati Sodomaei, antequam Juda et Israel in rerum natura fuerint, adeoque pro *sorore* eorum haberi nequeant; nec ulla cognatio inter eos intercessit unquam, nulla etiam ejus restitutio locum habere potest, aut unquam promissa est, accedit, peccatum sodomaeum fuisse non hoc praecipue, quod hic memoratur, uti notum est. Qui itaque populi eo nomine hic censendi sunt insigniti? Ill. Grotius intelligit *Moabitas, et Ammonitas*, Judaeorum cognatos ex *Thare* patre Abrahami, unde erat *Loth*, progenitor eorum. Ex mea opinione sunt *Edomitae*, quippe in quos supra producti characteres unice conveniunt; *Edomitae* eo magis in scenam prodeunt, quod Judaeis fuerint propius conjuncti, ex uno quippe Patre Isaaco, unde *Jacob* et *Esau*, praeterea summa emphasi et proprie maxime ad *dextram* Judae habitantes, versus *austrum*, uti notum est. accedit nominum סדם et אדם convenientia, nominis אדם tantum una littera mutata et in deterius flexa, uti subinde fit in Script. sic אגן in און Gideon pro ירבעל adpellatur ירבשת 2 Sam. XI: 21. Conf. alia Mich I. Sic ביתאל in ביתאן vertitur, et בית ארבאל vel ירבאל Hos. X: 14. Habuerunt praeterea illi populi multum simile cum Sodomaeis, in corruptione, et judicio Dei in ipsos, uti de Idumaeis Jer. XLIX: 18 Denique Sodomaeorum potius, quam Edomaeorum nomine videtur usus propheta, non tam eorum, quam Judaeorum causa, ad eos magis convincendos et pudefaciendos, tanquam illis pejores, et majore emphasi *Sodomaeos* dicendos, uti Jes.

Jes. I: 10. III: 9. Jer. XXIII: 14. Deut. XXXII: 32. Quae si non satisfaciant, legi poterit אדם pro סדם, quae litterae facile permutantur.

§. CCXCIX. Consideremus nunc hisce jactis fundamentis, Israelitas, et Edumaeos, tanquam *sorores* Judaeorum, alteram majorem ad sinistram, alteram minorem ad dextram, ejusdem praeterea *originis pravae*, et *corruptae conditionis*. 1. *Sorores* sunt et naturaliter et moraliter, quatenus ejusdem sunt originitus familiae, Israelitae quoque ex Jacobo, Esavitae ex Isaaco, patre Jacobi et Esavi, praeterea aeque degeneres a progenitoribus, ut Amorrhaeum dici queant habuisse *patrem* et *Chittaeam* matrem, ut mox videbimus. 2. *Sorores* sunt in vicinia habitantes, Samaria ad sinistram, et Esavitae ad *dextram*, vultu ad ortum verso. 3. *sorores* sunt, altera *major*, altera *minor*, *a*. Samaria seu Israel respectu *Judae* major *cum* ob jus primogeniturae in *Josephum* collatum, et ditionum amplitudinem, *tum* ob *dominium*, quod ante fuit penes Josephi posteros in *judicibus* Ehude, Gideone et aliis, et rege *Saulo*, quam penes *Judam*, *tum* ob majorem potentiam, et praetensam auctoritatem, quam Ephraimitae sibi arrogarunt; et unde *aemulationes* ejus continuae ortae sunt in *Judam*. *b*. *Edomitae* vero sub *minoris* sororis titulo veniunt respectu Judae, et Israelis, *partim*, quod Edomaei fuerint ex Esavo, jure primogeniturae privato, et in Jacobum translato, cum benedictione patriarchali, *partim*, quod quo tempore Judaei fuerunt sub Davide et Salomone in summo vigore et flore, Esavitae in statu vili, et servili, Judaeis subjecti fuerint, Ps. LX: 10. *partim* quod numero et potentia ac ditionum amplitudine fuerint reliquis minores.

§. CCC. 4. *Sororibus* hisce tribus imputatur, quod *maritos* et *filios* suos cum fastidio spreverint, illos per *adulterium*, hos per *necem*: respectu nimirum *idololatriae*, et *oblationis* filiorum idolis, omnibus illis communis, et contra obligationem, qua Deo, vero marito, erant obstrictae, et in stirpis auctoribus, etiam adsociatae; uti Esavitae tempore Esavi.

Respici vero ad *idololatriam*, ex toto capite manifestum est. Indicatur itaque simpliciter, omnes illos Judaeos, Ephraimitas, et Idumaeos fuisse idololatriae deditos, et quidem Judaeos et Israelitas pessimae quoque, qua *filii* offerebantur. 5. Denique communes dicuntur habuisse parentes, matrem *Chittaeam*, et *patrem Amorrhaeum*; quatenus in Chittaeorum et Amorrhaeorum mores degenerarunt, et eorum imaginem expresserunt; eosque imitati sunt. Quod qua ratione in Judaeos et Ephraimitas quadret, supra exposui; hic tantum restat ad *Esavitas* illud adplicandum; quod non est difficile, si ad *situm* illorum adtendatur, *Esavitae*, praeterquam quod ex matre Chittaea, uxore Esavi Gen. XXXVI. naturaliter sint progeniti, successerunt in locum et sedes *Choritarum*, ut ibid. habetur, gentis Amorrhaeorum et Chittaeorum, ac australes Cananaeae partes tenuerunt, vicinas illis populis. Sicut itaque *Judaei*, ita et Esavitae eodem sensu dici possunt *parentes* eos habuisse; et progenitores suos pios abnegasse, in eorum populorum, quibus successerunt et vicini fuerunt, *mores* degenerantes.

§. CCCI. *b.* Pergitur ad *deteriorem* Judaeorum statum moralem describendum, vers. 47—52. Ubi 1. occurrit *propositio*, qua Judaeis imputatur, quod gravius deliquerint, et magis corrupti sint, quam Israelitae, et Esavitae vers. 47. *Et non in earum viis incessisti, et secundum abominationes earum fecisti, brevi pertaesum* (vel *parum duntaxat*) *et corrupisti prae illis, in omnibus viis tuis.* h. e. idololatrica earum gentium instituta non tantum es imitata, quod brevi te taeduit, vel parum duntaxat tibi fuit, sed te in actionibus ac facinoribus tuis omnibus longe deteriorem praestitisti, *partim*, quod te magis corruptam demonstrasti idololatriam exercendo, cum nullam habueris rationem, quae te movere potuerit, majores rationes vetantes, et prohibentes, *partim*, quod majora et atrociora facinora et scelera commiseris, praeter idololatriam. Haec duo existimem maxime intendi, cum Judaei dicuntur *magis* fuisse *corrupti* in *viis suis*, prae

Israe-

Israelitis et reliquis populis; non quod pejorem exercuerint idololatriam, hac parte enim Israelitae et reliqui populi fuerunt similes, et sicut in initio versus etiam traditur, sed quod mores Judaeorum fuerint pejores; uti phrasis indicat, et uno exemplo Sodomae exponitur accuratius, praeterea quod idololatria ab ipsis admissa signum fuerit animi magis corrupti, cum nullam habuerint rationem moventem, praeter pravitatem animi, secus ac *Israelitae*, qui politicas habuerint rationes, et reliqui, qui longo tempore adsueti erant, et praeterea longe majores rationes absterrentes, quod majora habuerint privilegia, et media idololatriam vitandi per Templum in medio eorum, legis institutionem, pios subinde reges, populum reformantes, et prophetas variaque alia beneficia in eos a Deo collata. Nihil hic insuper notandum habeo, nisi phrasin כמעט קט denotare, vel *sicut brevi pertaesum*, vel sicut *parum vel vile*, *duntaxat*; quem usum habet קט apud Arab. Vid. Cl. Schult. ad h. l. Posset forte legi כי מעט *quia* ramentum, seu vile contemtissimum tibi est, imo taediosum, quod ferre non possis. De voce מעט vid. ad vers. 20.

§. CCCII. 2. Propositio facta illustratur et confirmatur per recensionem peccatorum Sodomae, et declarationem repetitam, Judaeos sese utrisque sororibus praestitisse longe pejores vers. 48—51. Ubi a. catalogus texitur peccatorum et criminum Sodomae praeter idololatriam, vers. 48, 49. his verbis. *Vivo ego, inspiratum Domini Jehovae, si fecit Sodom Soror tua, ipsa et filiae ejus, secundum quod tu fecisti, et filiae tuae; ecce, haec fuit perversitas Sodomae Sororis tuae; tumida elatio, satietas panis, et eliquatio sidere faciens ipsi et filiabus ejus adfuit, et manum adflicti ac egeni non firmavit.* h. e. Quam verum est me vivere, tam certum, perversitatem Idumaeorum et novorum Sodomaeorum illorum, longe minorem fuisse quam Judaeorum, quippe sitam praecipue in luxu, securitate carnali, et superbia; indeque nata insolentia in adflictos et egenos, quibus non succurrerunt, sed

injuriam intulerunt. Verba habere conspectum *juramenti*, adeoque certissimam veritatem fortissime adseverare, praeterea luxus, securitatis, et superbiae vitia, cum pauperum contemtu, comprehendere, satis certum est; nec hac parte aliquid habent difficultatis: de vocibus שלות השקט, quas verti, *eliquatio sidere faciens*, ad earum proprietatem respiciens, quibus denotatur summa tranquillitas et securitas carnalis et insolens, sine ullo Dei aut hominum metu, vid. Schult. Orig. t. II p. 52. et Schroed. disput. ad Orig. cap VI. Sed alia sunt, minus observata, quae ad verum verborum conspectum faciunt, paucis proferenda. 1. *Primum* est, non de *idololatria*, sed *moribus* hic agi, et vitae instituto; quod ex ipsis verbis facile elucet, non quod idololatrae non fuerint Sodomaei, de quibus hic agitur, sed quod Judaei non ejus, sed morum respectu fuerint in primis pejores. Idololatria utique Sodomaeis etiam diserte imputatur vers. 45, et 50. 2. *Secundum* est, vitia *superbiae*, *satietatis* et *securitatis* hic intelligenda esse, una cum pravis principiis, unde originem habuerunt, et effectis, quae produxerunt, adeoque comprehendi vanam opinionem de se et sapientia, et opibus et viribus, fiduciam in iis, luxum et libidinem, et fastum vitae, Dei hominumque metu seposito. 3. *Tertium* habet, *adflicti et pauperis manum non firmare*, emphasin habere majorem, quam negativa phrasis ad primam speciem videtur, et includere contrarium, ita ut לא sit, ut saepe alias, *nihil minus*, sed contrarium, praeterea illud expresse addi, propterea quod praecipuum fuerit crimen, cui judicium Dei in ipsos sit imputandum; respicitur vero in specie ad Judaeos adflictos et egenos, quod jam vidit Grotius, quibus opem non tulerunt, sed insultarunt potius; uti Edomitis expresse imputatur Ez. XXV: 8, 12. Am. I: 12. et Obadj. 10, 12. 4. *Quartum* est, Sodomaeos, proprie dictos et veteres illos, hic non depingi, sed *novos* ac mysticos Idumaeos; uti ex superioribus patet, et hac ipsa descriptione confirmatur. Sodomaeorum enim fuerunt alia quo-

que

que et atrociora crimina, haec autem Edomitarum et propria, et iis in verbo prophetico passim imputata, Amos I. Ez. XXV. et Obadj. aliisque in locis. Reliqua sunt facilia.

§. CCCIII. *b.* Ratio judicii Divini in duas has sorores Judaeorum interseritur, et Judaeis in exemplum proponitur, ut inde discant, quid ipsi longe deteriores mereantur. vers. 50. *Et altifrontes fuerunt, et fecerunt abominabile coram me, easque removi, quemadmodum vidi.* h. e. sorores illas tuas, etsi te meliores, tamen propter insolentem superbiam earum et idololatriam, me praesente commissam, sedibus suis expuli, quum judicialem institui inspectionem. Duo hic memorantur crimina; destructionis eorum populorum causae, *superbia* impudens, et *idololatria*; *illa* enim verbo גבה exprimitur, cujus proprietas est in *frontispicio* amplo et *editissimo*; metaph. oculis, fronti, animo adscriptum dicit superbiam, adrogantiam, impudentiam, sese oculis verbis et factis exserentem. Vid. Schult. ad Prov. *Haec* vero, seu idololatria, voce *abominationis* hic et alibi apud Ezech., insigniri solet, ut facile patet. Sed emphasi non caret, quod additur *coram me*, indicatur enim Deum illis populis fuisse singulari modo praesentem; uti Israelitis et Esavitis in vicinia Judaeae et Hierosolymae, ubi Deus habitabat, degentibus: quae quoque ratio est, quare ipsi Idumaei fuerint propter ipsam idololatriam puniti. *Judicium* ipsum exprimitur verbo *amovendi*, scilicet a sedibus suis et bonis. Quod ipsis inflictum dicitur, quum Deus *vidit*, id est judicialem instituit eorum visitationem, quod est *videre* Dei, tanquam judicis; uti Gen. XVII: 21. et alibi. Sed alii legunt ראיתי *vidisti mihi*: quod hic locum habere nequit, ut facile cernitur. Ceterum notandum est, hic de *Sodomaeis* seu Idumaeis non tantum, sed et Samaritis, seu Israelitis quoque agi, secus ac vulgo putatur, quia non de *una* sorore, sed *duabus* in plur. sermo fit, quibuscum etiam comparatio erat instituta vers. 47. et quibus mox etiam declaratur

ratur foror Judaea deterior verf. 51. Habet itaque hic verſus conſpectum parentheſios, ſermoni ſpeciali de Sodoma et Samaria inſertae, et eum interrumpentis, qua miſera earum Sors, ex peccatis orta, Judaeis, longe deterioribus in exemplum ob oculos ponitur. Subjungitur recenſioni criminum Sodomae, et praemittitur criminibus Samariae, adeoque ſermonem interrumpit, et ad utramque ſororem ſeſe porrigit, ſeu Ephraimitas et Edomitas, novos Sodomaeos; nec obſtat, quod *Edomitae* nondum fuerint exterminati, cum Ephraimitis jam inflictum erat judicium, et reliquis mox etiam infligeretur, adeo ut *removi* ſit, partim feci, partim faciam propediem; in quo nihil eſt, quod offendit, et inſolitum eſt: maxime cum אסיר in fiat. occurrat.

§. CCCIV. *c.* Pergit, judicio hoc in utramque ſororem inſerto, in comparatione ſororum inſtituenda, et, cum verbo dixiſſet, Judaeam ſororem longe eſſe Samaritana deteriorem, concludit, ſuperiora repetendo, Judaeam utraque ſorore eſſe pejorem, adeo ut eas ea ratione juſtificare poſſit, et pudore confundi debeat, verſ. 51, 52. *Et Samaria ſecundum dimidium peccatorum tuorum non peccavit, et ſpiſſas feciſti abominationes tuas prae illis, et juſtificaſti ſorores tuas per omnes abominationes tuas, quas feciſti; etiam tu fer ignominiam tuam, quae judicaſti ſorores tuas*; vel *pro ſororibus tuis, per peccata tua, quibus abominabilem te feciſti prae illis, juſtificatae ſunt prae te; itaque etiam tu erubeſce, et fer ignominiam tuam, cum juſtificaveris tu ſorores tuas.* Nihil hic obſcuri; (tantum notetur pro אחותך v. 52. leg. in plur. אחותיך, ut veteres habent verſiones, et ſeq. phras. requirunt.) niſi in verbo פלל verſ. 52., quod et in malum pro *condemnare*, et in bonum pro *patrocinari*, judicare pro aliquo, et in ejus gratiam ſumi poteſt; *prius* ſi admittendum, ſenſus eſt, improbam Judaeam verbis *judicaſſe* Sodomaeos ac Samaritanos, tanquam juſte confuſos et punitos, *peccatis* tamen ſuis gravioribus potius *juſtificaſſe* tanquam injuſte punitos, cum ipſa longe ſceleſtior adhuc ſtatum ſuum

tuea-

meatur; quare denunciatur ei, et ipsam eandem sortem esse subituram, miseram et contumeliosam. Si posterius, sensus erit, Judaeos suis majoribus sceleribus in favorem Israelitarum et Sodomaeorum judicium tulisse, quatenus minus peccarint, adeoque nimis graviter puniti sint; quod modo dictum erat *justificasti*, ut mox sequitur. Quod non est spernendum, et nexui sermonis recte respondet.

§. CCCV. *d.* Subjungitur confusionis, Judae infligendae, explicatio, quum Judae tribum, aeque ac Samariam et Sodomaeam, esse removendam, et captivam in exilium abducendam, expresse traditur vers. 53, 54. *et abduxi captivitatem earum, captivitatem Sodomae et filiarum ejus, et captivitatem Samariae et filiarum ejus, et abduxi captivitatem tuam in medio earum, propterea ut feras ignominiam tuam, et pudefias propter omnia, quae fecisti, dum tu consolata es eas.* h. e. Cum tu sorores tuas justificaveris aliquatenus, teque dixi contumelia propterea esse adficiendam, scias velim, te aeque ac illas esse in captivitatem abducendam, et contumeliose tractandam, eaque etiam in re, sicut antea in sceleribus eas justificasti, iis adlaturam *consolationem*, quod te quoque videant punitam. Interpretes haec verba in contrarium plane sensum verterunt, de reductione captivitatis intelligentes, verbo שבתי in initio vers. 53. in errorem ducti; quod hic neutiquam admitti potest, 1. quia vers. seq. 54, finem et exitum ejus rei, vers. 53. memoratae, collocat in *contumelia* a Juda ferenda propter omnia flagitia. Quod plane abhorret a reductione et restitutione populi, 2. quia restitutio illa vers. 55. demum incipit promitti; quod superfluum plane foret, si hic ea jam fuisset exposita 3. quia in ultimo vers. 53. membro non legitur שבתי sed שבית a שבה in *capitivitatem abducere*; et non a שב *reverti* et *reducere*. Dubium itaque mihi non est, quin שבתי sit punctandum, uti שביתי, deficiente uti et alias fieri constat י, sic עשית vers. 59. pro עשיתי utrobique itaque est שבתי, vitiose punctatum; et sensum fundit facilem, qui

 habet,

habet, Deum aeque Judam esse captivum abducturum, uti fecerat Samariae, et Sodomae faceret; et ea re esse contumelia ac pudore adficiendam Judam, ac *consolationem* adlaturam Samariae ac Sodomae, cum viderint Hierosolymam eandem sortem subire. Reliqua sunt facilia

§. CCCVI. Inseritur, per modum parenthesios, praedictio restitutionis aeque Samariae et Sodomae ac Hierosolymae, occasione memoratae communis earum captivitatis, per anticipationem, quae mox clarius in tertia parte revelationis et accuratius exponitur; inseritur autem obiter ad Judaeorum confusionem, quod eandem sortem felicem subirent quoque Samaria et Sodoma, et privam non haberet Hierosolyma. Hunc existimem scopum et sensum esse vers. 55. *Et sorores tuae, Sodom et filiae ejus revertentur in pristinas suas sedes, et Samaria et filiae ejus revertentur in pristinas suas sedes, et tu ac filiae tuae redibitis in pristinas vestras sedes.* h. e. Sicut tu communem cum iis habebis sortem in exilio, ita illae tecum in restitutione, quod obiter hic memoro, ad tuam superbiam, qua te nimium extollis, supra reliquas sorores, retundendam. Convenit autem satis inter Interpretes, hic agi de populorum illorum instauratione; quam phrases omnino requirunt; sed qua ratione *Sodomaeis* conveniat, non idem sentiunt; licet communiter de spirituali intelligant, et euangelica, quia *Sodomae* proprie dictae alia non convenit. Sed nec illa in Sodomaeos, qui non amplius supererant, quadrat, nec *spiritualis*, sed proprie dicta restitutio intelligenda est. Nos hic non haeremus, qui *Edomaeos* intelligimus, de quorum restitutione historia testatur.

§. CCCVII. *e.* Redit propheta ad Judam confundendum, et contumeliosum ejus statum, una cum reliquis sororibus, repraesentandum, quo desineret Sodomam spernere, sicut antea fecerat, et ipse opprobrio esset reliquis populis vicinis alienig[e]nis, quum fert poenam improbitatum suarum, sicut esse coeperat, quo tempore a Syris, et Philistaeis fuit

contu-

contumeliose tractatus et laceratus; eaque ratione concludit comparationem ejus cum Samaritis et Sodomaeis. Hunc existimo difficilis pericopae vers. 56—58. scopum et sensum esse. Verba ita habent: *et nihil fuit Sodoma soror tua ad famam in ore tuo, die fastuosarum tuarum elationum, usque nondum revelata fuit malitia tua, sicut tempore lacerationis filiarum Syriae, et omnium finitimarum ejus, filiarum Philistaeorum, quae flagellarunt te undiquaque, obstinatum tuum scelus, et abominationes tuas tu tulisti, inspiratum Jehovae.* Verba mihi videntur comparationem continere status contumeliosi Sodomae in oculis Hierosolymae tempore praecedente, et ejusdem conditionis Hierosolymae in oculis populorum vicinorum, partim ante, partim nunc, quo ferret poenam peccatorum suorum, ad indicandum, Hierosolymam nihil habituram, quo sese supra Sodomam efferat, sed eandem sortem subituram, aeque probro et lacerationi futuram vicinis ac fuerat Sodoma ipsi. Duo itaque sunt pericopae membra, quorum *prius* probrosum Sodomae statum respectu Hierosolymae praeteritum exhibet, ad illud usque tempus, quo retecta est malitia ejus; *posterius* ejusdem, et majoris, miseriae Hierosolymae descriptionem respectu populorum vicinorum repraesentat, tempore visitationis ejus judicialis, quo feret poenam peccatorum suorum.

§. CCCVIII. *Prius* membrum ita sonat, *et nihil fuit Sodom soror tua ad auditum in ore tuo, die fastuosarum tuarum excellentiarum, antequam revelata fuerit malitia tua.* h. e. Edomitae nullius fuerunt pretii, viles et contemti, in oculis tuis, ita ut ex ore tuo non fuerint fere auditi, maxime tempore summae tuae excellentiae sub Davide et Salomone, sed et deinceps ad illud tempus usque, quo summa tua corruptio visitata est judicialiter, et in publicam lucem protracta, ad eam vindicandam. Vocula לא, ut saepe alias, *nihil*, nullius pretii et aestimationis, denotat, et *nihil esse in ore ad auditum* significat, contemtim de aliquo sermonem fieri, ita ut quoad famam nihili fiat, et nihil esse pronunс-

cietur passim. Tales fuisse dicit Esavitas, qui *Sodomae* nomine hic veniunt, in oculis et ore Hierosolymitanorum, tempore *summae excellentiae* Judaeorum, scilicet sub Davide et Salomone, uti liquet ex historia, et Ps. LX: 10. expresse habetur; additur, aliquatenus durasse adillud tempus usque, quo nondum *revelata erat malitia Judaeorum*: quae voces cum praeced. conjungendae sunt, ut recte Piscator vidit, et facile adparet. *Revelatio* intelligitur judicialis, qua Judex eam visitat, cognoscit, et in publicum profert, tanquam puniendam; quod vers 50. *videre* dicitur, ut ibi observavi. Manserunt Idumaei contemtibiles in oculis Judaeorum, quamdiu stetit horum resp., non obstante, quod jugum Judaeorum excusserint.

§. CCCIX. *Posterius* membrum ita habet: *similiter tempore lacerationis filiarum Syriae, et omnium vicinarum ejus filiarum Philistaeorum, quae flagellarunt te undiquaque, scelus tuum et abominationes tuas tulisti ea.* h. e. Sicut Edomitae tibi fuerunt opprobrio et contemtui; ita tu esse coepisti vicinis populis, a quo tempore a Syris et Philistaeis lacerata es et flagellata, poenasque tuorum scelerum tulisti; feresque ad finem usque. Ad quorum intellectum not. 1. voculam כעת esse ellipticam, et זאת subintelligi posse per seq עת absorptum, adeoque significare *secundum hoc*, vel *similiter*, uti Ps. LXXIII: 15 ubi הנה, per seq. הנה absorptum, subintelligi debet, ut ad eum locum observavi: sensus ergo est, *similiter* cum Juda esse agendum, sicut egerat cum *Sodoma*. LXX recte ὃν τρόπον et Syr. איך *quemadmodum* verterunt. 2. Vox עת etiam est elliptica, deficiente praepositione, non quidem ב, sed מ, per praeced. כעת absorpta, adeoque leg. מעת *a tempore*; ut terminus a quo significetur, quando revelari incepit malitia Judaeorum, et vindicari a Deo: quando ferre incepit *scelus et abominationes*, ut vers. 58. habetur. 3. Sequentia illud tempus definiunt, et periodi vindicationis divinae initium exponunt, quando Hierosolyma probrose tractata a *Syris* et *Philistaeis*, qui eam *lacerarunt* et *flagellarunt*,

quod

quod tempore Achazi factum est, quo etiam respicitur vers. 27., ut ibi exposui. Et haec est ratio, quare *Syrorum* et *Philistaeorum* expressa fiat mentio. Vox חרפת proprietatem habet in *carpendo* et *stringendo*, unde ad contemtibilem tractationem, et verbis et re ipsa, transiit: verbum vero שאט, et שוט, proprie est *ussit*, *urendo laesit*, inde *flagellavit*, etiam pro *flagello poenae* occurrit. Vid. Schult. ad florileg. p. 173. Sic *flagellum* pro diro malo a Deo inflicto ad terrorem sumitur Job. IX: 23. 4. Denique, cum Hierosolyma ab eo tempore *scelus* et *abominationes tulisse* dicitur seu facinorum poenas, includitur *futurum* instans, adeo ut sit, *tulisti* et *feres ad finem* usque, uti Samariae et Sodomae contigit, et tu amovearis et abducaris in exilium; ut vers. 53. habuimus.

§. CCCX. *Tertia* pars revelationis, instar adpendicis ei adjuncta, (nam ipsa revelatio complectebatur *abominationum* Hierosolymae, earumque vindictae, declarationem, vers. 2. ut ibi vidimus) ad solatium in primis piorum, et eorum confirmationem in fide et spe, ne putarent cum populo et Ecclesia in perpetuum actum fore, luculentum repraesentat promissum de foederis rupti renovatione, et promissorum exuberante impletione, supra ipsam foederis litteram, in Judaeorum instauratione et Samaritanorum ac Idumaeorum adsociatione cum Judaeis non jam instar *sororum*, sed *filiarum*. Quod tempore Maccabaico litteraliter, sed sub Messia spiritualiter factum est: uti ex verbo prophetico et historia constat. Huc existimem tendere ultimam pericopam vers. 59—63. Cujus *tres* sunt partes: quarum א. *prima* renovationem foederis antiqui cum Hierosolyma initi, et firmam perpetuamque durationem exhibet vers. 59, 60. ב. *Secunda* bonum aliquod adjectitium, foedere non contentum, in signum singularis Dei favoris, tanquam superpondium, complectitur, in sororum illarum civili et religiosa subjectione Hierosolymae situm. vers. 61. ג. *Tertia* superiorum repetitionem et illustrationem ac confirmationem continet vers. 62, 63.

§. CCCXI. N. Prima pars ita sonat vers. 59, 60. *Quia vero profecto, sic dixit Dominus Jehova, et feci tibi, sicut fecisti, quae sprevisti exsecrationem frangendo foedus, et recordabor ego foederis mei tecum diebus juventutis tuae, et stabiliam tibi foedus aeternum.* h. e. postquam tecum ego, sicut tu mecum, foedus, exsecratione sancitum, proterve rumpendo, foederis exsecrationes in te executus fuero, ad animum tunc revocabo foedus meum, o Hierosolyma, quod tecum pepigi, quo tempore te mihi adjunxi uxorem, per quod te sedem posui regni et Ecclesiae, meaeque praesentiae; nullaque violationis ejus habita ratione per adulteria tua, et scelera alia, a me sufficienter vindicata, remittam tibi omnia, et foedus illud fixum ratumque esse jubebo in aeternum, adeo ut in pristinum statum gloriosius etiam sis restituenda et ad finem usque mansura. Hac ratione cohaerent verba et hic rerum sensus est. Quod ut elucescat 1. ad structuram orationis not., duplex ו vers. 59 et 60. in ועשית et וזכרתי sibi respondere, ut Lat. *quum, tunc*, vel *postquam tunc*, ut sit, *quum*, vel postquam *feci tibi* — — *tunc*, deinceps, *recordabor* — — — Qui usus voculae ו repetitae satis est usitatus, et saepe a nobis observatus; hic autem sponte sua se offert. 2. foedus ruptum esse in genere Sinaiticum, quatenus sub *exsecratione* sancitum est in campestribus Moabi, quo in voce אלה manifeste respicitur, in specie ad Hierosolymam, tanquam ubi metropolitica ejus sedes foret, adplicitum; adeoque quo Deus eam, qua talem, sibi adsociavit: uti vers. 8. habuimus et explicuimus. 3. idem foedus intelligi, quod a Deo renovandum et stabiliendum dicitur in perpetuum, vers. 60. Cujus certa est demonstratio in eo, quod Deus recordaturus dicatur *foederis diebus juventutis* cum ea pacti, nec aliud sit, quod Deus *firmum ratumque* faceret in perpetuum; posteriore enim membro non dicitur Deum *pacturum* esse foedus, multo minus *novum*, sed tantum *stabiliturum in foedus aeternum;* utique illud ipsum, cujus Deus *recordaretur;* accedit, si *diversum* intelligeretur, dici debu-

debuisse, *non recordaturum*; uti de *arca* foederis Jes. III: 16. et re ipsa de foedere vetere et novo Jer. XXXI: 31, 32. *Foedus* vero *tempore juventutis* cum Hierosolyma pactum, non est, illud Abrahami, seu gratiae, ut putatur, sed tempore Davidis et Salomonis, relate ad Hierosolymam; uti manifestum est ex vers. 8. ubi vid. dicta. Declarat itaque Deus, populum Judaeum esse instaurandum, Hierosolymam denuo fore sedem regni et Ecclesiae, ubi Deus habitaret, simul splendidam et prosperam futuram, sicut tempore juventutis, sub Davide et Salomone, denique ad finem Oeconomiae V. mansuram, donec compleatur sub Oeconomia Nova in aeternum. Hanc enim sensus amplitudinem habet vox עולם, ut saepe alias observavimus. Ex quibus omnibus facile elucescit, male hic cogitari solere, uti faciunt Interpretes, de foedere gratiae novo et euangelico; cujus hic nullum exstat indicium, non *novum* non *aliud* dicitur, nec *pactio*, sed *stabilitio* tantum foederis memoratur, et diserte illud adpellatur, quod tempore *juventutis* obtinuit: nec obstat vox עולם, ut ex dictis patet. Ceterum incepit impleri hoc promissum cum reditu Judaeorum ab exilio, et plenum complementum habuit tempore Maccabaico, sed completum sub *Oeconomia nova*, ut omnia V. Oeconomiae.

§. CCCXII. ב. *Secunda* pars continet aliquod superpondium, seu exuberans bonum, majus, quam ex foedere populi exspectari poterat, bonis itaque foederis adjectum *ἐπίμετρον*, eaque superans, ex pura benignitate Dei ortum, quo loco sororum haberet pro *filiabus*, *Samariam* et *Sodomam*: Hierosolymae tanquam metropoli subjectas instar filiarum; vers. 61. his verbis; *et recordaberis viarum tuarum, et erubesces, quum acceperis*, (tanquam possessionem propriam) *sorores tuas majores te una cum minoribus te, etenim dabo tibi illas in filias, et non ex foedere tuo:* Quorum sensus est, Israelitas et Edomitas, antea Judaeis et Hierosolymitanis in origine adsociatos, et in moribus similes, sed diversos et sui juris, tanquam *sorores* tantum, nunc post omnium reductio-

ductionem et instaurationem, uti vers. 55. dictum erat, a Judaeis esse acquirendos, et in eandem societatem adsociandos, iisque subjectos fore, instar *filiarum*, non quidem virtute foederis, a Judaeis observati, ne quidem tanquam proprium foederis istius promissum, sed ex pura Dei benignitate, et tanquam superpondium, et bonum adjectitium, ἐπίμετρον. Quod litteraliter impletum est temporibus Maccabaicis, quando Israelitae, et Edomitae Judaeis ac Hierosolymae in una societate religiosa adjuncti, et ipsis subjecti, uti praedictum erat, et ex historia factum esse constat, sed *spiritualiter* ac plene sub euangelio impletum est, uti notum. Nihil hic difficile, nisi in phrasi, *non ex foedere tuo*. Interpretes, qui de spirituali et euangelica adsociatione, et subjectione tantum cogitant, *foedus Sinaiticum* intelligunt, et sensum esse volunt, haereditatem mundi Judaeis non ex eo, sed foedere gratiae, contingere. Verum 1. nulla ratio est, quare foedus Sinaiticum adpellaretur *foedus ejus*, cum aeque sit *Dei*, ac gratiae foedus. 2. foedus Sinaiticum quoque promissum spirituale, Abrahae factum, de gentium benedictione in semine ejus, fuit complexum; uti alibi disputatur, ergo absolute dici non poterat, *non ex foedere tuo*. 3. nulla mentio occurrit *foederis* alius, aut novi; ut ex dictis constat, quae tamen abesse non poterat, dici debuisset, non *foedere tuo*, sed *novo*, tecum pangendo. Quid itaque? mihi alterutrum videtur statuendum, si non, quod malim, utrumque conjungendum. *Alterum* est, indicari, illud bonum Judae et Hierosolymae non esse dandum, virtute foederis, ab ipsis observati, ad quod itaque eo nomine jus habebant, cum eo jure plane per foedus violatum exciderant: ita accepit Chald., et unus ac alter Interpretum, etiam Grotius. Ferre illud potest phrasis, et confirmat, quod vers. 59. foedus diserte dicatur ab iis ruptum, nec non quod hic praemittatur, eos *viarum* cum *pudore recordaturos*, cum hoc bono mactarentur, argumento, non ex jure per foederis observantiam acquisito illud consecuturos, non ergo

ergo *ex foedere ipsorum*: accedit, eo etiam nos ducere phrasin *ex foedere tuo*: quare expresse *ex foedere tuo*? cum alias semper *foedus Dei* adpellatur: ratio est, quod foedus ipsorum fiat foedus Dei per ejus observantiam, per quam sunt in *foedere*, et est ipsorum quoque foedus, et sine qua *non est* amplius *foedus ipsorum*. *Alterum* est, phrasi hac indicari, possessionem illam de qua hic agitur, non esse proprium, ac directe promissum bonum foederis Dei cum Juda et Hierosolyma, sed ejus superpondium et adjectitium bonum. Quod phrasi involutum esse clarius adparebit, si voculae לא usus admittatur, haud infrequens, quo comparationem negativam denotat, et *plusquam* significat; ut et *non ex foedere tuo* sit, plusquam ex foedere tuo: sic Jes. XXIX: 9. *inebriati sunt, et non vino*, plusquam vino. Prov. VIII: 10. *accipite disciplinam et non argentum*, plusquam illud. Vid. Schult. ad l. c. et Job XXX: 28. *atratus incedo absque sole*, plusquam a sole. Sensus ergo erit, populorum illorum adsociationem et subjectionem esse *bonum*, quod Deus ex singulari favore adjiceret, eo tempore, bonis *foederis*; quod quidem proprie ad ea non pertinet, sed insuper accederet; quo sensu Seir, sive Edom adpellatur, *haereditas* Israelis. Num. XXIV: 18. Am IX: 12. Obadj. 17, 19 uti jam observavit Cl. Vitringa Obs. S. l. V. c. 6. §. 18. Ex quo liquet, de Edomo illud recte dici posse, non ex *foedere tuo*, sed qua ratione *Israeli* conveniat, Judae utique et Hierosolymae dato per foedus, cum ea erectum tempore Davidis et Salomonis? Resp. secundum *priorem* sensum, modo datum, *absolute* illud dici posse, uti facile liquet, cum Judae nullum jus esset in bona foederis vi foederis observati, adeoque nec in Israelem, sed secundum *posteriorem* restrictius et minore emphasi, aliquatenus tamen, relate ad restrictionem foederis cum domo Davidis et Hierosolyma factam a Deo post lapsum Salomonis, quando Israel separatum regnum, et sui juris factum est, uti constat, quemadmodum hic consideratur, ubi tanquam

foror Judae introducitur; cujus itaque adsociatio et subjectio Judae et Hierosolymae, deinceps futura, conspectum ferre potuit *superpondii* foederis, relate ad illud *restrictum* post Salomonem.

§. CCCXIII. 3. *Tertia* pars beneficii repetitionem, per modum conclusionis, comprehendit, nec nudam, sed cum insigni additamento fructus, quem inde carpere possit Juda et debeat, in eo siti, quod inde discere possit experimento, Deum esse Jehovam, justum quidem in puniendis obstinatis peccatoribus, sed et aequum in condonando poenitentibus, et *veracem* in promissis implendis; praeterea quod, tanto bono contra merita sua mactatus, pudore debeat confundi, et *os claudere*, nihil inveniens in viis Dei culpandum, nihil quo se excuset, aut merita jactet ac privilegia concessa, quippe indebita omnia. Hunc sensum fundunt verba, vers. 62, 63. *Et*, vel *itaque*, *stabiliam ego foedus meum tecum*, *et cognosces me esse Jehovam*; *ut recorderis* (*viarum tuarum* vers. 61.) *et pudore adficiaris*, *nec os amplius prae pudore tuo aperias*, *cum placatus tibi condonavero quicquid fecisti*, *inspiratum Domini Jehova*. Quorum sensum cum modo dederim, nihil superest notandum.

CAP. XVII.

§. CCCXIV. U*ndecima* revelatio, eodem adhuc tempore facta, continet *aenigma parabolicum super domo Israelis*, ut vers. 3. seu similitudinem aenigmaticam, difficillimam intellectu, et majore inquisitione egentem; quare explicatione mox illustrata est secundum *duas* ejus partes, unde *tertia* pars faciles acquirebat explicatus, quae propterea non exponitur. *Triplex* enim simile aenigmaticum proponitur, ad *domum Israelis* pertinens; *primum* exhibet summum ramum cedri Libani decerptum a magna et formosa *aquila*, et

tet tranſlatum in terram peregrinam populoſam et opulentam, Canaan dictam, verſ. 3, 4. *ſecundum* repraeſentat ſemen aliquod terrae, ab eadem aquila plantatum in loco fertili, et in *vitem* humiliorem, ſed luxuriantem excreſcens, ſub tutela iſtius aquilae, quae plantaverat, ſed inde deficientem ad aliam inſignem quoque ac grandem aquilam, ejuſque tutelae ſe committentem; verum infelici cum ſucceſſu, cum inde nihil opis acquireret, et a priore aquila funditus evelleretur, verſ. 5—10. Cujus utriuſque aenigmatis explicatio mox ſubjungitur verſ. 11—21. *Tertium* aenigma proponit tenerum ramum e ſummo vertice *cedri* iſtius a Deo ipſo decerptum, et in ſublimi monte Iſraelis plantatum, ibique in eximiam cedrum excreſcentem, ſub cujus umbra aves omnes latitarent. verſ. 22—24.

§. CCCXV. In *primo* ſimili aenigmatico verſ. 3, 4. *aquila* memoratur grandis, fortis et pulchra, ſummum ramorum cedri alicujus in Libano decerpens, et in Canaanem transferens, his verbis, quae proferam, et ubi opus fuerit illuſtrabo, *Aquila illa* (ſcilicet nota et famoſa, quaſi digito monſtrata, quam emphaſin habet ה in הנשר; cum deinceps verſ. 7. ſimpliciter memoretur נשר *aquila* altera) *grandis illa* (corpore nimirum et viribus bene compacta, et intorta, quae vis eſt vocis גדול.) *magna alis*, (alis fortiſſimis praedita) *longa pennis* (pennis aculeatis praedita longe extenſis) *plena coma* longius demiſſa, *cui erat variegatio acupicta* (quae tota erat plumata, variis coloribus ornata, et pulcherrima) *venit ad Libanum* (montem illum celebrem, et ſublimem magna vi intravit, et occupavit, quam emphaſin praefert verbum בא) *et cepit ſummum ramaſculum cedri, ſummum ſtolonum ejus decerpſit* (ſummum tenerum et gracilem ramorum ejus decerpendo ſibi ſumſit inſtar praedae. Hae enim voces conjunctae ſunt, et ſe invicem explicant; illudque, quod dixi, denotant) *et adduxit illum in terram Canaan, in urbe negotiatorum poſuit eum.* (cum urbs *negotiantium* mox ſubjungatur, *terra Canaan*, in qua erat illa urbs, videtur

tur in genere significare terram mercatoriis; quem usum subinde habet vox *Canaan*, ut supra vidimus c. XVI: 29. Quid autem symbolice significet, mox patebit.)

§. CCCXVI. Explicatio aenigmatis traditur vers. 12. quam mox subjungam, *ecce venit rex Babelis Hierosolymam, et cepit regem ejus ac principes ejus ipsosque abduxit ad se Babelem.* Ex quo manifestum est, quod etiam vulgatum: *aquilam* expingere Nebucadnezarem, regem Babelis, et *Libanum* Hierosolymam, *ramusculum* summum, et supremum stolonem cedri, esse Jechoniam regem, et principes urbis, *Babelem* vero significari per terram Canaan, et urbem negotiatorum, adeoque sensum parabolae aenigmaticae esse, Jechoniam cum domo et principibus esse a Nebucadnezare capiendum, et abducendum Babelem, ut ibi tuto degat, et crescat. Quod idem Jeremiae fuit oblatum sub imagine corbis bonorum ficuum cap. XXIV: 5—7. Lineae comparationis harum rerum cum nihil difficilis habeant, seu satis ductae sint ab interpretibus, moras non necesse est trahere. *α*. Nebucadnezar adpellatur *a*. *aquila* magna, tanquam *rex* summa praeditus majestate, in consiliis et moliminibus acute *cernens*, *celer*, *fortis*, fortunatus et triumphabundus, cui nihil resistere possit, simul *superbus* et alte volans, et de *rapinis* vivens, ac sanguine aliorum. Quae praecipua sunt *aquilae* adtributa. etc. *β*. *Alae* grandes et fortes pingunt *a* qualitates ejus et regni ejus, puta *celerem* impetum, regni amplitudinem gloriam, ac elationem. *b*. *copias* ejus militares copiosas et fortissimas. Quae strictim memorata latius deduxi in Diss. I. ad visa Dan. emblematica. Ubi etiam de *aquilae* emblemate egi. *γ*. Longae *pennae* acuminatae quosvis *duces* militares, nec non quaevis *arma* bellica recte censeri possunt depingere. *δ* Spissa *plumarum* copia, et earum *variegatio*, recte refertur ad ingentem variarum gentium et nationum multitudinem, quibus ornatus fuit rex et arche unius, praeterea ingentem opum et divitiarum copiam, summumque *splendorem*.

§. CCCXVII.

§. CCCXVII. ב. *Libanus* altissimus et gloriosissimus ejus tractus montium, alibi expingit *Judaeam*, celeberrimam et aditu difficillimam terram ob praerogativam populi Dei, ejusque inhabitationis, et tutelae, Jes. XXXVII: 24. ubi vid. Cl. Vitringa, sed hic *Hierosolymam* censetur delineasse, quia vers. 12. ita exponitur. Verum cum Jes. l. c. et Zach. XI. *Libanus* sit Judaea, et saltus *arvi frugiferi* ejus, seu *sylva* sit Hierosolyma, uti Cl. Vitr. ad Jes., et nos ad Zach. exposuimus, et demonstravimus, hic eodem sensu lubentius sumserim, et verbum בא non pro *venire ad* simpliciter, sed *penetrare* intus, uti saepe alias, acceperim, ut sensus sit, Nebucadnezarem, instar *aquilae* verticem montis involantis, penetrasse in summam et intimam Judaeae partem et Hierosolymam occupasse, per *saltum* et *silvam* ejus expictam, quatenus ibi *cedri*, et aliae arbores altissimae sint; quo etiam ducit nos, quod *summum ramum cedri ceperit*, argumento, penetrasse eum ad locum Libani, ubi *cedri* erant. *Hierosolyma* itaque tanquam intima et nobilissima pars *Libani*, seu Judaeae, hic occurrit, ubi sedes est *cedrorum*, quemadmodum tota fere *cedris* abundabat tempore Salomonis, sic sedes erat domus Davidis et regiae per *cedrum* hic delineatae.

§. CCCXVIII. ג. *Cedrus* Libani, hic emphatice et singulariter *cedrus illa*, imaginem gerit *domus Davidicae*, et summus ejus ramus, regem et principes ejus domus ac regni respectu sublimitatis, firmitatis, et usus, quem praebet *avibus*, ut vers. 23. habetur, seu *civibus* sub ejus umbra se tenentibus. Nec ignotum est emblema *cedri* de domo regia Davidis. Vid. infra c. XIX: 10. — Jer. XXII. Jes. II: 13. XXXVII: 24. Zach. XI. *Summus* vero ejus *ramus* est rex ipse, in summa dignitate et gloria constitutus, domus Davidicae excelsum culmen; hic autem in specie *Jechonias*, ut sequentia demonstrant. ד. Hunc ramum Nebucadnezar legitur *decerpturus*, sede sua avulsurus, ac abducturus Babelem, in terra Chaldaeorum, uti factum constat.

Gerit

Gerit autem *terra Canaan* emblema terrae Chaldaeorum, et *urbs mercatorum Babelis*, regni metropoleos: ficut habuimus c. XVI: 29. Videtur autem eo respici ad frequentiam incolarum, nec non omnium rerum copiam et luxum, simul denique loci celebritatem, tanquam *emporii orbis*. Vid. Ap. XVIII. Indicatur praeterea *stolonem* illum decerptum in statu humili et abjecto futurum, non in monte, sed terra *depressa*, uti erat tractus Babylonicus, et vox כנען quoque vi originis insinuat, nec tamen ibi periturum, frangendum, aut consumendum, sed tanquam in horto *aromatorio* tutas sedes habiturum, et bene tractandum; quo vox רכלים etiam trahi potest. Quod recte in *Jechoniam* convenit, deinceps honeste ibi habitum, ut ex 2 Reg. XXV. et Jer. LII. liquet. Conf. etiam Jer. XXIV: 6. Sensus ergo est, Jechoniam cum domo sua fore in Babylonia et Babele; tanquam in loco tuto, et lauto, et ibi denuo plantandum esse et incrementum habiturum, tanquam in loco *aromatorio*, et *mercatorio*, ubi quies est, et omnium rerum abundantia.

§ CCCXIX. *Secundi* aenigmatis parabolici propositio vers. 5—10. et expositio vers. 13—21. occurrit, habetque sequentes partes. א. Prima exhibet seminis terrae plantationem ab eadem aquila in loco superioris cedri, in loco commodo, et ejus scopum ac effectum, vers. 5, 6., ejusque explicationem vers. 13. 14. a. Aenigmatica propositio continet *a*. plantationem seminis terrae in loco commodo, ab eadem aquila factam vers. 5. *Et sumsit de semine terrae, et dedit illud in agro sativo, accipere juxta aquas multas copiosum fluxum*. h. e. loco cedri decerptae et abductae accepit illud semen terrae, illudque in agro fertili et aquoso posuit, ut copiose irrigaretur. Quale fuerit semen, ex seq. patebit, hic reticetur, et simpliciter *semen* terrae, quod in terra humiliore, et non in monte alto, seu Libano crescere solet, adpellatur; simul indicatur non terrae peregrinae, sed soli natalis esse plantam; sed plantatio dicitur facta in loco apto, et fertili, quo pertinet, quod *ager sativus* adpelletur,

et juxta *aquas copiosas* constitutum dicatur semen, ut accipere possit *copiosum fluxum*; quem sensum verba קח צפצפה fundunt, quae verti, *accipere fluxum copiosum* juxta aquas multas. Verbum קח est non praet., ut censeri solet, sed infinit. per aphaeresin primae, ut docuit Cl. Schult. Gr. p. 320. Est autem *accipere* pro, *ut accipiat*, qui etiam est usus infinit. Vox vero צפצפה non est a צפה sed צוף *fluere*, ut חלחלה a חול, et denotat *fluxum copiosum*; uti recte Cl. Simon form. nom. p. 225. quod huc unice quadrat. Interpretes aliter et varie instituunt.

§. CCCXX. *b*. Plantationis scopus fuit, ut inde vitis excresceret, et floreret, sub tutela aquilae, et in ejus subjectione, his verbis vers. 6. *Posuit illud ut germinaret, essetque vitis luxurians humilis statura, ut spectarent palmites ejus ad ipsam, et radices ejus sub ipsa essent.* Quorum sensus est: semen eo scopo ab aquila fuisse agro fertili et aquoso demandatum, ut inde excresceret *vitis*, libere et spatiose sese effundens, sed in statu humili et dependente manens, ita ut curae et influxui aquilae maneat subjecta, eique fidelis. Verba exponunt *scopum* aquilae in plantanda hac vite; in eo situm, quod quidem laete excresceret vitis, sed non in altum se efferret, nec sui juris esset, verum palmites ad aquilam extenderet, et radices sub ea ageret; seu incrementum et floridum statum suum unice acceptum ferret curae et directioni aquilae, adeoque ei fideliter adhaeresceret. Vocula itaque ו *et* in primis verbis est, *ut*, et scopum ac finem denotat, ut saepe alias. Vid. comm. ad Mal. III: 1. §. 128. Praeterea verbum ישׂמ *posuit illud* in fin. versus praecedentis cum hoc nostro est conjungendum, inde male avulsum, hoc sensu: *posuit illud, ut germinaret* etc. Superfluum enim est vers. praeced., nec sensum fundit commodum, cum nostro connexum facilem et aptum habet, ut adparet. Reliqua satis ab interpretibus illustrata sunt. Tantum observetur, *palmites vitis*, qui per se consistere nequeunt, hic dici *spectatures ad aquilam*, ut inde sustentationem

accipiant, et *radices sub ipsa* futuras, ut inde etiam succum suum et alimenta consequeretur; adeoque per omnia ab ejus cura dependeret; et in ejus subjectione maneret fideliter. Relativum in יו aeque ac in אליו respicit ad *aquilam*, ut ex vers. 7. ulterius confirmatur. ε. Subjungitur effectus plantationis et incrementi seminis, his verbis vers. 6. *Et facta est vitis, et fecit ramos, et emisit palmites frugiferos*. Verba non continent repetitionem praecedentium, ut putatur, sed, sicut superiora *scopum*, ita haec nostra *effectum* tradunt, in eo situm, quod vitis plantata, et curata ab aquila, egregie floruerit, et fructus tulerit. *ramos* proferens firmos, בדים, et *palmites fructuosos* פארות, alias פראת, ut c. XXXI: 12. a rad. פרא vel פרה. Vid. Hiller Hierophyt. p. I. c. 3. §. 10. Confirmant sequentia, ubi *fructuum* expressa fit mentio, nec non quod a בדים distinguatur, quae vox ramos majores, et firmiores denotat, uti notum.

§. CCCXXI. β Explicatio primae hujus partis, his verbis traditur vers. 13, 14 *Et accepit de semine regni, et pepigit cum ipso foedus, et adegit ipsum in jusjurandum, et fortes terrae carpsit; ut sit regnum humile, ne se efferat, ad servandum foedus suum, ad stabiliendum illud.* Quorum sensus est, qui se facile offert, Nebucadnezarem, Jechonia abducto, in ejus locum suffecisse unum de domo regia, Zedekiam nimirum, sed non sui juris, nec in regno sublimi et forti, verum Nebucadnezari subjectum, eique foedere et juramento obstrictum. et exigua potentia praeditum, ne se efferre possit, potentibus regni ablatis, et ut maneret in ejus obedientia, eaque ratione stabilem habeat fidem. Nihil hic not., nisi duplex et diversa verbi לקח potestas in *primo* et *ultimo* membro vers. 13. In *primo* enim denotat *decerptionem* e statu communi in sublimiorem et electum; in *ultimo* vero *decerptionem*, quae instar spolii e medio aufert, *sumere* enim *potentes terrae* est eos auferre, et sibi rapere, eo scopo, ut, quod sequitur, regnum sit imbecille et maneat

neat dependens; cum aliqua adlusione ad *arbores* altas et firmas, quales fuerunt *Jechonias* et principes, a Nebucadnezare Babelem translati: ut supra habuimus, uti diserte, hac ipsa voce אילים adhibita, Reg. XXIV: 15. Cohaerent itaque verba ultimi membri v. 13. et primi vers. 19. male disjuncta.

§. CCCXXII. Hisce praemissis ducamus lineas comparationis, sed verbo, cum nihil admodum obscuri sit. 1. *Semen terrae* est Zedekias, ejusdem *terrae* non tantum civis, sed et ex domo regia, *semen regni* dictus vers. 13., sed in statu humili positus, ut *semen terrae*, et non planta montana, unde *cedrus* oritur. 2. Ejus plantatio ab aquila facta in agro sativo juxta multas aquas, ut in *vitem* excresceret, significat ejus collocationem in regno utili quidem et frugifero, sed imbecilli, ac dependente, ut habuimus cap. XV. Quod etiam indicatur phrasi, *sumere de semine regni*; quae designat collocationem in dignitate suprema, ut sit *sumendo evehere in regnum*, quemadmodum לקח quoque usurpatur, uti notum 3. *Plantationis* scopus et modus erat, ut *palmites* et *radices* ad aquilam plantatricem spectarent, indeque *vitis* succum et stabilitatem acciperet. Quod in explicatione traditur *duobus* modis effectum; *alter* est in *foedere* et *juramento* situs, *alter* in *roboris* omnis sublatione; qui uterque eo spectabat, ut regnum esset humile et infirmum et Nebucadnezari maneret fidele, eaque ratione firmiter subsisteret. Quod ex historia quoque constat. Mutavit enim *nomen* ejus in signum subjectionis, et nomen *Zedekiae* in signum foederis et juramenti, ab ipso servandi, ei imposuit; et defectio Zedekiae a Nebucadnezare vocatur *rebellio* 2 Reg. XXIV: 17.—

§ CCCXXIII. ב *Secunda* pars ob oculos ponit *emblematice* vitis flexionem radicibus et palmitibus suis ad aliam aquilam magnam, priore, a qua erat plantata, et cui adligata erat, relicta, eo scopo, ut laeto suo solo per se floreret, *realiter*, et sensu emblematis, Zedekiam, a Nebucadnezare

ad Pharaonem deficientem eo scopo, ut ab eo acciperet auxilium, quo se in statu suo tueri posset contra Nebucadnezarem, *prius* occurrit vers. 7. *posterius* vers. 15. *Emblema* his verbis proponitur vers. 7. *Et erat aquila una magna, magna alis, et spissa plumis, et ecce vitis illa glomeravit radices suas ad eam, et palmites suos emisit ad eam, ut irrigaret se ex areolis* vel *alveolis plantationis suae.* Quorum sensus est, vitem se palmitibus et radicibus, ut sustentaretur, et aleretur, adplicuisse ad *aquilam aliam*, magnam quoque et potentem; sed altera tamen inferiorem: quare simpliciter *aquila* adpellatur *magna*, et non *illa* aquila magna, ut supra. Aquila *una* est stylo Hebr. *altera*, uti verterunt LXX. nisi quis pro אחד velit legendum אחר, quod forte verius est; sic et cap. XI: 19. אחד pro אחר. Nihil hic notandum superest, nisi ultimas voces, *ad irrigandam eam ex areolis suis*, non esse ad aquilae areolas referendas, ut solet, sed proprias vitis in terra sua, ut ex adf. foemin. liquet. Sensus ergo est, vitem intendisse, ut ope aquilae istius irrigaretur propria sua terra, ex propriis ejus *areolis*, adeoque patrocinio tantum aquilae frueretur contra hostes, sed sui juris maneret, et suis opibus floresceret, non subjecta *novae* aquilae, ut superiori. Quo manifeste ducit phrasis, *ex areolis plantationis suae*, vel rectius *alveolis*. Vox enim ערגות etiam denotat alveolos rivi, quibus aquae in latus inflectuntur ad agrum irrigandum; radix vero notat, *inclinari* in latus. Ceterum verbum כפן reddidi *glomeravit*, ad propriam ejus potestatem, in *glomerando*, *glomeratim volvendo*, sitam, unde pro *nere* sumitur Arab., quod Lat. est a *neu glomerare*; vitis autem eleg. dicitur *glomerare* radices cum pulchra adlusione ad tenuiora filamenta, quibus *radices* solent implicari, simul firmius *innecti* in *terram*. Graeca versio recte habet περιεπλεκεται. Alio vero flexu radix ad *famem* transiit, intestinis longa inedia *conglomeratis* et complicatis. *Explicatio* emblematis traditur his verbis vers. 15. *Et rebellavit in eum, mittendo legatos suos in AEgyptum, ut det*

sibi

sibi equos et populum spissum. Quae facilia, et ex historia Zedekiae ad regem AEgypti a Nebucadnezare deficientis, ut ejus auxilio contra ipsum frueretur, nota sunt, vid. 2 Reg. XXIV: 24. 2 Chron. XXXVI: 13. Jer. XXXVII: 4. *Pharao* itaque est altera illa *aquila magna*, cui sese in tutelam dedit Zedekias; tunc adhuc *aquila* magna, sed longe minor Nebucadnezare, qui vires ejus jam adtriverat. 2 Reg. XXIV: 7.

§. CCCXXIV. 3. *Tertia* pars exhibet infelicem rebellionis exitum, *emblematice* expictum vers. 8—10. *proprie* explicitum vers. 15—20. In *emblematica* descriptione *a.* praemittitur beneficium ab aquila priore in vitem collatum; quo in ubere solo plantata erat, et spes erat magnae prosperitatis, si aquilae fidelis maneat vers. 8. *In agro ubere, ad aquas copiosas ipsa plantata erat, ad faciendos ramos, et ferendum fructum, ut sit vitis magnifica.* Respicitur ad superiorem plantationem a Nebucadnezare, quae hic repetitur et extollitur ad rebellionem adgravandam, et stultum consilium rebellionis significandum, cum in illo statu, sub tutela Nebucadnezaris, florere potuisset vitis Judaica. *b.* Eradicatio et arefactio vitis ab aquila plantatrice et judicio Divino, nihil juvante altera illa aquila, describitur vers. 9. 10. Ubi 1. occurrit propositio, 2. ejus illustratio et confirmatio. 1. Propositio his verbis comprehensa est vers. 9 *Dic, sic dixit Dominus Jehova; an bene succedet?* (interrogationis nota ה in תצלח praecedente littera ה in nomine יהוה absorpta est, et deficit, adeo ut sit pro התצלח uti mox vers. 10. Sensus est, nihil minus, quam hoc, quod facillimum) *nonne radices ejus evellet? et fructum ejus quassando disrumpet?* (imo vero aquila illa vitem illam *radicibus* et fructibus violenter privabit, omnes vires ejus frangendo, stolones ejus destruendo, et omni fructu privando: *Autor* quidem non nominatur hujus destructionis, sed priorem aquilam, cui plantationem et fructificationem debebat vitis, intelligi, facile patet, et explicatio, quae infra traditur, extra dubium collocat.

locat. Ceterum verbum קוס aut קסס idem dicit, ac קצף et קצץ, cujus proprietas eit in *quassando*, *disrumpendo*; unde *taedii* usus, quo quis rumpitur, etiam *aestatis*, aestu omnia disrumpentis, etc. fluxit.) *et arescet* (scilicet fructus quassus et disruptus) *omnes carpturae germinationis ejus arescent* (tenerae illae, et recentes extremitates, in quibus vis crescendi se exserit. Hanc enim vim habet vox טרף. Vid. Schult. ad Prov. XXXI. p. 513.) Quorum sensus est, vitem esse radicitus exstirpandam, et omni vi crescendi privandam, ita ut truncus excisus sit et arefactus, omnisque progenies deleta.

§. CCCXXV. 2. Illustratio et confirmatio propositionis *duo* continet; *alterum* est, nihil opis adferendum esse ab altera illa aquila, ad hanc exstirpationem impediendam, *alterum*, exstirpationem habituram conspectum judicii Divini, indeque certo futuram. *a*. Prius his verbis profertur vers. 9. *et nihil in brachio magno*, *et in populo copioso*, *quoad*, vel *contra*, *vastare eam e radicibus ejus*. h. e. nihil virium, nihil auxilii, erit in forti et spisso exercitu ad impediendum, quominus radicitus vastetur. Interpretes verba ad Nebucadnezarem referunt, et sensum constituunt, sine multis viribus, sine magno exercitu, vitem eradicari posse; quod nec huc quadrat, nec cum vers. 17., ubi explicatio traditur, conciliari potest. Pertinent verba ad *alteram* illam aquilam, ad quam se adplicuerat vitis, ut statum suum tueatur contra impetum aquilae, a qua se abstraxerat, et sensus est, nihil opis fore in magnitudine virium et copiarum ejus, ad faciendum, ne vastetur ab ea vitis haec. Quod sicut ad rem facit, quia ceteroquin nulla mentio foret opis, quam ab altera aquila exspectabat vitis, ita vers. 17. unice convenit, ut mox videbimus. Sicut vero *autor* eradicationis non expresse memoratur, ita nec cujus brachium et populus sit; quod utrumque ex superioribus supplendum relictum est, uti facile suppleri potest, cum *duarum* aquilarum modo facta sit mentio. Ferunt denique verba hunc

hunc sensum, modo *versio* instituatur, ut feci, ita ut לא dicat *non*, vel nihil est in *brachio et populo*, nihil opis et auxilii, ut mox vers. 17., et Praef. ל in למשאות sumatur pro *quoad*, relate ad, vel *contra*; aut *ne*; uti potest; de quo vid. Nold. de partic. p. 397, 403. Sed videtur hic locum habere elegans ejus usus, quo *imminentiam* et *ingruentiam* rei denotat, quem exserit Ps. XXXII: 6. Jer. XLVI: 13., ubi vid. dicta. Quod huc apte quadrat; quia eo ipso tempore, quo vastatio imminebat, adparuit, nihil esse in brachio magno AEgyptiorum; uti habetur vers. 17. Forte rectius et facilius flueret sermo, si משאות punctetur alio modo, et derivetur a rad. שאה, *rupit cum fragore*, *vastavit*, adeoque vertatur, *ad ne disrumpat eam radicitus*.

§ CCCXXVI. *b* Posterius, conspectum judicii divini continens, in ea exstirpatione conspicui, simul necessitatem et certitudinem exstirpationis declarans, ita habet vers. 10. *Et ecce plantata succedetne? nonne sicut*, vel *quum*, *impegerit in eam ventus orientalis*, *arescendo arescet? super areolis*, vel *alveolis*, *germinationis ejus arescet*. h. e. Fieri non potest quin vitis, quam fertili etiam in solo plantata, arefacienda sit et exstirpanda; cum a judicio divino illud necessario sit exspectandum, quod per aquilam illam est executioni mandandum; quodque, si vel aquila illa illud non faceret, per se illud efficeret. Verba superiori sententiae de vite per aquilam evellenda subjuncta, non idem dicunt, quod superiora, sed *judicium* Dei viti imminere, et certo certius eam exstirpationem esse futuram, declarant, ita ut innuant, superiorem eradicationem per aquilam habere conspectum judicii Divini, ea ratione exequendi, sed directe indicent, vitem esse exarituram in ipso suo solo per ventum urentem, si vel per aquilam illud non fieret. Verba enim vitem in solo fertili positam repraesentant, quod per primum membrum indicatur, *ecce plantata an succedet?* scilicet tam bene et juxta aquas multas plantata, nihil videtur habere metuendum; nec tamen sic prospere aget, si

vel

vel nullum impetum hostilem experiatur. Quod sequentia verba declarant, *nonne, quum impegerit in eam ventus orientalis, arescendo arescet?* nonne, si tale quid ipsi in ipso solo fertili accidat, arescere deberet? *ventus* intelligitur procellosus et urens, qui eo nomine solet insigniri; et in Oriente est notus, alias etiam *austrinus*, et *deserti*, adpellatur. Vid. in Bibl. Brem. cl. VII. Vitringa ad Jes. XXI: 1. et Schult. ad Job. XV: 2. Bochart. H. p. II. l. I. c. 15. ne alios memorem. Verbum נגע proprietatem habet in *adpactione*, et usu teritur in graviore plaga, vehementius incussa. Subjungitur interrogationi, quae adfirmationem involvit, rem illam certo futuram, non jam interrogative, sed adfirmative; *super areolis germinationis suae arescet;* scilicet, quod ex superioribus addendum, si impinget in eam ventus, super ipso suo solo fertilissimo arescet, quod hic per *areolas germinationis* intelligitur, uti vers. 7.

§. CCCXXVII. In altera parte, seu explicatione aenigmaticae parabolae, respectu tristissimae sortis regni Zedekiae, a rege Babylonio ad AEgyptium deficientis, *α.* praemittitur interrogatio, defectioni memoratae subjuncta vers. 15: *an prosperabit, an eripietur, qui haec facit, et rupit foedus et prospere aget?* absit, nihil minus quam hoc. *Prius* membrum respicit ad auxilium, quod Zedekias sibi ad Aegyptium deficiens promittebat, et negat, illud successum habiturum, *posterius* vero membrum caussam repetit a pravo facinore defectionis et rebellionis, negatque rebellem prosperum fore. *β.* *Fatum* regis, in regno Nebucadnezaris Babele morituri, promulgatur vers. 16. *Vivam ego, inspiratum Domini Jekovae; si non in loco regis, qui eum regnare fecit, cujus juramentum execratorium sprevit, et foedus fregit, apud ipsum in medio Babelis morietur.* Quae satis clara sunt, et in Zedekia, ut constat, impleta. *γ.* Regis Aegypti auxilium vanum fore, et obsidionem urbis successum habituram, ac multam caedem futuram esse, declaratur vers. 17. *Et nihil robore magno et populo copioso agit cum ipso Pharao in bello,*

bello, tempore structi aggeris, et aedificatae turris, ad exscindendum animas multas. Quorum sensus non est, ut nonnullis videtur, opus non esse magnis viribus et multo populo ad urbem expugnandam; quod nec scopo nec verbis convenit. Sed, quod alii jam viderunt, nihil opis allaturum Pharaonem Zedekiae in bello cum Nebucadnezare tempore obsidionis Hierosolymae, ad eam liberandam, adeoque effectum habituram, et ingentem ibi caedem futuram. Phrasis, *non facere* cum magna militum et virium copia *cum ipso*, Zedekia, *in bello*, est, nihil efficere, ad ipsum liberandum; quod est facillimum. Respicitur ad verba vers. 9 *et nihil in brachio magno* etc. quae hic exponuntur. Nihil ex hac hypothesi superest difficile: quare nihil addo. *d.* Repetitio juramenti violati et foederis rupti, tanquam justae causae excidii per Nebucadnezarem, vers. 18. *Et sprevit juramentum frangendo foedus, et ecce dedit manum, et omnia illa fecit, non eripietur.* h. e. successu carebit quicquid fecerit Pharao ad ipsum liberandum, quia juramenti et foederis violati reus est. Huc enim videtur repetitio ejus tendere, ut causa traderetur irriti moliminis Pharaonis; cujus modo erat facta mentio Qua ratione nihil est in oratione superflui. Ceterum *dare manum* est et fidelitatem amicitiamque juramento promittere, et subjectionem testari, quod utrumque phrasis indicat, ut a Sanctio et aliis jam est observatum; phrasis vero, *dedit manum et fecit haec omnia* idem dicit, ac juramento se obstrinxit *et tamen*, non obstante hoc *fecit* omnia illa contraria, a Nebucadn. ad Aegyptium deficiendo. Ex quo etiam liquet, *dare manum* non ad Pharaonem, ut nonnullis videtur, sed Nebucadnezarem spectare.

§. CCCXXVIII. *a.* Confirmatio excidii regis ac regni propter violatum foedus et juramentum, et plenior deductio, vers. 19—21. In qua pericopa *a.* Deus juramento declarat regem propterea esse puniendum vers. 19. *Propterea sic dixit Dominus Jehova, vivam ego, si non juramentum meum, quod sprevit, et foedus meum, quod rupit, etiam dabo illud in*

caput ejus. h. e. juramento declaro, me violatum juramentum et foedus in ipso vindicaturum esse ad ejus perniciem. Voces *si non*, et *dare in caput* cohaerent, dicuntque Deum perjurium et foedifragium ipsi imputaturum esse ad exitium. Praef. ו in ונתתיו *et dabo illud*, cum emphasi abundat, qua *etiam*, et *certo* dicit; ut saepe alias. Not. insuper est 1. *juramentum* et *foedus Dei* comprehendere sensu divite *cum* foedus cum Nebucadnezare juramento in *nomine* Dei sancitum, 2 Chron. XXXVI: 13. *tum* ipsum foedus Dei cum populo; ut ibid. expresse additur. 2. *dare* juramentum et foedus violatum in *caput* dicere, ipsi illud in poenam imputare, et cum capitis diminutione ac caede vindicare. Quod facillimum est.

§. CCCXXIX. *b* Regis, ejusque domus, et principum excidium, ac superstitum dissipatio per terram quaquaversum, accuratius exponitur vers. 20., respectu regis, et vers. 21. reliquorum. Verba vers. 20. fere eadem sunt, quae c. XII: 13 habuimus, ac exposuimus; quare hoc unum observ. in מעלו deesse praef. מ, quod ex simili littera sequente ortum; ut saepe contingit Nec multum negotii facessunt verba vers. 21. quorum sensum jam dedi ad c. XII: 14. Duo tantum not. 1. Voculam את nominativo praefigi, et cum emphasi, qua illos ipsos denotat, abundare, vel cum ונשפטתי vers. 20. construendum, ut sit *cum*, vocem vero מברחיו esse vitiosam, et litteris transpositis, legendam esse מבחריו quae *selectos* et primarios, ac praecipuos denotat, uti Vet. versiones habent, nisi quis *vectes*, vel *penetrantes*, quae vera emphasis est verbi ברח interpretetur; fortes itaque, et regem, instar *vectium* et *repagulorum* circumdantes ac tuentes; uti est c. XII: 14. Non enim *fugitivi* intelligi possunt; conf. 2 Reg. XXV. et Jer. LII. ubi ad *filios regis* et principes ac fortes viros ejus adplicatur. 2. Praef ב in בכל etiam nominativi nota est, vel *cum* verti debet; quod utrumque usitatum est, sed potest quoque *in* vel *inter* verti, ut sensus sit, *cum omnibus selectis in turmis ejus*:

de

de voce אגפיו pro *turma* dixi ad c. XII. Ceterum, qua ratione haec omnia ad emblema *vitis* radicibus, ramis, et fructu, privandae adplicanda sint, cum non sit in difficili, moras non nectam. Totalis enim destructio regis Zedekiae, et universae domus ejus una cum regno, sese in eo emblemate facile offert.

§. CCCXXX. *Tertium* aenigma parabolicum proponit *tenerum stolonem* e summitate rami cedri altae, a Deo ipso secreti, et in potestatem ac ditionem alterius traditi, ab eodem decerptum et in montem altifrontem, vel sive tumulum ggestum, sive roratum et humectum, transplantatum, dein de novo plantatum in monte omnium excelsissimo Israelis, ut ramos extollat, fructumque faciat, et cedrus magnifica evadat, sub qua habitent, et in cujus palmitum umbra aves, cujuscunque generis, sedeant, vers. 22, 23. Cujus parabolae א. *litteram*. ב. sensum emblematicum exponam א. Subjectum parabolicae similitudinis est *cedrus* excelsa, eadem, sine dubio, quae vers. 3 fuit memorata, tanquam in *Libano* radicata, et florida: quo hic manifeste respicitur. *Duo* autem de hac cedro traduntur, *alterum* ad praesentem ejus statum *alterum* ad futurum spectans, *prius* triste et infortunatum, *posterius* laetum et prosperum; quare *prius* in praet., *posterius* in fut. exprimitur. *Prius* his verbis traditur, vers. 22. *et sumsi ego de summo ramo cedri altae, et tradidi.* h. e. summum altissimae cedri ramum carpsi ipse ego, inquit Jehova, et tradidi in manus alterius, seu potestatem et ditionem ejus; quod verbo נתן absolute hic posito omnino denotatur, ut recte, quod postea vidi, a Coccejo est observatum, significat enim eleganter tradere in manum hostilem, dare in servitutem, donare hosti. Vid. Ch. Schult. ad Prov. V: 9., et locis ibi citatis adde Ez. XVI: 21. et Mich. V: 2. *Propterea dabit ipsos* etc. Interpretes solent in bonum sumere de ramo cedri a Deo *dato* in monte, ut mox sequitur, sed longe rectius in malum accipitur, de ramo decerpto quod est לקח proprie, et in statum ser-

 vilem

vilem ac abjectum traditio, 1. quia illud *dare*, absolute positum, sensum aptum non fundit, utque emphasi omni careret, si aliter sumatur. 2. quia sequitur mox demum *plantatio* istius rami in monte. 3. quia Deus vers. 24. diserte sibi tribuit aeque humiliationem ac exaltationem arboris istius, ut mox adparebit. 4. Accedit in praet. occurrere, et ad ramum cedri alio transportatum vers. 3, 4. manifeste respici. Quod itaque ibi aquilae adscribitur, illud hic sibi vindicat Deus, ut declaret, se ramum tradidisse aquilae decerpendum, quem in posterum denuo plantaret in loco suo, unde erat decerptus: quo etiam facit repetitio pronominis אני *ego*, *et sumsi ego* — — *et* carpam ac *plantabo ego*, uti Deut. XXXII: 39. *ego occido et vivifico* etc. quemadmodum et alibi Jes. X. et XXXVII Deus sibi adserit, quod Assyrius fecerat, ne suae potentiae illud tribuat hostis. Conf. etiam Jes. XLV. et alibi. Praemittit itaque Deus rami altius cedri fractionem et deportationem per hostem a se factam, ut indicaret, sibi esse illud tribuendum, et eo scopo a se factum, non ut ramus in alieno loco periret, sed inde suo tempore in terram suam transferretur; ut mox sequitur.

§. CCCXXXI. *Posterius*, laetam rami ablati catastrophen comprehendens, *duplicem* exhibet plantationem expresse memoratam, et probe observandam, *priorem* in monte altifronte et adgesto seu humecto, *posteriorem*, quae priorem sequeretur, in monte editissimo Israelis cum laetissimo et glorioso effectu. *Prior* his verbis traditur vers. 22 *de summitate stolonum ejus tenerum excerpam, et plantabo ego in monte altifronte ac aggesto, seu humecto.* h. e de rami istius, sumti a me ac traditi, stolonibus unum excerpam, et abstraham tenerum et mollem, eumque transferam in montem elevatum, et pulchre convexum, ac aedificatum, multoque rore et humore perfusum, in quo ipsum plantabo, et fixas habere sedes faciam. Agitur de *tenero* ac molli stolone, in summitate stolonum rami supremi cedri, quem Deus alio transportaverat; et de eo declaratur, ipsum inde esse *decerpendum*

dum, ex illo loco et ſede auferendum, ac plantandum in *monte*, qui non definitur, ſed a pulchra convexitate et aedificiorum ſtructura, humoriſque abundantia deſcribitur. Eam enim ſignificationem habent epitheta montis, נבה et תלול: cujus *prioris* proprietas eſt in *exſecando* in *convexam* ac pulchre elevatam altitudinem, *poſterioris* duplex poteſt eſſe ſignificatus, *alter*, quo aggeſtum, et conſtratum denotat, ac elevatum, a תלל unde תל *tumulus*, *collis*, aggeſtus et ſtratus, *alter* quo *roratum* dicit et *humectum*, ex vicinitate טלל, quemadmodum תוללים Pſ. CXXXVII: 3. recte confertur ad טול, ut ibi expoſui. Radix autem טלל proprietatem habet in *motu micante* ſeu *vibratione*, quae *procul oculum* feriat, unde *rorationis* et *humectationis* uſus fluxit, quippe *ros* eſt ſuperficies aquoſa, late diffuſa, et vibrans. Uterque ſenſus hic locum invenire poteſt, adeoque *montis* qualitatem deſcribere relate ad tenellum ramum cedri, in eo ſitam, quod *mons* ſit, et modice elevatus, conſtructuſque aedificiis, et multo rore ac humore praeditus. Ceterum in tali monte cum dicitur *plantatus*, haud obſcure opponitur ſtatui praeſenti, quo erat in *terra* Canaan, et urbe *negotiantium* poſitus, verſ. 4., adeoque indicatur, ſtatum ſtolonis, a Deo in monte plantandi, fore meliorem, excellentiorem et proſperiorem; nec tamen ſumme ſublimem et fortunatum; cum mons tumulatus et ſtratus tantum memoretur, oppoſite ad *montem altitudinis* ſublimioris, cujus mox fit mentio, in quo deinceps plantaretur. Etſi vero *ſitus* ejus montis non definiatur, ejus tamen deſcriptio, et ſequens oratio, dubitare non ſinit, quin in terra Iſraelis, ſeu Judae ſit quaerendus, et digitus ad colles, quibus Hieroſolyma fuit inaedificata, intendatur; quibus illa epitheta *pulchrae convexitatis*, *aggeſtionis*, et *ſtructurae*, etiam *rorationis*, recte conveniunt; uti facile cernitur. Conf. Jeſ. XL: 9. Pſ. XLVIII: 2, 3. CXXXIII: 3. et alibi.

§. CCCXXXII. *Poſterior* plantatio cum ejus ſcopo et effectu his verbis depingitur verſ. 23. *In monte*, *loco elato*,

 Iſraelis

Israelis plantabo illum, ut extollat ramum, et faciat fructum, fitque cedrus magnifica, et habitent sub ea; omnes aves omnis alae in umbra palmitum ejus sedebunt quiete. Quae verba, quod ante omnia observandum est, novam ramusculi istius *plantationem*, qua de monte pulchre convexo transplantaretur in longe celsiorem montem Israelis, longe excellentiorem acciperet statum, describunt, et non eandem priorem plantationem repetunt, et illustrant, uti vulgo accipi solet. Rationes sunt. 1. Repetitio verbi *plantandi* alias foret superflua. 2. Superior *plantatio* in praet. occurrit, et haec in fut. licet et prior de futuro capi debeat, sed relate ad posteriorem habet conspectum *praeteriti*; pro more Script. quo praeterita in re fut. exprimuntur in praet. Diversa ergo est plantatio, et ordine sibi successura, ita ut *altera*, modo memorata sit ordine temporis prior, quam haec nostra exciperet. 3. *Prior* facta dicitur in monte convexo simpliciter, et aggesto, *posterior* in longe *excelsissimo monte*, uti voce מרום expresse addita indicatur. Vox illa per se denotat *locum editum*, in specie valde sublimem, quare pro *coelo* etiam absolute posita sumitur, *monti* subjecta altissimum ejus locum, verticem elevatissimum, exprimit, uti Jes. XXXVII: 24. מרום הרים *altissimus locus montium*. 4. Denique *plantationi* modo memoratae nihil additur de effecto et successu; hujus autem *scopus* et *effectus* celebratissimus expresse describitur; argumento *priorem* illam praeter plantationem nihil praeclari amplius habituram, sed *posteriorem* longe excellentissimo et prosperrimo gavisuram successu, quo in ramos se diffunderet, fructus ferret, et in magnificam cedrum excresceret; quae cujusvis generis avibus jucundissima praeberet latibula.

§. CCCXXXIII. Hoc praemisso, reliqua levidensi brachio perstringam, cum *littera* emblematis nihil obscuri praeferat. Occurrit 1. plantatio nova ejusdem rami jam ante plantati, sed in loco longe sublimiore ejusdem tractus; his verbis: *in monte, loco excelso, Israelis plantabo illum.* h. e. denuo eum

ctum in terra eadem, ſed longe ſublimiore loco montis plantabo, non, ut ante, in *monte* ſimpliciter convexo et aggeſto, ac humecto, ſed in altiſſimo montis vertice, in terra Iſraelis; qui, ſublimitatis ſuae reſpectu, abſolute meretur adpellari מרום *altus* locus, uti *coelum* vocari ſolet. 2. Plantationis *ſcopum* et *effectum* ſequentia repraeſentant, oratione ita constructa, ut *quatuor* primae partes *ſcopum* comprehendant, *quinta* vero et ultima pars *effectum*, uti in verſione expreſſi. Ex quo colligendum eſt, *ſcopum et effectum* in omnibus partibus eſſe conjungendum. *a. Prima* pars habet, ſurculum illum prolaturum eſſe *ramos excelſos*, fortes et frondoſos, quam emphaſin habet vox ענף, et verbum נשא in *altum efferre*. *b. Secunda* pars tradit, *fructus* ab arbore illa eſſe proferendos. Cum autem de *cedro* hic agatur, reſpicitur ad *conos*, ſic dictos a figura, qui ſoli ſunt *cedri* fructus, coelum ſpectantes, duoſque digitos et ſupra longos, obtuſo mucrone, ac ſubfulvos. *c. Tertia* addit, *cedrum* fore *magnificam*, adeoque inter cedros illuſtrem, magna praeditam *firmitate*, *craſſitie*, *proceritate* et odoris jucunditate, ac *perennitate* prae reliquis arboribus, etiam ipſis cedris. Sunt enim, uti notum, hae eximiae *cedrorum* qualitates, quibus haec cedrus emineret inter cedros, ac regalem quaſi majeſtatem praeferret. Vox Hebr. אדיר proprie dicit *tumorem*, vel elationem *tumidam*, unde tranſiit ad *magnificentiam regalem*, ut Gr. *κῦδος*. *d. Quarta* denique pars habet, *homines* ſub ea, et *aves* cujuſcunque generis in palmitibus ejus, frondoſis ſedes fixas, tutas, et jucundas habituros eſſe. Hac enim ratione recte diſtinguitur, quod *ſub ea habitare*, et in *umbra palmitum* ejus *ſedere* dicantur *aves*; ita ut prius ad homines, *poſterius* ad volucres referatur; non enim, ut ſolet vulgo, *habitare ſub ea* cum *avibus* conſtrui debet, ſed ſeorſim, ut ponitur, capi, ſine addito ſubjecto; et *aves* ad ſeq. referri; quare recte *homines* vel animalia intelligimus, quorum eſt ſub arbore ſedere, uti *avium* in palmitibus. *Aves* autem *omnes*, et *omnis alae*, ſeu cujuſcunque generis, mo-

morantur, sese cedri palmitibus adpliciturae, et in umbrosis ejus ramis sessurae. Quae nihil habent difficilis.

§. CCCXXXIV. 3. Sensui emblematico, ad quem pergimus, praestruendum est, *subjectum* remotius, de quo hic agitur, esse domum regiam Davidis non in Jechonia, in exilium abducto, sed et in posteritate Nathanis, unde Messias natus est Luc. III. superstitem, tanquam in ramo summo et stolone exciso, et in peregrina terra collocato. *Tener* enim ramusculus, seu *turio*, mox dicitur sumendus a Deo de summo ramo cedri altae, de *capite stolonum* ejus, quem ramum Deus ipse *carpserat et tradiderat*, seu ablatum in manus et ditionem hostis dederat; uti verba esse intelligenda modo adfirmavi. Quo ipso manu quasi ducimur ad Jechoniam, ultimum stirpis regiae, a Nebucadnezare Babelem abductum, et ibi salvum ac incolumem relictum. De quo vers. 3 et 4 actum est. Adpellatur ibi Jechonias iisdem nominibus *summi rami* cedri in Libano, et *capitis stolonum ejus*. *Cedrus* itaque *excelsa*, ut hic adpellatur, est domus regia Davidis, in sublimi dignitatis et potentiae loco collocata in *vertice Libani*, seu Hierosolyma, Judaeae, per Libanum expictae, metropoli, quae olim summa excellentia et prosperitate eminuerat, et varios *ramos*, seu reges et principes, protulerat, duraveratque usque ad Jechoniam, ultimum, eaque ratione *supremum*, stolonum, in quo illa domus finita est. Quae latius non deduco, cum illud pertineat ad vers. 2. et 3. Nunc citasse suffecerit Jer. XXII: 6, 7. Jes. XXXVII: 14. Zach. XI: 1, 2. *Domus* itaque regia Davidis multis stolonibus insignis, in altum elata, firma et dominans, hic repraesentatur de sede sua in Jechonia, ultimo ejus ramo regio, avulsa, ac alio abducta, et in statu vili ac imbecilli posita per Nebucadnezarem quidem, sed a Deo, qui ipso usus est instrumento; quare, quod vers. 2, 3. Nebucadnezari erat tributum, Deus ipse sibi vindicat, quo verba tendunt, *sumsi ego de summo ramo cedri altae, et tradidi*; quemadmodum supra demonstravi.

§. CCCXXXV.

§. CCCXXXV. Proximum subjectum prophetiae est *tener* aliquis ramusculus, seu *turio*, gracilis, tenuis, infirmus, et despectus habendus, ipsius istius rami supremi cedri, in peregrina terra, et servili conditione positi; adpellatur enim de *vertice stolonum ejus*, *tener* scilicet ramusculus. Vox Hebr. רך proprietatem habet in *tensione*, ut in ארך, etiam ירך conspicitur, unde *teneri* et *tenuis* usus fluxit, sicut et Lat. *tener* a τεινω τενω *tendo*, quasi dicas longius *tensum*; sunt enim *tenera* passim *molliora*, *sequaciora* et *infirmiora*. Sed quis est figuratus iste *turio*? aliquis posterorum Davidis sine dubio; seu propior, seu remotior; cum inde sumtus dicatur. In quo monstrando Interpretes in diversa discedunt, alii *Zerubbabelem*, alii *Messiam*, alii utrumque intelligunt; *priorem* tanquam typum et progenitorem, *posteriorem* antitypum, et sobolem; cui utrique adplicant omnia praedicata, *priori* sensu hyperbolico et tenuiore, *posteriori* magis emphatico et proprio. Utrumque nos quoque hic depictum quidem censemus, sed cum diversis et propriis praedicatis, ita ut *uterque* quidem sit *stolo decerptus* et *plantatus*, sed *prior* tantum in monte convexo et aggesto sine ulteriore successu, *posterior* vero in montis vertice altissimo, et cum prosperrimo successu, quo ramos protulit, fructus fecit, et magnifica evasit cedrus. *Prior* est Zerubbabel, *posterior* vero Messias, uterque *ramusculus* tener, de ramo summo domus regiae Davidis decerptus et in metropoli plantatus, sed *prior* sive *posterior* summo cum successu. Qui *duo* eo majore jure conjunguntur, quod ex posteris Davidis non tantum *soli* sint, qui illustrem domum praetulerunt, licet longe diverso gradu et modo, *prior* in initio restitutae domus, *posterior* in fine, sed et prior fuerit posterioris typus illustris et notissimus. Quem conspectum luculenter gerit in illustri prophetia Hagg. II: 23. *Tempore illo* (scilicet post *thronum regnorum* seu regnum Persicum eversum, post *robur regnorum gentium*, seu Alexandrinum imperium, exstirpatum, denique *currum* et *vectores*, seu regna inde, in specie Lagidarum et Seleucidarum, *eversa*

seu in provinciae formam redacta; ut vers. praeced. dictum erat) *tempore illo dictum Jehovae exercituum, sumam te Zerubbabel filium Zealtielis, servum meum, dictum Jehovae, et ponam te, sicut sigillum, quia te elegi, dictum Jehovae exercituum.* Quae verba partim quoque ad *Zerubbabelem* ipsum partim ad Messiam antitypum ejus spectant. Titulus *servi Dei* et dictum *elegi te* ad Zerubbabelem, reliqua *sumam et ponam te sicut sigillum*, ad Messiam pertinent, a Deo ad communionem regni et gloriae Dei adsumendum. Hypotheseos, quam jeci, demonstratio cum ex praedicatis, quae sequuntur, sit conficienda, quae satis certa est, et legitima methodus, cum qualia sint praedicata, tale debeat esse subjectum; ad ea me adcingo consideranda; posteaquam dictis uno verbo addidero, *nexum* et *scopum* hujus pericopae in utrumque illum apte convenire. Subjungitur enim parabolicae prophetiae de domus regiae Davidicae in Jechonia et Zedekia exstirpatione, docetque eam fore in domo Davidis instaurandam, tenuiter in Zerubbabele mox post exsilium Babylonicum finitum, emphatice et illustri modo in *Messia*, inde orituro. Habet enim pericopa conspectum *promissi* de domo Davidis restituenda, et ad pios Judaeorum consolandos, veracitatemque Dei in promissis Davidi factis implendis stabiliendam. Promissum autem Davidi erat regnum aeternum, in Messia 2 Sam VII: 16. Ps. LXXXIX. Jes. LV: 3. et alibi. Solet praeterea promissum de Messia apud Prophetas subnecti liberationi ab exitio Babylonico, tanquam ejus fundamentum scopus et complementum. Quod alibi saepe observatum, nec ignotum, hic latius non exsequor.

§. CCCXXXVI. Commune habent Zerubbabel et Messias *tum* epitheton *teneri* ramusculi de summo cedri ramo, *tum praedicatum* decerptionis et plantationis, sed in eo differunt, quod *prior* simpliciter plantatus dicatur super monte convexo et aggesto, *posterior* vero super altissimo montis vertice, cum stupendo successu. Sequamur hunc ordinem, et 1. consideremus illud utrique commune 2. singulis proprium.

um. א. Ad *prius* pertinet *a.* titulus stolonis *teneri*, gracilis et imbecillis summi rami cedri, in terram peregrinam abducti: quod difficiles non habet explicatus. Significatur enim partim *origo*, partim externa *conditio* et qualitas: cujus *illius* respectu uterque erat e domo regia Davidis, *hujus* vero uterque infirmus, tenuis et contemnendus. *Prius* in Zerubbabele et Messia facile sese offert. *Prior* enim fuit filius non Pedajae, filii Zealtielis, filii Jechoniae 1 Chron. III: 17, 19. Mat. I: 12. sed ex stirpe Davidis per Nathanem Luc. III. Messias quoque ejusdem fuit stirpis, ut ex Luc. III. liquet; *filius* quoque Davidis ex utriusque parentis stemmate, nam et *Maria* inde erat oriunda Luc. III. *Zerubbabel* fuit in *initio* tener et despectus, quippe in exilio natus, ex familia omni spendore et potentia orba, nullius dignitatis itaque potentiae aut virium. Messias quoque ejusdem fuit conditionis in nativitate, educatione, et vita privata: uti ex Euangelio constat.

§. CCCXXXVII. *β.* Duo sunt, quae de *utroque* praedicantur, *alterum* est *decerptio*, *alterum plantatio*, in solo Israelis montano. *a.* *Decerptio* ramusculi teneri hic non ad *nativitatem*, qua infans a matre separatur, respicit, cum *stolo* jam erat, nec violenta et hostilis est in perniciem, cum *plantatio* sequatur, nec ab hoste fit, sed Deo agricola benevolo in bonum; verum *separatio* simpliciter a sede et loco natali, ubi ortus erat stolo, et excreverat aliquatenus; sicut ramusculus alibi plantandus solet decerpi. Significat itaque in Zerubbabele separationem a loco peregrino exilii simul a reliqua familia per electionem Dei, sejunctionem ad statum excellentiorem. Plane quemadmodum לקח *sumsit*, proprie est *carpsit*, et inde in bonum pro *selectione* in statum meliorem, et *malum* pro decerptione instar praedae sumitur, *priore* sensu ex. gr. Ex. VI: 7. *decerpsi vos in populum e reliquis gentibus*, significatur itaque, eum a Deo esse e loco exilii abstractum, simul e communione reliquorum *selectum*, et in ducem constitutum. In *Messia* vero denotat

partim separationem ad munus publicum obeundum, *partim* decisionem e terra viventium, tanquam muneris ultimam scenam, et medium exaltationis, Jer. LIII: 8. Dan. IX: 26. *b.* Ramusculi decerpti *plantatio*, seu collocatio firma et fixa in alio solo, ut ibi floreat, et crescat, in *Zerubbabele* fuit ejus translatio in Judaeam, ut ibi vim et potentiam exseferat in populi commoda, de quo mox, in *Messia* vero ejus collocatio in regno sublimi et coelesti, ut fixas ibi habeat sedes, et in magnificam cedrum excresceret, ut mox exponitur. Quae *decerptio* et *plantatio* qua ratione Deo, tanquam *causae*, adscribatur, cum facile patescat, nos non detinebit.

§. CCCXXXVIII. ב. Conferamus nos potius ad illa, quae singulis propria sunt. *a.* De Zerubbabele simpliciter traditur, eum esse plantandum in *monte convexo* et *aggesto* vel *humecto*, absque ut aliquid de ulteriore successu addatur; ex quo recte colligitur, ipsum praeter plantationem nihil singulare habuisse, nec ullum notabilem fecisse progressum, quin in statu humili mansisse, donec fuerit in Messia, filio suo, in sublimiore et meliore loco de novo plantatus, uti mox additur. Quod quam verum fuerit in *Zerubbabele* nemini non constat, Familia enim Davidis post eum nulla dignitate aut potentia fuit conspicua, usque ad Messiam, quare is *surculus* adpellatur *ex trunco exciso Isai* Jes. XI: 1. et *tentorium Davidis collapsum* dicitur Am. IX: 11. Quo etiam pertinet, et unde lucem mutuatur, prophetia de Jechonia Jer. XXII: 30. *Sic dixit Dominus: scribite virum, qui non prosperabitur in diebus suis, quin imo nemo ex semine ejus prospere aget, sedens in throno Davidis, et dominans amplius in Juda.* Quorum sensus est, ipsum Jechoniam prosperitate, gloria et majestate fore orbatum, malisque expositum nullumque e posteris ejus regiam majestatem habiturum esse: Conf. etiam Ez. XXI: 26, 27. Illud itaque solum proximo ejus stoloni contingeret boni, quod sedes fixas haberet, et conspicuum locum teneret in medio populi Judaei Hierosolymis;

solymis; quod hic dicitur *plantabo illum super monte convexo et adgesto*, seu modice elevato, pulchre ornato, et aedificiis constructo; simul solo aquoso et humecto; ubi vigorem aliquem retinere possit, et perennare. Significatur itaque Zerubbabelem, tanquam stirpem regiam, sedem aliquam eminentem habiturum in loco bene aedificato, et benedictione Dei, tanquam *rore*, irrigato, Hierosolymis nimirum, et in Judaea, denuo frequentata et ornata; cujus symbolum est mons *convexus*, *aggestus* et *humectus*, opposite et ad *terram Canaan*, *urbemque negotiantium*, Babelem, quo Jechonias erat translatus vers. 3, 4. et ad *montem sublimissimum* Israelis, in quo deinceps plantaretur, ut mox additur: Etsi enim non memoretur *situs* montis; ex seq. tamen et re ipsa facile colligitur, terram Judaeae et Hierosolymam indicari. Cl. Altingius Hept. III. diss. IV. qui nobiscum recte distinguit duplicem plantationem, et montem duplicem, ad montem Nazaret existimat digitum hic intendi, in quo Christus educatus est, quia de solo Messia omnia intelligit; quod falsum esse supra observavi; sed nec ullum exstat istius *montis* indicium; nec ulla ratio illum eo nomine insigniendi dari potest.

§. CCCXXXIX. *β*. Videamus nunc, quid ipsi respectu Messiae tribuatur? *duo* hic memorantur ipsi propria, *alterum* comprehendit altissimum Israelis montem, in quo plantaretur; *alterum* prosperum et gloriosum successum et scopum. *a*. *Prius* his verbis profertur, *in monte*, *loco alto Israelis*, *plantabo illum*, scilicet *stolonem* tenerum in monte convexo plantatum, adeoque Zerubbabelem in Messia, ex ipso oriundo; quemadmodum eodem modo *ponendus* legitur Hag. II. *sigillum* in *manu Dei*; uti supra exposui; postquam itaque in monte convexo fuisset plantatus, quare, ut ante observavi, in praet. occurrit *plantavi eum in monte convexo*. Messiam vero hic directe intelligi, ex seq. est manifestum, ut mox patebit. Sed quid est *mons* iste, *locus editus Israelis?* Sic enim voces vertendae et capiendae sunt, ut *monti*

 adda-

addatur *locus editus*, ad eum explicandum et definiendum; et non, ut solet, *mons altus Israelis*, ut מרום sit epitheton montis, et adjectivum; est enim subst., et *locum editum* significat forma nominis. *Locus* itaque, modo *mons* dictus, mox adpellatur *locus excelsus Israelis*. Respicitur sine dubio, quod omnes viderunt, ad montanum Hierosolymae, in specie montem Tsionis, cum ejus colle Moria, tanquam metropolin et sedem regni Davidici super toto Israele, et religionis Israeliticae, sic vere et proprie dictae, qui emphatice et eximie *locus editus Israelis* adpellatur, non quod *omnibus* montibus Cananaeae, nedum orbis, ut editior litteraliter, quod verum non est, sed quod singulari praerogativa gaudeat, gauderetque in primis, quo tempore Messias in eo sedem figeret, tanquam arbor regia et divina, cujus respectu omnibus montibus est superior, et sublimior, et summo sensu dici possit *locus editissimus* Israelis: sicut Jes. III. repraesentatur *in vertice montium* collocatus. Quae praerogativa in eo quaerenda est, quod 1. sedes regni et religionis sit, cui totus Israel erat subjectus, et in fide ac religione adhaerescebat. 2. sedes sit unici in mundo regni Dei, in eo Davidis conspicui, et verae religionis, purae et divinae, opposite ad falsam et idololatricam, qualis ante viguit, post Salomonem usque ad exilium Babylonicum; cujus respectu *cedrus* domus Davidicae, quoque inter alia sedem habuisse dicitur, *in Libano*, unde partim *decerpta* est in Jechonia, partim excisa in Zedekia; uti vers. 3, 4. habetur. 3. denique sedes fuerit, tempore erecti regni Christi, Ecclesiae et religionis spiritualis et coelestis, ab adjectitiis illis ritibus legalibus et carnalibus separatae et purgatae; qualis fuit Tsionis mystica et euangelica, seu Apostolica Ecclesia, Hierosolyma coelestis, opposite ad *Sinai*, montem in Arabia, extra Cananaeam, Ps. LXVIII: 17, 18. et alibi. Quo respectu *Tsion* repraesentatur supra montes elevatus Jes. II. et *lapis in Tsione* fundatus c. XXVIII. Quae satis nota sunt.

§. CCCXL.

§. CCCXL. In hoc monte, tanquam *loco editissimo Israelis*, cum surculus, a Deo excerptus, surculus domus Davidicae regiae, Messias, dicitur *plantandus*, significatur 1. regnum Davidis, qua Divini vicarium, esse renovandum in ipso, quare Messias in *throno Davidis* sederet, non qua tali, sed quatenus *thronus Dei* erat, in quo David, tanquam Dei vicarius sedit, uti de Salomone habetur 2 Chron. XXIX: 23. 2. regem futurum super *hoc Tsione* seu Ecclesia Israelitica, vera et Spirituali, uti Ps. II: 6. *regem illum unxi super Tsione, monte sanctitatis meae.* 3. In ipso illo monte publice esse inaugurandum regem et proclamandum: uti factum novimus festo Pentecostes Act. II. quare Petrus ibid. vers. 36. dixit, *sciat tota domus Israel, quod Deus hunc ipsum Jesum crucifixum* (surculum excerptum et excisum) *fecerit Dominum et Christum*: spiritu etiam, *quo unctus est supra consortes* Ps. XLV. effuso e coelo in Ecclesiam, seu populum regni, seu de *capite*, instar *olei*, fluente in *barbam et oram vestimenti* Aaronis Ps. CXXXIII. Denique 4. in ipsa illa Ecclesia Tsionea fixas semper habiturum sedes, tanquam *metropolitica*, ad quam omnes, etiam gentes, confluerent Jes. II: quamque ipse rursus *sustentaret* et *obumbraret*, instar *cedri*, alte radicatae, et frondosae: quare et cum *lapide*, in Tsione ponendo, comparatur Jes. XXVIII. et Ps. CXVIII.

§. CCCXLI. *b.* Sed quid fieret hoc *ramusculo* plantato, et quem successum haberet? illud haec verba declarant, *et efferet ramos, et faciet fructum, eritque cedrus magnifica, et habitabunt sub ea*, sc. animalia, ut ex Dan. IV: 9. liquet, *omnes aves omnis alae in umbra palmitum ejus sedebunt.* Quibus verbis in genere significatur, regnum et dominium Messiae fore progressu temporis summe gloriosum, firmissimum, perenne, potentissimum, longe lateque extensum et universale per orbem, simul tutum, laetum et omnibus bonis abundantissimum, in quo omnis generis homines secure, jucunde et laute, simul pacifice, degerent. Qui generalis intellectus, sicut facile sese offert, et ex simili emblemate

in fomnio Nebucadnezaris, fecundum interpretationem Danielis Dan. IV. confirmatur, ne alia proferam, ita nefcio, num non fatisfaciat, et tutius fit, in eo acquiefcere, abfque ut fingulas partes figurate explicemus. Quod fi quis campum illum ingredi, et fpiritualibus fuis meditationibus, vel piis fpeculationibus, indulgere velit, is, fi verum partium confpectum, quem hic in cedro habent, retinere, ut oportet, aveat, 1. per *ramos* proceros et firmos intelligat vel potentiffimum regis dominium, ac gloriofum robur, vel viros in Chrifto praecellentes, regnum ejus firmantes et glorificantes, alibi per *cedros*, *quercus juftitiae*, et fimilia emblemata depictos. 2. *fructus* cedri transferat ad quaevis dona et bona falutaria, et gloriofa, quae Chriftus profert, et offert fruenda. 3. *cedri magnificentiam* adplicet ad fpiritualem Chrifti et regni ejus fplendorem, firmitatem, amplitudinem et communionem cum *coelo*, ad quod ufque fe magnifice effert cedrus fublimis. 4. *Habitantes* fub ea, ut funt animalia terreftria, et *aves* in ramis nidulantes, fint qualefcunque, cujufcunque gentis et fortis homines per orbem, qui fefe Chrifto in fide et charitate adjungunt, et fub ejus tutela fecure degunt. Sed haec fpeciminis ergo fufficiant etc.

§. CCCXLII. Ceterum, ficut dicta clariffime demonftrant, in neminem ex domo Davidis haec convenire, nifi folum Meffiam, ut facile adparet, ita ad implementum recte percipiendum obfervandum eft, quod alibi ad Dan. adftruxi, et faepe memoravi, regnum Meffiae hic depingi, quale vi erectionis et naturae fuae effe debeat, et aliquando futurum fit in orbe. Eo enim oculo folent Prophetae illud confiderare, acfi mox tale foret, fatis intermediis filentio involutis. Praeterea notandum eft, regnum quidem depingi in terra florentiffimum et univerfale, fed non terreftre, et monarchicum, vi externa erectum et ftabilitum, quale fuit Nebucadn., cui idem fere aptatur emblema Dan. IV., et Judaei fibi fingunt: repugnat enim harmonia verbi prophetici,

tici, uti alibi demonſtrari ſolet, conf. tantum nunc Jeſ. II, XI, LX. Zach. IX. et Dan. II ac VII. Pſ. II, XXII et CX. ipſa quoque noſtra pericopa nonnulla ſuppeditat regni ſpiritualis indicia, 1. quod cedrus magnifica ex *tenui* ſurculo creverit, argumento, non a bellicoſo principe fuiſſe erectum hoc regnum, 2. ſponte ſua, ſola ope et benedictione Divina formata ſit. 3. quod arbori virenti externae domus regiae Davidicae arefactae ſucceſſerit, ut mox ſubjungitur, 4. denique quod homines non ſint cogendi ad ſubjectionem, ſed inſtar *avium* ſponte eo convolaturi, ut tutam et jucundam ibi inveniant requiem. Ceterum, quod arbor haec in monte Iſraelis dicatur radicata, illud non eſt ita capiendum, acſi ibi tantum ſedem haberet, ſed quod ibi inciperet creſcere, unde per totum orbem diffunderetur, uti de *lapide* in montem mutando habetur Dan. II. et mons Tſion dicitur elevandus ſuper *vertice omnium* terrae montium Jeſ. II. quo etiam facit, quod omnes *aves* terrae in ejus palmitibus ſederent, argumento, eos ſe per orbem eſſe porrecturos.

§. CCCXLIII. Subjungitur tandem, per modum clauſulae totius revelationis, hoc cap. comprehenſae, poriſma morale et propheticum, in eo ſitum, quod hi eventus omnes docerent homines, magnos et parvos, Deum eſſe mundi et Eccleſiae rectorem, qui in ejus adminiſtratione mirabiliter agit, ſublimes deprimendo et humiles extollendo, viventes et florentes ad nihilum redigendo ac mortuos vivificando et glorificando, aeque Regnorum et Rerum publicarum ac ſingulorum hominum reſpectu. Qui ſcopus eſt et ſenſus verborum verſ. 24. *Et cognoſcent omnes arbores agri, me Jehovam humilem reddere arborem altam, et exaltare arborem humilem, arefacere arborem virentem, et frugiferam reddere arborem aridam. Ego Jehova locutus ſum et faciam.* Quae ipſam *doctrinam* continent, et ejus *cognitionem*, quam vel debeant habere, vel habituri ſint omnes homines. א. *Doctrina* practica duo involvit providentiae Dei ſpecimina, *alterum* eſt, arborem altam humiliari, et humilem elevari,

alterum virentem arefieri, et arefactam reflorefcere. Interpretes paffim exiftimant, unam eandemque effe in utroque membro fententiam, quae fimpliciter per *tautologiam figuram* fic dictum repetitur in altero membro. Sed funt vere partes diverfae, et ad diverfa fubjecta adplicandae; arbor *alta* humiliata, et *humilis elevata*, aliam fuggerit cogitationem, ac arbor *virens* exficcata, et *arida* reflorefcens: pofterior enim fententia plus dicit quam prior, cum *humiliata* et *exficcata* differant, ficut et *alta* ac *virens*, poteft enim *humiliari* arbor alta, abfque ut arefiat, ficut et *virere* poteft, licet non fit alta.

§. CCCXLIV. Quo praemiffo, fenfum parabolicae propofitionis in lucem proferamus, quem exiftimaverim *partim* particularem et relativum, *partim* generalem et abfolutum effe. *a. Prior* quoque *duplex* eft, *alter* directus et magis reftrictus, *alter* indirectus, et paulo generalior. *a. Prior* eft, qui ex fatis arborum hoc cap. memoratis fefe offert, et ad ea reftringitur: quod quin proxime et directe hic intendatur, dubitari nequit, cum ex fuperioribus hoc porifma fit ductum, adeoque iis oportet fuerit comprehenfum. Nec magna opus eft attentione ad utriufque fententiae illuftria fpecimina in praecedentibus detegenda. *Prior* enim fententia, quae habet, *altam arborem humiliari, et humilem exaltari*, fefe fponte fua offert in domo regia Davidis in Jechonia collapfa, et in pofteris ejus domus Zerubbabele et Meffia inftaurata. *Arbor* itaque *alta humiliata* eft *Jechonias*, feu domus regia Davidica in ipfo, cujus emblema fuit verf. 2, 4. ramufculus fummus cedri *altae*, ut verf. 22. diferte adpellatur, decerptus, et traditus, ac Babelem deportatus. Quae fatis manifefta eft *arboris altae humiliatio*, non *exficcatio*, cum diferte habeatur, ramum decerptum fuiffe in urbe negotiantium repofitum, fcilicet ut adfervaretur, nec periret, aut exarefcat. Haec ipfa vero arbor *humiliata* dein eft *exaltata*, cum tener furculus inde decerptus denuo plantatus eft in *monte* Ifraelis, primum *colle* convexo in Zerubbabele,

dein

dein editissimo vertice montis, et laete excrevit in cedrum magnificam, in Messia, uti exposui. Nec *altera* sententia difficiliorem habet adplicationem, cum sese in domo Davidis plane arefacta in Zedekia, et reflorescente in Zerubbabele, sponte sua conspiciendam praebeat. Arbor *virens arefacta* est Zedekias, non quidem sublimis, quippe pervilis, et adtenuatus, ac depressus vers. 14. sub Nebucadnezare, cui erat subjectus, quare *semen terrae* adpellatur, in *vitem* frugiferam tantum excreturum, vers. 5, 6. attamen *virens*, vigensque; ut vers. 8. dein *arbor* plane *arefacta*, cum ipse fuerit cum universa domo penitus eradicatus et exstinctus, absque ut effloruerit unquam. *Altera* vero arbor *arida*, quae effloruit, est filius Davidis, ac modo cum arbore *humiliata* comparatus, nunc majoris emphasios ergo quoque cum *arida*, quia ejus *speciem* praeferebat, nulla spe novae vivificationis sese offerente, et in oculis omnium plane *arida*; quemadmodum hoc tempore passim habebatur; et respectu dignitatis regiae terrestris etiam vere erat. Is ipse tamen refloruit tanquam arbor ex mortua *viva* facta in *tenerrimo* turione; ut modo exposuimus, praecipue in *Messia*, ex *trunco excisa Isai* instar *surculi* oriundo Jes. XI. Sed arbor *virens arefacta*, etc. reflorescens esse potest domus Davidica in Zedekia plane exstincta, verum resuscitata in Zerubbabele.

§. CCCXLV. *b. Posterior* sensus, quoque restrictus, sed paulo generalior, et indirectus magis, cujus memini, respicit ad ipsam remp. Judaicam post exilium Babylonicum, *primum* de aliqua celsitudine *humiliatam* sub Graecis et in primis Seleucidis, et *exaltatam* sub Maccabaeis, *dein* de summo vigore suo sensim plane *arefactam* sub Romanis, sed de *arida* factam *floridam*, seu resuscitatam in Ecclesia Christiana sub Messia, quippe ex matre Patriarchali, seu Judaica *sterili* nata Jes. LIV: 1. Sic Eunuchus introducitur conqueri, Jes. LVII: 3. quod sit *arbor arida*; seu sterilis, ubi eadem vox occurrit. Possem haec latius deducere, et adstruere,

ſtruere, ſed prolixiori eſſe non licet, et intelligenti quoquè ſatis eſt. Illud tantum addam, poſſe *duplicem* ſententiam ſeparatim quoque capi et adplicari, ita ut *arbor* de ſublimi humilis et abjecta facta ſit populus Judaeus de ſumma gloria ſub Maccabaeis in contemtum, et miſerum ſtatum, dejectus per Romanos, de *humili* ſublimis facta ſit domus Davidica in Meſſia exaltata, ut Maria in cantico ſuo Luc. I. cecinit, arbor vero *virens* arefacta ſit Eccleſia Judaica carnalis, quae religione ſplendida et florens tradita eſt pleniſſimae rejectioni et abolitioni, *arbor* denique *arida facta* virens ſit populus gentilis ad communionem Dei in Chriſto transformatus, et Eccleſiae Dei inſertus Rom. XI. Quod per vellus Gideonis *ſiccum terra madefacta rore* quoque expictum cenſetur.

§. CCCXLVI. Sed feſtino ad ſenſum abſolutum et generalem, in quo deſino. Eſt autem is, quem nunc tantum adtingam duplex; *alter* habet, continuas eſſe in mundo viciſſitudines, Deo, tanquam ſapienti et potentiſſimo *rectori*, adſcribendas, tanquam cauſae ſupremae, ſecundum ordinem agentium et patientium ab ipſo conſtitutum, et conſervatum; per quas regna, reſpublicae, familiae, homines ſinguli varia utuntur fortuna, modo glorioſa et proſpera, modo *humili* et miſera, aliis de glorioſo aut fortunato ſtatu in abjectum et adflictum decidentibus, aliis de humili aut infelici in *ſplendidum* et proſperum elevatis. Quorum exemplorum plena eſt hiſtoria. Nec illa, ſtupenda ſaepe, rerum cataſtrophe fato aut caſui, aut hominum ſapientiae et viribus, verum Deo, ſupremo moderatori, adſcribenda eſt, uti Script. ubique inculcat, et Sana ratio docet, ipſae ſubinde circumſtantiae haud obſcure prudentibus ſuggerunt, non obſtante, quod cauſae ſecundae ſuas partes hic habeant. De quo hic non eſt fuſius agendi locus.

§. CCCXLVII. *Alter* ſenſus, quem in oculis habeo, fert id, quod Jac. IV: 6. conſignatum exſtat, *Deum reſiſtere ſuperbis, et humilibus dare gratiam.* Cujus ſimile eſt Prov. III:

III: 34. *profecto irrisores ipse irridebit, at mansuetis dabit gratiam*, nec non XXIX: 23. *Elatio hominis dejicit ipsum, at submissus spiritu apprehendit gloriam*, sicut ante c. XVI: 18. *ante confractionem elatio — — — bonum est demisso esse spiritu*: ne plura proferam. Unum addo ex Job. XXII: 29. *nam humiliabunt, ubi dixeris, fastus: et dejectum oculis in amplitudinem vindicabit Deus*. Eandem cogitationem suscitat phrasis, *arbor alta*, proprie altifrons, superba et elata; et humilis ac demissa. Conf. etiam Jes. III: 11. *oculi hominum alti humiliabuntur, et deprimetur celsitas hominum, et Jehova solus illo die efferetur*. Quod ibi fusius exsequitur propheta, qui etiam rationem quaerit in solius Dei *celsitate*, quae pati nequit, ut vilis mortalis sibi tanta adroget, in Dei contemtum; cui soli competit omnis gloria et potentia. Accedit, *superbiam* hominem a Deo, ejusque cultu, et metu abstrahere, adeoque ejus favori obstruere, et praecipitare in facinora stulta ac violenta, quibus sibi perniciem creant. *Modesti* contra et mansueti, sicut sibi gratiam Dei, cui adhaerent, conciliant, ita rebus suis strenue incumbunt, prudenter instituunt, et aliorum animos sibi devinciunt; quorum ergo est *terram possidere* Matt. V. Quae latius non deduco.

§. CCCXLVIII. 3. Hanc doctrinam declarat Deus, ex his datis speciminibus ab omnibus gentibus posse hauriri, et esse colligendam, cum dicit, *et cognoscent omnes arbores agri* etc. scilicet, et poterunt cognoscere, et cognoscent. Cujus notabile est in ipso Nebucadnezare, ex propria experientia, exemplum, sed populi gentiles, ad quorum notitiam haec rerum catastrophe venit, agnoscere potuerunt, agnoveruntque etiam varii, Deum esse, qui superbos deprimit, et humiles exaltat; cui haec populi Judaei fata sint adscribenda, maxime sub N. T. id a gentibus est factum, ut constat. Ceterum *arbores agri* esse gentiles, magnos parvos, praecipue magnates, potentes, etc. facile patet.

CAP. XVIII.

§. CCCXLIX. D*uodecima* revelatio ejusdem temporis; seu anni, hoc et seq. capite comprehensa, nam formula *et factum est verbum Jehovae ad me*, hic tantum, et non seq. cap. occurrit, duas distinctas *partes* habet, quarum *prior* injuriosas Judaeorum expostulationes cum Deo, acsi injuste agat in populo tam severe puniendo, ut ferebant conciones Prophetarum, retundit cap. XVIII., *posterior* excidium Hierosolymae ac regum emblematice proponit et confirmat cap. XIX. *Prior* pars, contra Judaeos in genere directa, eo tendit, ut judicium Dei, populo infligendum secundum interminationes propheticas, justificetur a criminationibus populi, quibus illud injustum esse arguebant ex eo, *quod liberi* ea ratione puniantur, et non parentes peccatores, vel magis quam illi. Quae opinio praejudicata adeo jam invaluerat, ut proverbii locum acceperit, et omnibus in ore fuerit. Deus itaque in hoc cap. ℵ. dicterium illud proverbiale memorat, et cum indignatione rejicit, tanquam falsum et injuriosum vers. 2. *Quid vobis*, *vobis*, inquam, *adhibentibus*, vel *formantibus*, *parabolam hanc super terra Israelis? dicendo*, *patres comederunt omphacem*, *et dentes filiorum obstupescent*. h. e. quae haec vestra est insania, et injuriosa criminatio, quae proverbii instar jam invaluit, et in omnium ore est, qua terrae Israelis adplicatis dictum illud proverbiale, *patres comederunt acerbam uvam*. Sed non illorum, verum *filiorum*, dentes *obstupescent*, eo indicantes, filios innocentes poenas peccatorum parentum, et non suorum, luituros, adeoque judicium meum, per prophetas promulgatum de excidio vestro esse injustum; si infligatur. Mentio hic fit *proverbii*, et forma sermonis indicat, illud a Judaeis esse formatum, ac terrae Israelis adplicitum, sed esse falsum, et injuriosum Deo. Dictum acutum et parabolicum, *patres*

come-

comederunt omphacem, et filiorum dentes obstupescent, nihil habet obscuri Vox Hebr. בסר, *omphax, uva acida* Arab. est in genere *immaturus* dactylus, inquit Schult. clav. p. 260., proprie denotare videtur *contractionem rei durae et siccae*, sicut *austerus*, *αὐστηρος*, ab *αὔω arefacio* et exsicco ad duritiem. Verbum vero קהה, si cum כהה comparare liceat in origine dicet *tusionem, contusionem*, inde *hebetationem*, ut Lat. dicunt *retusa, obtusa*, quae *hebetata* sunt, vel sponte *hebescunt*. Respicitur itaque ad dentium hebetationem per esum uvarum austerarum et durarum; adeoque pravam dentium adfectionem, inde instar mali natam: unde proverbialis locutio formata est ad malum poenale ex peccato ortum denotandum. Cum autem parentes dicantur *comedisse*, et *filiorum* dentes hebetatos esse, indicatur, ut facile patet, malum poenale non parentes, sed filios eorum sentire, eosque ob parentum peccata licet innocentes puniri; secundum illud *Horatianum, delicta majorum immeritus lues, Romane!*

§. CCCLX. *Forma* sermonis *duo* repraesentat: quorum *prius* est, dictum illud parabolicum a Judaeis esse adplicitum *terrae* Israelis, et inter eos satis vulgatum fuisse, incertum a quo tempore? sed jam ante viguisse ex Jer. XXXI: 29. manifestum est, forte ab eo tempore, quo a prophetis est nomine Dei declaratum, remp. esse exscindendam propter peccata Manassis, 2 Reg. XXI: 12. XXII: 17. quod Jerem. diserte alibi c. XV: 4. pronunciavit. Indicatum autem eo voluerunt, *in terra Israelis* illud dictum veritatem habiturum, si verae sint, et effectum habiturae, interminationes prophetarum; adeoque se innocentes, seu non tanta meritos mala, poenas luere unice propter peccata *parentum et majorum*. Illud enim sibi vult phrasis, *super terra Israelis*. *Parentes* itaque intelliguntur, non tam reges et principes, ut nonnulli opinati sunt, licet non excludantur, quare mox cap. seq. contra eos dirigitur oratio, quam *parentes* proprie dicti, ut ex toto hoc cap. liquet: nec illi longius remoti, uti

uti nonnulli de peccatis majorum in deserto cogitant, sine ulla ratione, sed qualescunque majores jam mortui, stante adhuc Rep., qui hac tanta poena non erant adfecti. *Filii* ergo sunt, qui hoc tempore vivebant, et eorum *posteri*, a Deo exscindendi, vel exules futuri. Significatum itaque hoc proverbio voluerunt, vel vanas esse prophetarum interminationes, vel injustum esse judicium, si eos feriat, quippe liberis innocentibus propter parentum peccata infligendum, *partim*, quod ipsi tanta non essent meriti, *partim*, quod inter eos essent *justi*, eodem judicio involvendi; *partim* denique, quod posteri sui, utique innocentes, eadem mala experirentur.

§. CCCLXI. *Posterius*, quod structura orationis involvit, est, 1. dictum illud esse falsum et Deo injuriosum; quippe viis Dei contrarium cum hominibus nec Israeli hujus temporis congruum; illud enim indicat indignabunda interrogatio, *quid vobis*? et ipsa phrasis, *dictum hoc*, הזה, quae vocula, hic, ut alibi, quid contemtibile, et rejiculum denotat, ut sit, *hoc*, tam falsum injuriosum et spernendum dictum. Confirmant etiam sequentia, quibus hoc dictum falsi convincitur. Rejicitur itaque hoc non tantum relate ad Israelem hujus temporis, acsi male tantum sit adplicitum a Judaeis, sed absolute, tanquam falsum, et virtutibus ac viis Dei contrarium. De quo alibi disputari solet. 2. Imo vero dictum illud a Judaeis contra conscientiam adhiberi, et terrae Israelis adcommodari, cum ipsi probe scirent, quam corruptus sit populus a Deo exscindendus, et saepe a prophetis essent hac de re convicti. Interrogandi forma, *quid vobis*? hanc emphasin omnino continet: acsi diceret propheta, quanta haec est inpudentia vestra, quod hoc dictum in os sumere audeatis; quae vos cepit *insania*? cum ipsi probe contrarium sciatis.

§. CCCLXII. 3. Proposito hoc populi dicterio parabolico et cum indignatione, tanquam falso, rejecto, declarat Deus ea ratione sese cum populo acturum, ut de falsitate ejus tam clare

dare sit constiturum, ut ne species quidem ejus supersit, et ipse populus convictus cessaturus sit eo amplius uti vers. 3. *Vivo ego., inspiratum Domini Jehovae, si erit vobis amplius uti hac parabola de Israele.* h. e. magna cum adseveratione, tanquam juratus, declaro, judicium meum in Israelem ita esse instituendum, ut vel species et occasio defutura sit, hoc dicendi, et populus ipse hac de re convictus desistere debeat ab ejus usu. Verba respiciunt quidem ad futurum, et indicant, cessaturam esse occasionem dicti in posterum, absque tamen, ut inde colligi queat, Judaeos nunc ex vero tale quid dicere posse; cujus contrarium modo vidimus, et mox a Deo deducitur; sed indicant, Deum ipso facto esse demonstraturum, quam falsum sit dicterium, adeo ut ipsa species veri peritura, et populus de eo convincendus sit, eaque ratione sponte illud missum facturus. Phrasis, *si erit amplius vobis, uti hac parabola*, indicat occasionem ejus cessaturam, omnem speciem tollendam, et populum palam de falsitate ejus esse convincendum. Quod qua ratione temporibus Maccabaicis, et deinceps factum sit, exposui ad Jer. XXXI: 30.; hic addam in ipso judicio excidii Hierosolymae, ejusque consequentibus, quo hic directe et proxime respicitur, illud ipsum esse patefactum; *cum* quod pejor pars populi, quae Hierosolymae nunc adhuc versabatur, perierit, *melior* vero pars servata sit in exsilio jam degens cum Jechonia; de quo cap. XVII. actum est, et Jer. XXIV. plenius deductum, *tum* quod Dei et legis studiosi, qui *justorum* titulum merentur, hoc ipso judicio eximerentur, *impii* vero majore minore gradu exscinderentur, uti cap. IX. prophetae repraesentatum est, et exempla Jeremiae et aliorum, ut Baruchi Jer. XLV: 5. Obed-melechi ib. XXXIX: 15. comprobant, *tum* quod ipsi improbi praevenire adhuc possint judicium, si se convertant, ut vers. 21. etc. fusius declaratur, ad populum de falsitate dicti convincendum, *tum* denique, quod populus in exilio conversus in patriam reduceretur, et plene instauraretur, nec

 unquam,

augeam, usque ad finem Cap. V. tenditur, et nunc ex-
scindendus, quod Jer. XXXI. initio expositum, et hic haud ob-
scure vers. 14. etc. indicatur; et nunc adimpletum. Addi po-
test, populum reducem, et ad Deum conversum, felicitatem
diuturnam exspectaturum, ei renunciatum esse, nec amplius
abiturum. Reliqua petenda sunt ex commentario ad Jer.
l. c.

§. CCCLXIII. 2. Subjungitur nunc plenior refutatio in-
juriosi hujus dicti, eo etiam scopo instituta, ut populus de
falsitate ejus convinceretur, et ita quoque praepararetur ad
illud suo tempore irritum faciendum; quod futurum esse
Deus modo praenunciaverat, vers. 4—20. Ubi a. occurrit
propositio vers. 4. B. ejus deductio vers. 5—20. a. *Pro-
positio* habet, homines a Deo seorsim considerari, et filii
aeque carus esse in Israele, adeoque singulos secundum ope-
ra esse a Deo tractandos, bonos bene, malos male, sive
sint parentes, sive liberi, sine discrimine, his verbis vers. 4.
*Omnes animae meae sunt, ut anima patris, ita et anima filii,
meae sunt, anima quae peccavit illa morietur.* h. e. omnes
homines eandem habent ad me relationem, qua creatorem,
et judicem, omnes sunt meae creaturae, ego Pater eorum
supremus, iisque qua talis benevolus, absque ut paterna et
filialis relatio hic in censum veniat, et mutationem adferat,
adeoque singuli per se considerabuntur et tractabuntur a me
in praemiis et poenis distribuendis, utique in peccatis mor-
te, seu poena divina, vindicandis; quod non faciam nisi
in peccatoribus, qui meruerint, absque ut alter propter al-
terius crimen sit ea poena adficiendus, sed soli peccatores
eam subibunt, non justi; sive sint parentes, sive filii. Ver-
ba, quae omnem merentur considerationem, duplicem ha-
bent sensum, saepe minus ad animum revocatum, proximum
ac directum, et *remotum* ac indirectum; per consequentiam
inde ductum. a. *Prior*, qui ex verbis et nexu sese sponte
offert, est, Deum in malis poenalibus, quae totalem adfe-
runt destructionem, infligendis, nullam aliam rationem,
quam

quam singulorum peccata, habiturum, nec relationem paternam ac filialem ad animum revocaturum. Agitur de judicio Dei poenali, nec qualicunque, sed summo, quod *destructionem* adfert in hoc seculo; uti liquet ex verbo *mori*; quo *mors* temporalis, seu malum ei proximum ac fere aequale, divinitus infligenda intelligitur, secundum interminationem in *lege* Dei per Mosen factam; uti ex vers. 13., ubi per *sanguinem* seu *caedem* exponitur, confirmatur, et ex *scopo* capitis elucescit, eo tendentis, ut Judaeorum criminationi occurratur, quae habebat, se exscindi a Deo propter peccata parentum: non itaque de *morte aeterna*, multo minus spirituali, sic dicta, sermo est. Declarat nunc Deus, eam poenam esse solis *peccatoribus*, adeoque non filiis propter parentes, aut vice versa, infligendam, si nimirum sint *justi*, a peccatis illis alieni; ubi per *filios* intelliguntur proxime et directe *adulti*, et non *insontes*, peccatorum nondum capaces; ut facile patet, et ex seq. extra dubium esse debet. Sed observari meretur, non singulares tantum homines, verum hominum *aetates*, seu generationes, quoque intelligi, *cum* quod criminatio Judaeorum non ad singulos, sed et totam gentem, propter majorum peccata delendam, spectabat, *tum* quod *domus Israel* diserte adpelletur vers. 31., *tum* denique quod in propositionis deductione eo manu quasi ducamur, ut de *aetatibus* cogitemus, sibi succedentibus; praemittitur enim pater *justus*, dein *filius perversus* memoratur, ac tandem *justus*, seu conversus, filius subjungitur; quae populi Judaei, secundum *tres* magnas aetates, *primam* justam, *secundam* perversam, *tertiam* justam rursus, exemplo praecedentis admonitam, haud obscura est imago; ut in seq. videbimus. *Rationem* vero hujus dispensationis divinae, qua justos filios non involvit iisdem poenis cum parentibus peccatoribus, Deus inde repetit, quod *omnes animae suae* sint, h. e. sibi singulae curae et cordi, tanquam creatori et Patri, creaturae et filii, ad quas itaque eandem habet relationem, quasque aequaliter tractat, non

itaque animae filiorum sunt parentum, sed Dei animae aeque ac parentum animae, adeoque eodem modo tractandae, non secundum parentum sed propria merita. Hic verus est vocum, quibus *ratio* redditur, quare filius non sit morte propter parentis peccata puniendus, sensus, a quo nimium aberrarunt illi Interpretes, qui voces absolute sumunt, acsi Deus vellet dicere, se pro lubitu de animabus disponere posse; absque ut rationem debeat, adeoque posse iisdem poenis involvere filios justos; quod scopo et nexui directe adversatur, nec phrasi convenit, quae Deum sistit supremum patrem omnium animarum; qui itaque omnes curat, et pro meritis tractat.

§. CCCLXIV. *b*. Praeter hunc sensum directum et proximum ferunt quoque voces *indirectum* et remotiorem, per legitimam consequentiam inde eruendum, quem eo magis admittere licet, quod Propositio sit generalis, et absoluta, adeoque, quam late potest, extendenda. Continet vero sequentes veritates magni momenti, quas omnium animis alte inpressas velim. 1. *Prima* est, eandem esse Dei ad omnes homines, qua *Creatoris* et Patris supremi, relationem, per quam amor et cura ejus ad omnes sese porrigit, adeoque objectum bonitatis Dei hac parte esse *universale*. De quo alibi disputari solet. Hic notasse sufficit, Deum magna cum adseveratione declarare, et tanquam quid magni momenti considerandum velle, quare *ecce* praemittitur, et Deus *jurans* introducitur, *omnes animas esse suas*, et quidem magis quam parentum sunt filii, argumento, paternam ejus esse supra parentes relationem ad animas hominum in genere. 2. *Secunda* est, Deum in malis poenalibus hujus seculi distribuendis rationem relationis paternae ita non habiturum unquam, ut innocentes, et justi liberi tantum propter peccata parentum puniantur, sive sint infantes, sive adulti liberi, illi innocentes hi justi. Fluit haec doctrina ex universali propositione, non restringenda: Ex quo colligendum est, *a*. peccatum Adami non *immediate* posteris ad poenam impu-

imputari, sed *mediate*, mediante corruptione nativa, ut hic recte observat ipse Calvinus. Quod eo magis hinc adstruitur, quia ne quidem temporales poenas innocentibus et justis filiis propter parentes esse infligendas declaratur, multo minus itaque *aeternas*. Etsi enim liberi adulti directe et proxime intendantur, cum tamen Deus testificetur, *omnes animas* esse *suas*, et universaliter adfirmet *filium* non esse puniendum propter parentem; ad infantes, quippe homines et innocentes, eaque ratione pro captu suo justos, quominus adplicetur, nihil est, quod impedit. *b.* Liberos, si parentum peccata in ipsis quoque vindicentur, vel poenale malum ipsos quoque adtingat, uti fit nonnunquam, et Deus quoque in decalogo ac alibi se facturum esse declarat, hoc ipso etiam in judicio exilii Babylonici adparuit, sicut Thren. V: 7. dicitur, *liberos*, inquam, eo in casu, *vel* eorundem peccatorum esse participes, adeo ut eorum quoque debitas luant poenas, *vel* mala illa non *poenae* loco ferre, sed ad probationem, et purgationem, et a Deo alio modo compensari, vel instaurari: uti et hoc tempore contigisse constat. 3. *Tertio* denique habet, Deum in judicio purae justitiae, ubi nullae aliae rationes in censum veniunt, quo cuique reddit secundum opera, constanter hanc regulam observare, secundum quam omnes seorsim considerantur homines, et soli peccatores puniuntur, liberis innocentibus justis propter parentes peccatores eadem mala non participantibus. Eo enim manifeste tendit declaratio, *omnes animas esse Dei*, *et animam, quae peccavit, esse morituram*, scilicet *solam*, et non propter eam alias animas, poenam non meritas. Quale judicium cum in hoc seculo non habeatur; quia aliae rationes providentiae impediunt, sed in futuro, ei haec declaratio absolute et in omni emphasi ac latitudine est adplicanda, quod script. etiam ubique adfirmat, et sana ratio facile docet. Ex quo itaque colligendum est, infantes in statu infantiae mortuos in parentibus peccatoribus, et irresipiscentibus, non esse considerandos, sed respectu status proprii

tractandos, longe mitius ergo, quam parentes peccantes, in poenis mersum. De quo non nisi ex speciali revelatione aut eventu quid certum potest affirmari. 4. Quaerere est, quam subjungere licet, nunc declarationem respectu mali poenalis non esse per omnia et absolute extendendam ad Oeconomiam gratiae, seu paternorum dispensationem, sed in ea nulla sit justorum parentum respectu liberorum habenda ratio; cum in favorem gratiae demonstratione Deus aliter agere possit, ac in justitiae exercitio; et hic tantum de posteriore sermo sit; atque ut Deus declaret, quid liberis innocentibus aut justis velit propter parentes justos concedere. Potest utique, salva hac declaratione, liberos infantes, durante infantia, in parentibus fidelibus considerare et tractare, et adultis justis propter parentes justos etiam majora praemia dare, uti declaravit, se in mille generationes facturum esse Ex. XX. et alibi. Sic et ipsas poenas propter justos parentes potest differre, non obstantibus peccatis liberorum, uti ipsum facere aliunde constat. Quod verbo tetigisse sufficerit.

§ CCCLXV. A. In *propositionis* deductione *tres* citantur casus, ad declarationem Dei, modo memoratam, illustrandam et confirmandam, *parentis* justi *victuri*, filii ejus perversi morituri, et ejus *rursus filii*, parentem non imitantis in pravitate, sed justitiam sectantis, *victuri*. Qui tres casus B. in medium adferuntur vers. 5—19. C. iis subjungitur propositionis repetitio, et explicatio plenior vers. 20 D. *Tres* isti casus expresse memorantur, quia tot praecise sunt propositione comprehensi, parens justus, et filius pravus, parens pravus, et filius justus, comprehendunt omnes propositionis partes, quae dari possunt, respectu adultorum, de quibus hic tantum expresse agitur. Sed *ordo* casuum, quo a justo parente initium sumitur, et in filio injusti parentis justo finitur, videtur eo inprimis scopo electus, ut de *aetatibus* populi Judaei cogitaremus, *prima* justa, *secunda* prava, et *tertia* rursus justa: quae, si rem in genere consideres, facile demon-

demonstrantur; *prima* enim est sub Davide et Salomone, *secunda* sub Rehabeamo et sequentibus regibus, *tertia*, tempore exilii, et liberationis ab eo. Quae periodi licet variam habeant exceptionem, attamen, re in genere considerata, et secundum majorem populi partem, recte eo oculo conspici possunt; uti facile patet, et sequentia confirmabunt.

§. CCCLXVI. *Primus* casus est parentis justi, et victuri, vers. 5—9. Ubi α. justitiae ejus fusior datur descriptio vers. 5—8. β. ipsum, qua talem esse *victurum*, declaratur, vers. 9. α. In descriptione sese offert a. *propositio* vers. 5. b. ejus deductio per partes vers. 6—8. a. *Propositio* ita habet vers. 5. *Et vir quum fuerit justus, feceritque jus ac justitiam.* Quae verba hac ratione manifeste cohaerent, ut posterius membrum sit prioris explicatio; unde elucescit, *justum* hic adpellari, qui *facit jus et justitiam*, non itaque euangelice per fidem et imputatam justitiam, sed *legaliter* justum, seu secundum legem Mosis, quantum requiritur ad bona externa Oeconomiae legalis consequenda. Quod sequens deductio extra controversiam ponit; ut mox patebit, et nos alibi demonstravimus Diss. S. l. III. c. 6. §. 12. *Facere* vero *jus et justitiam*, licet non excludat peccata, per poenitentiam et sacrificia expianda, plenam tamen comprehendit et ad finem usque observantiam, uti vers. 24. expresse quoque inculcatur, et facile patet. Sed quid est, *jus et justitiam* facere? officia, ni fallor, praestare et strictae *justitiae*, aequitatisque, et *charitatis*, adeo ut *prior* vox omne illud comprehendat, quod sive in judicio, sive extra illud, Deo et proximo debemus secundum strictum jus, *posterior* vero ea, quae amor proximi supra strictum jus a nobis postulat, quod posterius officiorum genus et alibi nomine צדקה venit, ut ad Jer. IV: 2. et alibi observavi. Confirmat nostram interpretationem catalogus officiorum, qui mox sequitur, quo duplex illud genus expresse et distincte memoratur.

§. CCCLXVII. *b.* In propositionis deductione 1. officia

 recen-

recensentur; quae proximo secundum strictum jus debebat Israelita vers. 6, 7. his verbis; *super montibus non comedit, nec oculos effert ad stercora domus Israelis, et uxorem proximi sui non vitiat, nec ad mulierem menstruis laborantem accedit, et neminem opprimit, pignus suum debiti restituit, rapinam non rapit.* Quae non sunt difficilia; quare uno alterove defungar observato. 1. *Primum* est, *comedere super montibus, et oculos tollere ad stercorea Deos domus Israelis*, hic occurrere inter officia, proximo debita, adeoque indicari, cum proximo non esse communicandum in idololatria ipsius, si vel domus Israel esset, seu dominans esset idololatria, exemplum non sequi, sed palam se ab eo abstinere; ad proximi pudefactionem et emendationem. De hoc conspectu testatur, quod *comedere* in montibus memoretur, et stercora *domus* Israel expresse adpellentur. Negatur itaque *communio* cum Israele idololatra, et respicitur ad sacrificia, indeque instituta convivia, in montibus, in honorem idolorum: uti constat. Not. usus אל pro על, vid. vers. 15. suscipit enim אל omnem modum adhaesionis, etiam a superiore parte, uti Thren. III: 41. *tollere cor ad manus*: *super*, ita ut in precibus ipsum cor *super* manibus adpareat. 2. *Secundum* est, utrumque, *non vitiare uxorem proximi*, nec *rem habere* cum menstruata muliere, respicere ad interdictum *adulterii*, quod ad propriam uxorem, cum menstrua habet, extenditur, cum sic abutatur propria uxore tanquam adulter: utrumque etiam conjungitur Lev. XVIII: 19. 20. et posterius gravi poena exterminii e populo puniendum declaratur ib. XX: 18. 3. *Tertium* est, *oppressionem* alterius pertinere ad interdictum *necis* proximi, late intellectum, quo omnis generis *detruncatio* et oppressio prohibetur. Radix ינה proprie est *detruncavit*, inde *eradicavit*, et sic debilitavit, nervo secto. 4. *Quartum* est, *pignus* pro debito retinere, et *rapinam facere* referri ad interdictum *furti et rapinae*, cum pignus retinere sit proximo eripere, quod ejus est, seu alimenta ipsi subtrahere; quae expresse vetitum erat

respectu

respectu pauperum, in lege Ex. XXII: 25, 26. et Deut. XXIV: 6. Ceterum חוב, ut id obiter observem, sedem habet in *nexu;* unde derivata apud Hebr. et Arab. facile fluunt, in specie *debiti*, et *reatus*, seu criminis, quo caput alicujus obligatur, et connectitur.

§. CCCLXVIII. 2. Sequuntur officia *charitatis* et liberalis beneficentiae vers. 7, 8. *panem suum esurienti dabit, et nudum teget veste, in usuram mordentem non dabit, et foenus multiplicans non accipiet.* Haec enim conjungenda sunt, tanquam ad officia charitatis erga proximum egenum pertinentia, quibus ipse ex pura liberalitate nostra sustentatur, tum per eleemosynas, tum per mutuo data sine usura et foenore; quippe quod posterius hic, et in lege Lev. XXV: 36. diserte ad pauperem et egenum refertur. Quid vero inter נשך et תרבית *usuram* et *foenus* intersit, non constat. Solet ad Rabbinorum exemplum prior vox ad *pecuniam* posterior ad fruges et fructus referri, nescio quam vere, illud certius est, *priore* voce foenus adterens et *mordens* proximum, *posteriore* usuram, bona nostra *multiplicantem*, significari, quae utriusque vocis potestas est. Usurpantur vero promiscue, et נשך de *pecunia* et *bonis* seu frugibus adhibetur Deut. XXIII: 19. Ceterum *usuram* et *foenus* sumere, ac *gratificari tenuibus* quoque opponuntur Prov. XXVIII: 8.

§. CCCLXIX. 3. Subjunguntur officia justitiae seu juris exercendi inter litigantes, sive per modum *arbitri*, sive *judicis*, quibus nec manus admovet inclinando judicio in deteriorem partem, nec ipse pravam fert, a veritate alienam, sententiam, vers. 8. his verbis: *ab iniquitate in judicando abstrahet manum suam, judicium veritatis faciet inter virum et virum.* h. e. nec cuiquam judicia fieri faciet, nec ipse feret, sed rei congruum, justum ac aequum pronunciabit judicium, sine personarum receptione, aut ex pravis principiis avaritiae aut ambitionis. Tantum not. עול propriam sedem habere in *bilancibus*, quum lanx propendit in alteram partem, unde transfertur ad injustitiam, ut Gr. ἀδίκημα,

 et

et studium partium Job. XIII: 7. Ps. LXXXII: 2. *quousque judicabitis inclinatione iniqua lancium.* 4. Denique concluditur catalogus officiorum generali praeceptorum et statutorum Dei observantia, his verbis vers. 9. *In statutis meis ambulabit, et judicia mea observabit ad faciendum veritatem* generalis est officiorum, quae Deo et proximo debemus, propositio, qua catalogus superior apte finitur, ut indicetur, *cum* superiora officia intuitu Dei, et ad ipsi obediendum, praestari a justo, *tum* reliqua omnia a Deo injuncta, hic expresse licet non memorata. Tantum not., *facere veritatem* sese late extendere ad omne quod justum, aequum et bonum est, simul involvere *constantem*, et ex animo ortam, observantiam, quae propria est vocis אמת potestas *in firma tensione*, et constantiam adfert ac intensum studium in agendo.

§. CCCLXX. β. Huic descriptioni subnectitur divina declaratio, qua talis, qui in illis officiis sedulus et constans fuerit, pronunciatur *justus*, et ei praemium *vitae* adjudicatur vers. 9. *justus ipse vivendo vivet inspiratum Domini Jehovae.* h. e. divina sententia talis vir pronunciabitur *justus* et *victurus*, judicio Dei non e medio tollendus, sed vita longaeva et prospera gavisurus in terra, secundum promissum in lege saepe factum. Duo itaque declarantur, *alterum* est, ipsum esse *justum*, *alterum* esse *victurum*. Antea dictum erat vers. 5. *si fuerit justus*, et partes justitiae erant enumeratae, nunc ipsum fore *justum*, adeoque significatur, eum sententia divina talem esse declarandum, et justificandum, adeoque *jus* ipsi ad *praemium* justitiae adsignandum esse, in eo situm, quod *victurus sit vivendo*, seu certissime *victurus*. Qui verus est vocum sensus et conspectus. *Justus* itaque hic est, qui *justificatus* est, seu *justus* pronunciatus a judice, adeoque *jure*, ipsi adsignato, praeditus ad *praemium* justitiae; ipsum vero illud praemium seu *bonum*, ad quod jus ipsi datur, est *vita*, opposita *morti*, adeoque a *morte* liber pronunciatur, et *vita* ipsi adsignatur. Sed *quae et qualis vita* hic intelligitur? Resp., primo et directo sensu

non

non *aeterna* et *beata*, sed temporalis in hoc seculo, a Deo in lege promissa. Rationes sunt sequentes. 1. Quaerulae populi criminationi, qua se ob peccata parentum *mori* debere, et *vita* privari expostulaverant cum Deo, opponitur; declarando, *justum esse victurum*, secus ac illi objecerant. Oportet itaque *vita* intelligatur, morti opposita, qualem illi intendebant, quae est *temporalis*, 2. *justitia* legalis est, et non euangelica, ex fide in Messiam supra descripta; ut vidimus; *vita* itaque et ea oportet sit, quam *lex* promittit, quae est longaeva bonorum hujus vitae possessio, uti notum est. 3. *Mors*, cui opposita est, *caedem*, divinitus in poenam inflictam, denotat, qua e vivis tollitur peccator, vers. 13., ut in seq. videbimus. Attamen sensu indirecto, per consequentiam inde elicito, admitti potest vitam aeternam quoque intelligi, seu ad eam concludi posse, si haec officia in fide et amore Dei in Christo observentur: quemadmodum etiam *fit* Lev. XVIII. et cum *justus ex fide* dicitur *victurus*, Hab. II. et alibi.

§. CCCLXXI. *Secundus* casus est justi patris filii perversi *morituri* vers. 10.—13. Ubi α. filii refractarii lineae ducuntur vers. 10—13. β. sententia condemnatoria pronunciatur vers. 13. α. In descriptione *a.* memoratur filius, qui non *omnia* illa facinora, sed unum illorum tantum patravit, vers. 10. et 11. init. *b.* qui omnium reus est, vers. 11—13. *a. Prius* his verbis exponitur vers. 10, 11. init. *Et progenuerit filium effractorem, fundentem sanguinem, et* vel *aut, fecit tantum unum de illis, et ipse omnia illa non fecit*, h. e. si justus pater procreaverit filium, qui sanguinem violenter effudit, aut unum aliquod aliud scelus patravit, secus ac pater, qui nullum aut, qui tamen omnia non fecit facinora prava. Hunc existimaverim verborum esse sensum, qui ut elucescat notandum est, 1. *primum* membrum stricte esse capiendum, non de eo, qui omnia perrumpit jura, et grassatur per caedes et qualescunque oppressiones, sed *homicida* culposus est, aut simile, sed vici-

num et aequale fere patravit; quod vers. 18. *oppressionis* nomine, paulo generaliore venit. Quod si displiceat, ו in ועשה verti debet *aut*, ut sit praecedentis limitatio, et oppositio. 2. *Secundum* membrum aliud quodcunque facinus vetitum, modo memoratum, comprehendere, ita ut sensus sit, eum *solummodo unum* aliquod de supra dictis criminibus fecisse. מ in מאחד cum emphasi abundat, ut *de uno* sit unum aliquod singulare; qui usus apud Arab. frequens est, nec in Script. insolitus, uti Deut. XV: 7. et alibi. Vid. Schult. ad Har. conf. III. p. 146, 165. et dicta ad Jer. III: 13. Sed quid est אח? Chald. fratrem interpretatur quem alii sunt secuti, sed 1. voce רעה noster propheta utitur eo in casu, 2. dixisset אחיו vel לאחיו *fratri suo*, ut in aliis Script. locis, ubi eo in casu occurrit. 3. quid emphasios habeat אח pro *fratre*, hic tantum et vers. 18. occurrens, non liquet. Alii, quod Coccejo non displicet, pro *interjectione* habent, ut sit, *fecerit*, *ah! vel unum ex iis*. Sed illud etiam minus abruptum est, nec quare hic et vers. 18. tantum illud *ah!* interseratur, et quid emphasios habeat, adparet. LXX. et Syr. penitus omiserunt. Quod ad me adtinet, si אח *vae* sumi posset pro re suspirio digna, seu crimine, quod אח *vae* producat, verterem, *facere vae* seu *ah!* sed verius et facilius videtur, leg. אך et vertendum, *solummodo*, duntaxat, *unum ex illis*; uti et vers. 18. quod huc aptissime quadrat, uti facile cernitur. Quod utique rectius est, quam quod nonnulli אח pro אחד sumant, cum sine exemplo sit, et plane superfluum. 3. *Tertium* membrum, vers. 11. *et ipse omnia illa non fecit*, dupliciter capi potest, pronomine הוא *ipse* vel ad *patrem*, vel ad *filium*, relato. *Priore* ratione oppositio erit inter filium et patrem, et sensus, quem LXX expresserunt, filium non instituisse vestigiis *patris*; oratio vero hac ratione concinnanda erit: *et fecerit filius vel unum duntaxat de iis, quorum nullum fecerat pater*, quem sensum voces recte admittunt, *et ipse omnia illa non fecit* h. e. nihil eorum, quorum filius vel unum patravit,

Com-

Commendat vocula והוא *et ipse* expresse addita, qua opus non fuisset, si de *filio* sermo continuaretur. Sed, si ad *filium* referatur, sensus non est, quod passim putatur, ipsum nihil praeceptorum adfirmantium fecisse, sed non omnia illa scelera, modo memorata, patrasse, adeoque praecedentis membri ulteriorem explicationem vel adfirmationem continebit, hoc sensu, quem nonnulli recte viderunt, *fecerit duntaxat unum ex illis, et ipse non omnia* illa facinora patraverit: quod etiam recte admitti potest. Interea vehemens me tenet suspicio, pertinere haec verba ad filium foedifragum, perruptorem et latronem, opposite ad filium qui unum tantum illud fecit, adeoque לא *non* ante עשה *fecit* esse vitiosum, ac tollendum, ex praeced. voce אלה ortum: quum oratio recte fluit: *sed ipse*, filius praeferatur, *omnia illa fecit*; *quia etiam super montibus* etc. Posset quoque לא *non* censeri loco motum, et voci vers. 10. אחד praemittendum, ita ut de *patre* filii nequam capiatur, hac ratione *et non fecit pater* (loco את etiam legi posset אב *pater*) *vel unum ex illis, et ipse* filius, *omnia illa fecit*.

§. CCCLXXII. *b*. Subjungitur filii magis perversi, et omnium illorum facinorum rei, descriptio vers. 11—13. his verbis: *quum etiam super montibus comedit, et uxorem proximi sui vitiavit, humilem et inopem detruncavit, rapinas rapuit, pignus non restituit, et ad stercora sustulit oculos suos, abominabile fecit, in foenus dedit, et usuram sumsit*. Quae cum supra habuimus, eadem enim, ordine parumper turbato, sunt, quae supra, nullam injiciunt moram; tantum observandum est, כי גם esse, ut verti, *quum etiam*, et sensum fundere, filium perversum non unum tantum, ut modo casus erat positus sed omnia illa facinora patrare, quae Pater justus vitaverat, adeoque alium casum constitui, longe pejorem. Posset etiam כי גם censeri eundem habere usum, quem אף כי, et significare *quanto magis*, qui omnia illa fecit. Praeterea not., *abominationem facere* vers. 12. fin. pertinere ad *idololatriam*, cujus praecesserat

 mentio,

mentio, licet mox latius extendatur, phrasi quoque generaliore.

§. CCCLXXIII. 8. *Sententia* condemnatoria ita habet vers. 13. *et vivus* (an vivus erit?) *non vivet*, *cuncta illa fecit abominabilia*, *morte morietur*, *sanguines ejus in ipso erunt*. Cum interrogationem praemisisset Deus, quae tanquam absurdum rejiciebat, ipsum fore vivum, mox respondet, et declarat positive, et cum multa adseveratione, talem filium non esse *victurum*, sed causa abominationum, quas fecit, certo certius morte puniendum, adeoque morte violenta, in criminum poenam, e medio tollendum; quem sensum fundit phrasis *sanguines ejus erunt in ipso*, h. e. ipsi imputabuntur, et necis ejus causa erunt a judice infligendae. Concinit phrasis vers. 20. *improbitas impii super ipso erit*: vel potius sanguinum ejus effusio, seu poena capitalis ejus, erit *in ipso* non in alio, sed causam habebit in ipso. vid. vers. 17 et 18. Significat itaque Deus, patris justitiam filio non profuturam, si ab ea penitus degeneraverit, sed filium propter peccata et scelera sua esse luiturum poenam, peccatis illis denunciatam, adeoque Judaeos, qui se ob parentum scelera puniri querebantur, esse eorum reos, et propterea puniendos; quemadmodum ipsis saepe est per prophetas intimatum. Perversus enim hic filius imaginem fert generationis pravae, quae post tempora Salomonis exorta est, diu quidem a Deo propter Davidem toleratae, sed tandem severe puniendae; uti hoc tempore fieret.

§. CCCLXXIV. *Tertius* casus est impii et injusti patris filii pii et justi non morituri propter patris improbitatem, sed contra victuri vers. 14—17. Quae pericopa cum eodem ordine decurrat, et pura puta sit repetitio vers. 5—9., nos non detinebit; nisi respectu unius aut alterius phraseos, qua differt a superiore. 1. loco, *pignus ejus debiti restituit* vers. 7. hic habetur, vers. 16. *pignus non pigneratus est*; sive quid plus dicat, ne sumtum quidem ab eo pro debito pignus a paupere, sive idem denotet; non *retentum*, aut

animo

animo et effectu retinendi non sumtum, ut sit sensus dives, et *non sumere pignus* sit sumtum non retinere, sed restituere. 2. loco *ab iniquitate avertit manum suam* vers. 8. hic habetur מעני *avertit manum suam*, quae vox varie redditur, communiter per *adflictum* et *inopem*, quum *avertere manum* sumitur de manu opprimente et spoliante, ut sensus sit, *eum manum laedentem ab adflicto abstrahere*, sed contra verum phrasios sensum, et usum vers. 8. et XVI: 49. addi itaque deberet לא *non*, ut Chald. et Syr., quos Pellicanus secutus est, instituerunt, hoc sensu: *ab adflicto non avertit manum suam*, scilicet adjutricem. Sed rectius עני pro nomine substant. habetur, ut sit pro עני vel עני, et vertatur ab adflictione, *succum exprimente*, *et effundente*, quae est radicis ענה potestas, *avertit manum suam*, cui recte respondet מעול *ab iniquitate avertit manum suam* vers. 8. Quo sensu LXX hic recte verterunt, [illegible]. Ceterum declarat hoc exemplo Deus pios inter Judaeos esse poenali calamitati eripiendos, et generationem sequentem a parentum institutis pravis abstinentem esse instaurandam.

§. CCCLXXV. Subjungit Deus sententiae, modo prolatae de filio justo non morituro propter iniquitatem Patris, confirmationem ex superiorum temporum experientia, ab ipsis Judaeis agnita, qua constabat, solos peccatores, criminum capitalium reos, esse morte punitos, salvis filiis justis, quia parentis exemplum non erant imitati, sed justitiam contra sectati. Quod cum ipsi sciant, et tunc, cum casus exstitit, confessi sint, facile patebat, quam importune nunc Deo exprobarent, se propter parentum scelera puniri, cum ipsi norint et agnoverint hanc non esse, nec fuisse unquam, Dei viam cum populo; simul innuitur tempus venturum, quo idem rursus agnituri sint, improbo proverbio, *patres comederunt omphacem* etc. abolito, ut vers. 3. dictum erat. Hunc existimo sensum et verum conspectum esse pericopae vers. 18. et 19. his verbis: *pater ejus*, (filii justi alicujus, ut ex seq: patet) *quia oppressionem, rapinam fecit* [illegible]

[illegible]

[illegible] oppressionem, rapinam, fecit, [illegible] quod [illegible] justitiam [illegible] [illegible] gentilium [illegible] [illegible] facere iniquitatem pro [illegible] propter iniquitatem, [illegible] divina est, [illegible] malum fecit, [illegible] ex seq. [illegible] frequenter.

[illegible] conclusio generalis, qua [illegible] alienae justitiae, [illegible] convenienter esse a Deo trac[illegible] [illegible] quae peccaverit, illa morietur, filius [illegible] ob iniquitatem patris, nec pater feret ob iniquitatem filii [illegible] super ipsum erit, et improbitas improbi super [illegible] et ut convenienter tractabi[illegible] [illegible] morietur. Quae ex superiori-

bus,

et, vel *seu*; *quod non bonum* (pessimum) *fecit in medio populi ejus*, *et ecce mortuus est in sua iniquitate* (scilicet solus et non filius justus, ut ex seq. patet) *et dixistis* (scilicet tunc, cum illud factum est) *quare non tulit poenam filius propter iniquitatem patris* (vos ipsi rationem dedistis, quare istud non acciderit, hanc nimirum) *et*, seu quia, *filius iste* cum patre non occisus) *jus et justitiam fecit* (propter hanc rationem dixistis, filium mansisse salvum) *omnia mea statuta servavit*, *et faciet illa*, *vivendo vivet* (itaque persuasi esse debetis, filium, quem dixi victurum, omnino et certo certius illam sortem habiturum, qui omnia mea praecepta observavit, et faciet in posterum.) Interpretes vers. 11. habent pro repetitione superioris sententiae condemnatoriae in patrem improbum; et vers. 19. existimant Judaeorum objectionem in primo membro proponi, his verbis, quae interrogative capiunt, *et dicitis*, vel, ut nonnulli, *si dicatis*, *quare non fert filius iste poenam iniquitatis patris*? reliqua vero responsionem continere ad illud interrogatum. Sed 1. non habetur vers. 18. *ecce morietur*, sed *mortuus est*, argumento, non repeti superiorem sententiam, quae in fut. promunciata est, sed de praeterito agi, seu rem factam memorari. 2. *Judaei* vix introduci possunt per interrogationem dicentes, *quare non tulit filius poenam iniquitatum parentis*, illi enim hoc adfirmabant, et culpabant in Deo, uti mox vers. 25. et 29. *et dicitis*, *vias meas non esse rectas*. Debebant itaque et hic introduci dicentes, *fert filius iniquitatem patris*, quod Deus refutare deberet. Rectius ergo sine interrogatione capiuntur verba, *quare non tulit filius iniquitatem patris*, uti Exod. III: 3. et seq. *et filius judicium fecit* pro ratione habentur, quare filius, non ferat, quam ipsi illi Judaei dederunt, hac ratione: *et dixistis ipsi*, *quare filius non ferat iniquitatem* patris, *quia justus* est; hanc rationem ipsi dedistis hujus rei. *Provocat* itaque Deus ad superiora tempora, quibus ipsi agnoverunt, *filium* justum non fuisse morte adfectum cum patre injusto, ut de improbitate

sua.

sua, in proverbio contrario adhibendo, convincantur, sed simul insinuatur Judaeos idem in posterum confessuros esse, quum Deus ipso facto demonstrabit, pios eripiendos esse hoc judicio, quod ipsis imminebat, et infligeretur, sicut vers. 3. dictum erat, cessaturum illud proverbium. *Ultima* vero verba, *omnia mea statuta observavit* etc. habenda sunt pro Dei verbis, ut ex voce, *statuta mea* liquet, et statuendum est, illa a Deo subjungi ad superiorem sententiam vers. 17. confirmandam, sicut mox vers. 20. fit per generalem conclusionem; quae etiam ratio est, quare in fut. occurrat, *vivendo vivet*; uti vers. 17 Reliqua ex dictis sunt facilia, tantum not. 1. voculam אח, hic vel idem denotare, quod אך *tantum*, adeoque legendum אך vel potius אחד *unus*, *solus*, et loco esse motam, ac verbo מת praemittendam, ut sensus sit, patrem scelestum *solum* esse in iniquitate mortuum, non filium cum patre. Vocem אחד *pro solo* sumi constat. Vid. Jud. XXI: 6. et alibi. 2. ו in ואשר esse pro *aut*, ut sensus sit, quia *oppressionem*, *rapinam*, *fecit* aut *quod non bonum est*, aliud quodcunque pessimum facinus morte dignum. Haec enim est, quod 3. not., emphasis phrasios לא־טוב *non bonum*, nihil minus quam tale, sed *pessimum*. Qui satis constans est phrasios usus apud nostrum prophetam. 4. Phrasis נשא בעון non dicit, *ferre iniquitatem* pro ejus *poenam*, sed *ferre poenam in*, seu *propter*, iniquitatem, uti ב hic constanter sumitur. *Ferre* autem sensu divite est, pro *poenam*, *malum ferre*, subintellecta voce עון ex seq., uti alias *ferre peccatum* pro ejus poenam, satis frequenter.

§. CCCLXXVI. Sequitur nunc conclusio generalis, qua Deus declarat, singulos homines *suae*, non alienae *justitiae*, suis, et non alienis, peccatis convenienter esse a Deo tractandos vers. 20. *Anima, quae peccavit, illa morietur, filius non feret ob iniquitatem patris, nec pater feret ob iniquitatem filii, justitia justi super ipso erit, et improbitas improbi super ipso erit*, seu ipsi imputabitur, et ei convenienter tractabitur, *justus vivet, et improbus morietur*. Quae ex superiori-

bus, et dictis ad vers. 4., satis elucescunt, nec ulteriorem disquisitionem requirunt. Tantum verbo notetur 1. *peccare*, in phrasi, *anima quae peccavit*, emphatice esse sumendum pro *atrociter* peccare, seu quid *morte* dignum committere; penitus a norma vitae et scopo felicitatis *aberrare*; quam emphasin habet, ut notum, verbum חטא. 2. *justum* et *improbum* esse perseveranter, et obstinate talem, ut *justus* non deficiat a justitia, et *improbus* non resipiscat: uti mox a Deo ipso exponitur et deducitur.

§. CCCLXXVII. Subjungit Deus *cum* ad titulos *peccatoris* et *justi* exponendos, *tum* ad ulteriorem refutationem improbi proverbii, et populi convictionem, si peccat, propria culpa perire, quod resipiscere nolit, *improbum* resipiscentem non moriturum, sed victurum, *justum* deficientem non victurum, sed moriturum non *semel*, sed *bis*, propositum ad majorem persuasionem; vers. 21—29. Cujus pericopae *scopus* est, quem dixi, *partim* clarius exponere sensum superiorum thesium *justum* victurum et *improbum* moriturum, per utrumque esse intelligendum, qui *perseverāt* in eo instituto, ne putarent, *peccatori* esse desperandum, et *justum* securum esse posse quacunque ratione deinceps vixerit, *partim* impium dictum, *filium puniri*, etiam justum, ob *peccata parentis*, ulterius refutare, cum tantum absit, ut hoc verum foret, ut ipse *improbus* parens *victurus* sit, si resipiscat, *partim* denique Judaeis *viam* monstrare ad suam et reip. salutem, ac judicium destructionis, ipsis imminens, avertendum; in *conversione* eorum sitam, ad quam etiam deinceps directe adhortatur populum vers. 30.— Continet vero pericopa, ut facile patet, *seriam* et solennem declarationem Dei, *peccatorem* se convertentem esse victurum, et *justum* deficientem esse moriturum, *illum*, non obstantibus peccatis, quae fecit, *hunc* non obstante *justitia*, quam exercuerat. Quae declaratio non *semel*, sed *bis*, ad majorem confirmationem, facta est, seu *facta* vers. 21—26. *repetitur* vers. 27—29. Utrique *parti* subjungitur justificatio viarum Dei, opposita

crimi-

criminationi Judaeorum, et *viarum* populi condemnatio verf. 25, 29. *Prior* tantum pars hoc habet peculiare, quod Deus ad ulteriorem fui juftificationem, et populi inftructionem confolatoriam inferuerit folennem teftificationem, fe *morte peccatoris non delectari*, adeoque eum fe convertentem, non moriturum effe verf. 23. Qui verfus noftram tantum requirit operam; reliqui enim omnes funt intellectu faciles, nec moram injiciunt.

§. CCCLXXVIII. Verba ita fonant verf. 23. *An delectando delectarer morte improbi? dictum Domini Jehovae; an non?* vel *profecto non*, five *nonne* delector in eo, quod *cum convertit fe* et vel etiam, vivat? Confirmat Deus, quod modo de peccatore fe convertente dixerat, eum victurum effe, ex eo, quod non delectat ipfum mors peccatoris, fed ejus converfio et vita. Quem fenfum confirmat locus parallelus c. XXXIII. 11. Non itaque declarat, fimpliciter eum effe *victurum*, quod modo fecerat; fed fibi illud longe acceptius effe *morte* peccatoris, adeoque confirmat fuperiorem declarationem, fuam delectationem in eo, et non in morte peccatoris teftificando. Tantum orationis ftructura in hunc fenfum haud uno modo flecti poteft, vocula הלוא enim vel ad fuperiora vel fequentia referri poteft, fi *prius* fiat, fenfus erit, five reddatur *an non?* five *profecto non*, quod quoad fenfum perinde eft, Deum in *morte peccatoris* non delectari, adeoque expreffe negat, quod tecte per interrogationem praecedentem fecerat. Nec infolens eft, negationem ejusmodi interrogationi fubjicere, fed cum fequente etiam conftrui poteft, five בשוב vertatur *cum fe converterit*, uti in feq. fit, five, *in convertere fe*, vel in eo, quod convertat fe et vivat, *priore* ratione delectatio Dei in eo erit fita, quod *vivat*; pofteriore in converfione aeque ac vita ejus; repeti itaque ex praeced. debet verbum delectari et interrogatio fortiter adfirmabit, quod loco parallelo eft conjunctius. Quacunque ratione fumatur, fententia erit, Deo non mortem peccatoris, fed ejus converfionem et vitam effe gratiorem,

adeoque

adeoque peccatori non esse desperandum, ac si omnis spes remissionis ac vitae decolasset, et Deus *peccatorem* sine ulla gratia vellet occisum, sed eum se convertere debere, et de gratia Dei certum esse posse, non itaque Deum nolle mortem peccatoris, qua talis in peccato perseverantis, quod longe secus est, et virtutibus Dei contrarium; sed velle ejus vitam per conversionem, imo etiam ipsam malle conversionem quam obstinationem in peccatis, et irresipiscentiam, seu Deo gratius esse, ut resipiscat et vivat, quam ut in peccatis maneat, et moriatur.

§. CCCLXXIX. Hic licet sit sensus *directus* et proximus, qui de *decreto* Dei, quo quid futurum est definitur, aut *gratia* convertente, qua ipse resipiscentiam in peccatore operatur, nihil definit; *indirecte* tamen, et per legitimam consequentiam, verba se latius extendunt, et gravissimas continent veritates, quarum aliquas tantum proferam. 1. *Prima* est, Deum peccatorum mortem et *irresipiscentiam* absoluto decreto, ex solo beneplacito Dei orto, non definivisse: quippe quod huic solenni declarationi adversaretur, cum inde sequeretur, Deum omnino *velle* mortem peccatoris, et *nolle* ejus conversionem. 2. *Secunda* est, *mortem* peccatoris non ex Dei beneplacito et libera voluntate fluere, sed ex *virtutibus* Dei, quae eam exigunt, adeoque esse quid, quod Deus tanquam sapiens, justus et aequus, judex mundi infligit, nec prius, quam desperata est resipiscentia, nec majore gradu, quam virtutes illae Dei necessario postulant. Quod a nobis determinari nequit, sed Deo relinquendum est. Mortem enim peccatoris, qua talem, non vult, nec in ea sibi complacet; adeoque propter quid aliud vult, et per virtutes ac relationes suas compulsus. 3. *Tertia* est, quam Paulus 1 Tim. II: 4 et Petrus 2 ep. III: 9. expressérunt, *Deum velle omnes homines servari, et ad agnitionem veritatis venire, neminem perire.* Quae quousque se porrigat, sententia, hic locus non est inquirendi, fufficit notasse eam ex eo manifeste sequi, quod *nolit mortem peccatoris*, sed malit,

malit *ejus conversionem et vitam.* Quod si verum, oportet nemo hominum sit in physica impossibilitate salutis constitutus, sed omnes habeant sufficientia media, vel remote vel proxime, ad *conversionem* et *vitam.* Qui enim vult *finem* vult *media.* De quo alias solet disputari.

§. CCCLXXX. Praeter hunc versum nihil occurrit, quod nostram postulat curam, modo illud unum notetur, quod in utraque parte de *justo* ad injustitiam redeunte habetur, vers. 24, 26., illud male trahi ad disputationem de *perseverantia sanctorum*, cum *justus* hic non sit euangelice, sed legaliter *justus*, uti supra vidimus, qualem posse, et subinde deficere, nemo negare potest. Quod si ad *euangelice justum* adplicandum sit, pro hypothetica locutione capi poterit, eoque tantum spectare censeri, ut *justus* iste in timore et tremore ambulet, et salutem suam operetur, cum possibilis per se sit defectio, et perseverantia sit per media, ab ipso adhibenda, efficienda. Praeterea *justum* deficientem non esse qualemcunque peccatorem, sed apostatam a lege et foedere Dei, qui impius sit impoenitens; ut ex ipso textu patet.

§. CCCLXXXI. Finitur denique haec refutatio pathetica adhortatione ad resipiscentiam, ex superiore declaratione, cuique secundum opera esse rependendum, educta vers. 30—32. Ad quam pericopam, facilem quippe intellectu, haec duo tantum habeo notanda. 1. ultimum membrum vers. 30. non esse tam dehortatorie, *ne sit* etc. quam declarative, *non erit* etc. vertendum, et continere promissum, de *iniquitate* patrata non nocitura peccatori converso, seu domui Israelis resipiscenti; Verba sunt, *et non erit vobis in scandalum*, seu causam lapsus et ruinae *iniquitas*, h. e. non imputabitur vobis praeterita perversitas et injustitia, in reatum mortis, ut ejus causa in exitium praecipitetur, quod hic est מכשׁול. 2. *Cor novum* et *spiritus novus*, ita distingui possunt, ut per *cor* intelligatur intellectus et judicium, per *spiritum* voluntatis adfectiones et actiones, quae alias *animae*

nomine veniunt, uti Deut. VI. *spiritus* vero pro *adfectione* animi satis usitatus est. Vult itaque Deus, ut sanius de viis Dei et suis cogitent et judicent, quod est *cor novum* facere, quo totum hoc caput collineavit, praeterea alias et meliores induant erga Deum, et legem suaque officia, adfectiones, quod *spiritum novum* facere significat. Qua ratione autem illud ipsis imperetur, vel suadeatur, cum sit a Deo, Interpretes satis exposuerunt, nec difficile est, ex harmonia Script. S.

CAP. XIX.

§. CCCLXXXII Improbi dicti proverbialis, *patres comedisse omphaces*, et *filiorum* dentes obtusos factos fecisse, refutatione peracta, adeoque Judaeis de perversitate sua, tanquam causa ruinae reip., convictis, propheta jubetur domus regiae Davidicae, in qua spem suam habebant repositam, excidium, ex parte jam factum, ex parte faciendum propediem, ob oculos ponere, per modum carminis lugubris, ejusmodi in casibus cani soliti, cum ut Deum populi excidio non delectari, ut cap. praecedente evictum erat, potius misereri, indicetur, tum in signum ejusmodi cantici, a populo accinendi, tempore excidii istius domus, uti vers. 14. fin. habetur, *lamentum hoc, et erit in lamentum*. Est autem *lamentum* duplex, *prius* super regum domus Davidicae excidio jam exstante, in certum praeludium totalis ruinae istius domus, *posterius* super excidio plenario instante; *prius* sub emblemate *leonum* a gentibus captorum, absque ut spem populi impleverint, *posterius* sub imagine *vitis* excelsae, firmae et florentissimae, ignita tempestate adustae et arefactae. *Prius* occurrit vers. 1—9. *posterius* vers. 10—14. Utrumque pertinet ad *principes Israelis* eorumque ruinam, ut inscriptio habet, et ipsum argumentum docet; adeoque intra *domus*

domus Davidicae limites ejus interpretatio contineri debet, sed quae hic tanquam unicum reip. columen consideranda est, cui spes populi erat innixa, quippe qua salva, salva erat resp., quaeque censebatur in aeternum, secundum promissa Dei, et populi opiniones, duratura.

§. CCCLXXXIII. In *priore* emblemate a. tribus Juda, unde et in cujus medio erat domus Davidica, repraesentatur tanquam *leaena* inter leones recubans, et *catulos suos* in medio leonum juvenum educans; ad indicandum ejus majestatem, et fortissimum dominium, vicinis populis metuendum, vers. 2. Quid *mater tua leaena inter leones recubuit, in medio leonum juvenum educavit catulos suos?* h. e. tribus tua o reges et proceres Judae, generosae domus Davidicae prosapia *tribus*, inquam, tua, quae magnificis viris et fortibus cincta tam fuit illustris et potens, omnibus populis metuenda suosque regiae majestatis alumnos, inter fortissimos suos juvenes, in spem potentissimi regni educavit antea, et firmavit, quid, qualisve nunc est? quam contemta et infirma? quidve nunc aget ad statum suum firmandum? Hunc existimo esse sensum, et scopum verborum, quem vocum structura, sequentia, et comparatio cum altero emblemate vers. 10. clare exhibent. 1. Vocum structura exigit, ut vocula מה *quid?* omnibus sequentibus vocibus subjungatur, cum illae manifeste cohaereant, et uno tenore decurrant, hac ratione: *mater tua leaena, quae cubuit inter leones, in medio leunculorum educavit catulos suos, quid?* scilicet nunc est, et aget? quantum mutata ab illa, quae olim erat; quam antea majestuosa, libera, metuenda, quam nunc contemta et inbecillis? Qui satis notus est particulae מה usus, quo factum inficiatur, vel imminuit, etiam desperatum esse indicat. vid. tantum Ps. VIII: 5. Ez. XV: 2. Job. IX: 2. XIX: 28. 1 Sam. X: 27. 2. Sequentia clare docent, quam infirma sit haec leaena hoc tempore, cum duo *leonum* ejus exempla contineant, ab hominibus subjugatorum, ut mox patebit. 3. Alterum emblema *vitis* comparationem quoque

 pristi-

pristini status florentis et praesentis miseri repraesentat: ut in seq. videbimus. Respicitur itaque his verbis ad statum tribus Judae praeteritum, liberum, gloriosum et potentem, quo instar *leaenae* erat, in medio leonum, et *catulos* suos educabat inter *leunculos*, ac firmos et potentes reddebat, et tales etiam experta est, quemadmodum in primis a temporibus *Davidis* ad *Josiam* inclusum usque. Ex quo simul patet, emblema hoc non in malum, sed bonum ad magnanimitatem, majestatem et potentiam tribus Judae, et domus Davidicae, significandam, hic esse sumendum, quemadmodum Gen. XLIX: 9. quo hic videtur respici. De quo ad illum locum plura dixi, huc pertinentia: quare paucis hic absolvam. *Leaena* emblematice est ipsa *tribus* Juda, Hierosolymis, tanquam in *lustro*, seu metropoli, *recubans*, quatenus libere, secure, majestuose, et potenter agat, et vicinis sit metuenda: quod est *recubare* instar leonis, Gen. XLIX. ubi vid. dicta; *mater*, quae origo et tutatrix, *domus* regiae Davidis; solet enim populus cum *foemina*, ut notum comparari; *Leones*, inter quos recubare dicitur, sunt vel reliquae tribus Israeliticae, in quarum medio recubat, vel viri principes et fortes, qua politici, qua Ecclesiastici, vel in genere statum securum et firmum denotant: utique de populis vicinis hic non est cogitandum, ut solet, quia illi hic alio nomine veniunt, quo *gentes* adpellantur. *Catuli* ejus sunt regiae stirpis Davidicae alumni, et progenies; reges et principes domus Davidicae, qui ab illa *matre* prognati *educantur* in spem regni, et promoventur ac firmantur, *leones*, seu reges majestuosi, et fortes futuri. *Leones*, inter quos educantur, sunt quivis alii principes *juvenes*.

§ CCCLXXXIV. *β.* Proferuntur nunc mox specimina imbecillitatis hujus leaenae, longe diversa a superiorum temporum, ad interrogationem praecedentem explicandam et demonstrandam, desumta a duobus vel tribus regibus, in spem leonum fortium, et domitorum populorum vicinorum, educatis, sed misere captis et tractatis; manifesto indicio, quan-

quantopere degeneraverit leaena, et in quam vili ac misero nunc sit statu; quidve exspectandum habeat propediem in posterum. *a. Primum* specimen, quod producitur, praebet filius Josiae *Joachas*, in locum patris occisi in praelio cum rege AEgypti, postquam instar *leonis* regnum egregie tuitus erat, evectus, ea spe, ut sese talem etiam praestaret *leonem*, sed qui brevi a rege AEgypti *captus*, et in AEgyptum abductus est, vers. 3, 4. his verbis; *Et*, vel *etenim*, *evexit unum e catulis suis*, *leo factus est*, *et instigatus est ad capiendam praedam*, *hominem devoravit*, *et audiverunt de ipso gentes*, *in fovea eorum captus est*, *abduxeruntque ipsum hamis in terram AEgypti*. h. e. Me ex vero dixisse, tribum Judam, fortissimam illam leaenam, ab antiqua virtute et fortitudine plane degenerasse, et in vili ac debili statu versari, secus ac antea, exempla clare demonstrant, *etenim* (hanc enim significationem hic habet ו in ותעל,) provexit modo unum e filiis, catulis suis, in *regem*, ea spe, ut praedam ageret, et *homines* devoraret, seu populos vicinos domaret, spoliaret; sed mox cum illud ageret, a gentibus, illo audito, invasus, captus, et in AEgyptum abductus est in exilium. Ex qua paraphrasi sicut de nexu et scopo, ita et sensu verborum clare satis constat; ita ut parum supersit observandum. Significatur, *Joachasum* filium Josiae, de quo hic agi omnes consentiunt, et ex *abductione* in AEgyptum manifestum est, 1. fuisse ab *ipso populo* regem factum, quod clarum est ex eo, quod mater, *leaena*, ipsum *evexerit* et *leo* sit factus: 2. *unum* quidem fuisse e *catulis*, seu stirpe regia filium Josuae, sed non *primogenitum*, uti liquet, *cum* quod *unctus* legatur 2 Reg. XXIII. quod in primogenito locum non habuit, *tum* quod 23 annos natus fuerit, cum frater ejus Jojakim post tres menses rex factus habuerit 25 annos. Videtur autem praelatus a populo propter animositatem et virtutem bellicam prae reliquis fratribus, adeoque quia aptior videbatur regnum tueri contra AEgytios, qui Josiam profligaverant; uti Pra-

do non male obfervavit; quo verba verf. 3. quoque ducere videntur. 3. Eum in throno collocatum, et *regem* factum, ut videbatur, *ftrenuum*, quare *leo* dicitur factus, magnam prae fe tuliffe fpem regni contra vicinos et hoftes tutandi, cum ad *praedam agendam fuerit inftigatus* et *adfuefactus*, et *homines devoraverit*; feu hoftes inceperit cum fucceffu adgredi, quod indicatur, cum dicitur, *hominem devoravit*, *partim* in fpe populi, ut verf. 5. innuitur, de quo mox, *partim* graffationis initium faciendo, ut *devoravit* fit, devorare incepit: quo nihil eft tritius. Interpretes folent hoc de ipfius populi Judaei vexatione, et oppreffione, ab *ipfo* facta, interpretari; quod quis merito miretur, cum nihil fit a verbis et fcopo alienius. α. quia populus Judaeus cum *leaena* comparatur, et hic leo *homines* dicatur devorare, non ergo ipfum populum Judaeum. β. quia, ipfa capta, populus legitur *fpe fua* excidiffe verf. 5., fcilicet quam de ipfo, tanquam leone *devoratore hominum* conceperat; manifefto indicio refpici ad populos hoftiles ab ipfo fubigendos, et remp. vindicandam ab oppreffionibus eorum. γ. Per leonis molimina gentes excitatae dicuntur contra ipfum, ad ipfum capiendum verf. 4. ubi gentes, *hoc* de ipfo *audito* in ipfum furrexiffe traduntur. Quo clare indicatur, ipfum non fuum populum, fed alios effe adgreffum, cum *prius* gentes non incitaffet ad eum capiendum; fed quidem pofterius. δ. accedit, facinora fequentis *leonis*, in ipfius locum evecti, manifefte ad populos vicinos refpicere, verf. 7 ut mox patebit. Quo fenfu admiffo, *ratio*, quam hiftoria filet, fefe offert, quare rex AEgypti hunc regem throno deturbaverit, et in AEgyptum abduxerit, non tam quod *jure* non effet electus, quam irrequieti effet et audacis animi, ac vicinos vexaret, et ab AEgyptiis, qui patrem occiderant, videretur vindictam fumturus. Reliqua, quae fortem regis declarant, funt facilia, et ex hiftoria nota.

§. CCCLXXXV. *b. Secundum* fpecimen praebet fucceffor ejus Jojakimus, una cum filio Jechonia, qui poftquam eadem

dem

dem latrocinia instituerat, eandem sortem expertus est a vicinis populis et Babyloniis, vers. 5—9. Interpretes secum dissident circa Jojakimum praecipue et Jechoniam, sed nos utrumque conjungimus, cum Jojakimus praetermitti nequeat, et in ipsum facinora, hic memorata, rectius quadrent, populorum in circuitu impetus in eum, expresse memoratus, ei etiam rectius conveniat; *Jechonias* vero excludi non possit, cum *abductio* Babelem ei rectius adtribuatur; quae omnia mox fient manifesta. *Patrem* autem et *filium* sub emblemate *unius* leonis conjungi, nihil habet, quod offendat, minus, quod *filius tres* tantum menses post patrem regnaverit, et eandem sortem subierit. Hac jacta hypothesi, pericopam secundum eam explicemus. Occurrit *a.* regis novi ejusdem stirpis constitutio a leaena, in *leonem*, postquam viderat se spe sua in priore excidisse, vers. 5. *Et vidit, quod obhaereret, quasi in luto, periisset exspectatio ejus, et accepisset unum e catulis suis, leonem constituit ipsum.* h. e. cum, Joachaso capto et abducto, viderat populus Judaeus, sese spe sua, de Joachaso concepta, delusa, in luto obhaerere, et ad incitas redactum esse, attamen unum ejusdem stirpis regiae sibi concessum et datum accepisse in regem, animis resumtis eum sibi constituit, et excitavit regem *leonem*, qui sui juris sit, et idem institutum, quod decessor inceperat, ageret, remp. tuendo, et vicinos populos domando. Quae paraphrasis, ut in lucem prodeat, observandum est, *duo* de leaena adfirmari, quorum *prius* ad *statum* pertinet, in quo erat, priore leone abducto; *posterius* exponit, quid ipsa egerit. *Prius* illud *duo* continet, ad statum populi Judaei depingendum spectantia, *alterum* est eum spe sua excidisse et desperatum fuisse, *alterum*, eum novum regem sibi datum *accepisse*, et aliquid spei animo concepisse: *prius* his verbis profertur, *et vidit quod in luto obhaereret, spes sua periisset* h. e. advertit populus se spe sua de Joachazo delusa, ad incitas fuisse redactum, et fere desperabundum: respicitur manifeste

feste ad Joachasum abductum et in opere suscepto impeditum, quocum *spes* populi de rep. firmanda et ditanda fuit prostituta, *tum* populus fere animis despondere coepit de rep., quod *posterius* indicatur verbo נוחלה quod est Niph. rad. יחל, cujus proprietas est in *volvendo*, in specie in *luto*, unde in luto haerere et luctari dicit, et ita in statu, quo exitum non reperiat: ut exposui ad c. XIII: 6. Ex quo simul patet, populum eo scopo Joachasum fecisse regem, ut reip. libertatem et prosperitatem defenderet et augeret, ut modo observavi. *Posterius*, ad statum ejus pertinens, cujus memini, his verbis continetur, *et accepisset unum e catulis suis*, scilicet, *et vidit*, quod acceperit, pendet enim etiam illud a verbo ותרא *et vidit quod*; adeoque denotat, populum advertisse, se novum regem esse *consecutum*, unum e stirpe quoque eadem regia. Graeca quidem versio *alium* habet, adeoque אחר legit, quod ferri potest, sed non est necessarium cum ad vers. 3. *tum* respiciatur, ubi eadem occurrit phrasis. Discrimen vero phrasios notetur in *superiore* et *hoc* rege; de illo dictum erat, quod ipsa *leaena* eum *evexerat*, sed de *hoc* tantum, quod *acceperit*; quo clare indicatur, hunc regem non a leaena esse *evectum*, sed aliunde sibi datum recepisse. Quod exacte quadrat in *Jojakimum*, a rege AEgypti populo datum, ut ex historia constat; simul difficultatem tollit, a nonnullis contra Jojakimum hic intelligendum motam, quod non ipse populus, sed rex AEgypti, eum fecerit regem; illud ipsum enim est, quod hic habetur, et nos ad Jojakimum ducit. Sequitur nunc quid ipse populus eo in statu fecerit, quod *posterius* est, hic expressum, cum additur, *leonem ipsum constituit*, scilicet ipsum illum, quem in statu desperabundo *acceperat* sibi datum regem, de illo fecit ipse populus *leonem*, cum jam rex factus erat. Antea de Joachaso dictum erat, leaenam *ipsum evexisse*, *et factum esse leonem*; hic habetur de Jojakimo eum a populo *acceptum*, et tunc *constitutum leonem*. Quo haud obscure significatur, populum eum, jam regem factum, eo

adduxisse

adduxisse, ut sese gereret liberum et strenuum regem, reip. liberae vindicem et promotorem, vicinos populos reprimendo, et subigendo. Quod factum est, cum a rege AEgypti primum defecit, dein a rege Babylonio, una et altera vice, et sui juris esse coepit, sesque *leonem* proprie gessit.

§. CCCLXXXVI. β. Sequitur mox narratio facinorum ejus, qua *leonis* seu regis liberi et bellicosi, vers. 6, 7. *Et grassatus est in medio leonum, leo factus est, et instigatus ad rapiendam rapinam, hominem devoravit, et arces ejus perdidit, et urbes eorum evacuavit, et adtonita stetit terra et plenitudo ejus prae voce rugitus ejus.* Quae eodem modo, quo superiora vers. 3., capienda sunt de voto populi et initiis adgressionis, adeoque relate ad vicinos populos hostiles, non ipsos Judaeos, cujus manifestum est indicium quoque in vers. 7., qui ad Judaeos nullo modo adplicari potest, cum nec *urbes* eorum dici queat destruere, nec *terra*, *ejusque plenitudo*, adtonita facta Judaeae conveniat, phrasis est generalior, quam ut ad Judaeam restringi queat. Nihil hic nobis relictum est observandum, nisi quoad *primum* et *secundum* membrum vers. 7. Verbum enim vers. 6. יתהלך non *ambulare*, sed *grassari*, latrocinia exercere, denotare, alibi saepe observatum est, uti ad Ps. XII: 9. Zach. VI: 7. *Primum* membrum *duplicem* continet difficultatem, *alteram* in verbo ידע, *alteram* in voce אלמנות, sed *posterior* jam est expedita a nonnullis, qui non *viduas*, quibus hic locus esse nequit, ut facile cernitur, sed *arces* esse intelligendas, ex confusione cum voce ארמנות viderunt, quae eo facilior est, quod observo, quod radices ארם et אלם ejusdem sint originis et potestatis originalis, in *forti et stricta ligatura* sitae, notio unde arcis et palatii, seu aedificii firmioris, et compactioris structurae fluxit, quae et ארמון et אלמן adpellatur. Sed quid est ידע? si haec lectio retinenda sit, usus verbi ידע *judicialis*, seu hostilis, adoptandus est, quo visitationem et cognitionem judicis vel hostis, ad puniendum

dum vel perdendum denotat. De quo vid. Schult. ad Job. XXI: 19. et Dieu ad Jud. VIII., sed cum ידע in Kal eo sensu sumatur pro *poenas luere*, seu experiri judicem vel hostem, rectius punctaretur in Hiph. *experiri facere*, *punire*, *perdere*; licet etiam *cognoscere* adhiberi posset, ut *cognoscere mulierem*, pro concumbere cum ea, sic judex vel hostis dici posset *cognoscere* aliquem, pro punire, perdere: sed Chald. et LXX. videntur legisse ירע cum ר; quod praefert Bochart. H. p. I. l. III. c. 4. non incommode, modo propria verbi potestas in *quassando*, et omni vigore et copia privando, adtendatur, sensusque statuatur, palatia et arces fuisse incolis et opibus privatas; alias enim a *leonis* emblemate paullulum discederetur, cujus non est *palatia* frangere proprie, sed *homines*, quorum respectu itaque *quassatae* intelligi deberent *arces*; sicut mox de *urbibus* dicitur, eas esse *vastatas* ab hoc leone, h. e. vacuas et desertas redditas, hominibus occisis; quem usum haud infrequentem habet verbum ישׁם, de locis, incolis destitutis, et infrequentibus, usurpari solitum: uti Cl. Rhenferd. notavit oper. p. 632. Ceterum talia fuisse molitum Jojakimum, et adgressum, licet historia non tradat, ex re ipsa tamen facile colligitur, indeque confirmatur, quod *turmae* populorum vicinorum ipsum invaserint 2 Reg. XXIV., non facturae, nisi se talem erga vicinos populos gessisset.

§. CCCLXXXVII. γ. Sortem infelicem hujus leonis sequentia verba tradunt vers. 8, 9. *Et tetenderunt*, vel *ediderunt* vocem, *contra ipsum gentes in circuitu e provinciis*, *et rete circa ipsum expanderunt*, *in fovea ipsorum prehensus est*, *et posuerunt ipsum in cavea hamis attractum*, *et abduxerunt ipsum ad regem Babelis*, *abduxerunt ipsum in munitiones*, *ne audiatur amplius vox rugitus ejus super montibus Israëlis*. Quae sicut continuam habent adlusionem ad leonem, vel reti, vel foveae capi solitum, et uncinis tractum in caveam, ibique adservari solitum, ne amplius rugitus ejus terreat, ita denotant, regem Jojakimum a turmis gentium vicinarum

[illegible] esse invasum, captum, et regi *Babelis* sive occidendum, sive arcte custodiendum traditum, quod utrumque contigit Jojakimo, prius ipsi, posterius *in filio* Johojachino, cujus utriusque sors hic, ut supra dixi, conjungitur, quo referri potest verbi *abduxerunt* repetitio. Jojakimo proprie conveniunt, quae de gentibus in circuitu, ipsum invadentibus et capientibus, ac ad regem Babelis abducentibus vinctum, habentur, ut ex 2 Reg. XXIV. manifestum est, sed *abductio* in munitiones soli Jechoniae competit, Babelem abducto, et carceri incluso, uti constat. Ceterum emblema cum a Boch. l. c. satis illustratum sit; verbo tantum observabo verbum, ויתנו *et dederunt* vers. 8. duplice ratione expediri posse, *altera* intellecta, et ex praeced. repetita, voce קול, ut sit, *dederunt vocem* contra ipsum, uti solet in leone in rete compellendo, fieri, de quo vid. *Boch.* l. c., *altera*, ex originali verbi נתן potestate, in *tendendo*, unde *contendere* et omnibus viribus agere. Vid. Schult. ad Prov. XXI: 26., ut sit, *tetenderunt contra ipsum* etc., seu omnibus viribus adgressi sunt.

§. CCCLXXXVIII. *Alterum* emblema vitis succulentae, excelsae, frondosae et ramiferae, vento urente adustae et arefactae, latius sese extendit, quam *prius*, nec quid factum jam esset, sed propediem fieret, ob oculos ponit, totale scilicet excidium domus regiae, cum populi Judaei desolatione, in praeterito propositum, quia conspectum *lamenti* habet, cujus usus postea foret, destructione jam facta, ut ex clausula liquet, *lamentum hoc*, *et*, seu *quod erit in lamentum*, quo clare significatur, lamentum hoc postea locum habiturum inter superstites Judaeos. Repraesentat itaque non unius aut alterius regis Davidicae domus interitum, ut praecedens emblema, sed totius regiae domus, respectu dominatus et regni; quemadmodum in Tsedekia contigit. Respicitur vero in hoc emblemate ad Gen. XLIX: 11, 12. Ez. XV. et XVII. ne alia loca, quibus populus Judaeus hoc emblemate expingitur, commemorem. Occurrit vero hic ut supra,

-a. descriptio status florentis et excellentis tribus Judae in domo regia Davidica, in quo antea fuit vers. 10, 11. *Mater tua sicut vitis in sanguine tuo juxta aquas plantata, fructifera ramosa fuit prae aquis multis, et fuerunt ipsi virgae roboris excellentis, ad sceptra dominantium, et sublimata est altitudo ejus*, . (cujusque virgae) *summum inter ramos, et splendida emicuit in sublimitate sua, in spissitate palmitum ejus*. Quorum sensus est, tribum Judae fuisse vi regii sanguinis per singularem Dei benedictionem antea florentissimam et excellentissimam, ac reges inter principes plures produxisse fortes, gloriosos, et multos, adeoque instar *vitis*, ad aquas plantatae, et sublimes ramos ac palmites producentis, maximeque fructuosae et illustris. Sermo dirigitur ad domum regiam, ut antea, et *tribus* Judae adpellatur *ejus mater*, uti supra habuimus; comparatur vero cum vite in *sanguine ejus* scilicet *domus regiae*, quatenus ejus succo plena erat et gravida, adeoque stirpem regiam in se habebat, quae in ramos excellentes excrevit. Adluditur ad *succum* vitis, qui *sanguis* adpellatur, ob colorem et vim vitalem, uti Gen. XLIX: 11. ubi vid. dicta, et significatur, tribum Judae in se habuisse semen regium, ejusque virtute fuisse splendidam factam, et populo, instar *vitis*, utilem ac desideratam. Interpretes passim, paucis exceptis, qui verum viderunt, in voce *sanguinis* valde laborarunt, et varie instituerunt; quibus non licet immorari. Addo tantum, si nostra interpretatio adsensum non inpetret, vel cum Chaldaeo leg. נדמה *adsimilata est sicut vitis*, seu *viti*. vel potius, cum phrasis sit paulo insolentior, et verbum נדמה superfluum, ברמך *vineae tuae* legatur, ut sensus sit, tribum Judae, matrem domus regiae Davidicae, esse *vitem* in *vinea*, seu reliquarum tribuum societate, eminentem. Inter varias lectiones Kennicotii quoque occurrere deinceps vidi. Haec *vitis*, eo succo plena, *plantata* est ad *aquas multas*, cum in regiam tribum est evecta in terra Cananaea Hierosolymis, ac benedictione divina est irrigata, cujus virtute *fructuosa* facta est, et *ramosa*,

mosa, populo praebuit summam felicitatem, et in magnam multitudinem excrevit. *Virgae* vero *roboris et excellentiae*, quam utramque significationem habet vox עֹז, quas produxit, sunt reges domus Davidicae potentes, illustres et gloriosi, quare additur, explicationis ergo, *in sceptra dominantium*. Additur, virgas illas factas esse sublimes valde inter reliquos principes tribus Judae, et splendidas ac late diffusas in propaginibus suis. Quod ad regiam domum facile potest adplicari. Pertinent itaque verba, *et sublimis est facta altitudo ejus summa inter ramos et splendide emicuit in sublimitate sua*, *in spissitate palmitum suorum* ad *virgas*, modo memoratas, et non ad *vitem*; quod genus masc. quoque requirit, quo hic utitur propheta; in sing. vero occurrit, ut de unoquoque, vel omnibus virgis cogitaremus. Vocula vero עַל hic *summum* denotat, et sensus est, sublimitatem virgarum seu regum, fuisse summam inter reliquos *principes*, *ramos* dictos. Hac ratione si emblematica descriptio capiatur, cuncta sunt facilia, et in domo D.vidica praecedentium temporum veritatem nacta: uti constat.

§. CCCLXXXIX. *β*. In miserae sortis hujus vitis descriptione emblematica *a*. totalis ejus destructio repraesentatur vers. 12. *Et evulsa est*, *aestuatione in terram projecta*, *et ventus Orientalis arefecit fructum ejus*, *effractae sunt et exaruerunt virgae roboris ejus*, *ignis consumsit eas* h. e. postquam regia domus hujus tribus esset penitus destructa in ultimo ejus rege per violentos et potentes hostes, ipsa tribus est loco suo mota, et in pudendum ac abjectum statum redacta. Est aliquod ὕστερον πρότερον in verbis. cum primum membrum, *evulsa est*, *vitis projecta in terram*. sit reliquis posterius, quo etiam fut. cum ו relativo in ותוש respicit, signum consequentis arefactionis fructus et virgarum vitis. Ante enim vitis vento urente fuit adusta in fructibus, et virgis suis, quam evulsa est et projecta in terram. Arefactio et virgarum confractio per ventum urentem, qui hic et alibi adpellatur *orientalis*, et propterea *ignis* fit mentio,

 depingit

depingit roboris, et dignitatis, tribus, simul regiae domus totale excidium per Babylonios, praecipue in ultimo rege Tsedekia, quare in sing. memoratur *virga* roboris igne consumta. Quo facto, mox secuta est ipsius *vitis* seu populi Judaei eradicatio, et e loco suo ablatio, ac prostitutio, in quibus nihil est difficile.

§. CCCXC. *b*. Sequitur transplantatio vitis eradicatae, et arefactae in fructibus et virgis suis, in terram peregrinam, siccam et aridam vers. 13. *Et tunc plantata est in deserto, in terra arida, et siticulosa.* Quibus verbis status populi Judaei in exilio describitur, post ejus destructionem totalem, modo memoratam; qualis erat, eo tempore, quo hoc lamentum a populo adhiberetur; quo respicit particula *nunc*. Ex quo manifestum est, terram exilii intelligi, respectu populi exulis desertam, et aridam ac siticulosam terram, qua non florere possit, sed magis perire debeat, sicut et periit generatio illa prava, quae hoc tempore in Judaea erat, reliquis quidem salvis, sed servis et vilibus ac contemtis. Denique *c*. subjungitur proxima origo destructionis, et ejus consequens respectu domus regiae vers. 14. *Et emicuit ignis e virga ramorum ejus, qui fructum ejus consumsit, nec exstitit in ea virga roboris excellentis, sceptrum ad dominandum.* h. e. Quod de igne, et vento urente et virgarum absumtione modo dixi, illud sciendum est fuisse ex ipso rege et principibus ortum, et effectum habere durabile ac perpetuum respectu domus regiae; etenim destructionis ansam praebuit ipse rex cum principibus, qui iram Dei et Chaldaeorum provocavit per rebellionem et perfidiam, vid. c. XVII: 15 — et destructio regiae domus erit perpetua, cum nulla inde oritura sit virga robusta et excellens, quae dominium supremum exerceat, ac liberum. Pertinent itaque verba ad superiora illustranda, respectu *originis* et *consequentis* excidii. *Origo* repetitur ab ipso rege et principibus, rebellantibus, quo respiciunt voces, *ignis emicuit e virga ramorum ejus*, qui *fructum consumsit*. h. e. causa et ansa con-

consumtionis orta est a rege ipso, et principibus, *rex* enim est *virga*, et principes sunt *rami*, ut modo vidimus: *ignis* est ventus urens et ignis modo memoratus, seu ira Dei et regis Babelis. *Consequens* est perpetuum domus regiae excidium, quo tendunt verba, *nec exstitit in ea virga roboris excellentis ad dominandum*; nullus rex liber, potens, et dominans e domo regia. Quod ex superioribus satis clarum est. Sunt, qui referunt verba, ad reliquiarum in Cananaea excidium per Ismaelem, Gedoliae occisorem, ex regio sanguine; sed 1. ignis idem intelligitur, qui supra, quo *fructus* vitis est absumtus; adeoque *origo* ejus hic tantum panditur, 2. *Virga* ramorum est non aliquis e regio sanguine, sed ipse *rex*, in hac pericopa.

CAP. XX.

§. CCCXCI. **D**ecima tertia revelatio facta est anno septimo, mense quinto, die decimo, deportationis Jechoniae, et regni Zedekiae, adeoque cum instabat obsidio Hierosolymae, et annus Sabbaticus, uti observavit Cl. Vignolius Chron. S. p. I. p. 782., quo hic haud obscure respici ex seq. patebit, occasionem praebente adcessu seniorum Israelis ad Prophetam, ut Jehovam quaererent, seu de re magni momenti per prophetam consulerent; vers. 1. Ubi potissimum quaeritur, *quid* interrogarint, et *quo animo?* a. Ad *prius*, cum illud diserte non memoretur, varie respondent Interpretes: communiter putant in genere eos solantia verba petiisse de sorte Israelitarum in Judaea, et exulum in Babylonia. Sed *Junius* conjicit, eos consuluisse, num non satius esset per orbem dispergi, quam una manere; Rev. *Hantman* putat, eos se solicitos demonstrasse de totius populi defectione, si in exilio maneant. Vignolius denique censet, eos rogasse num annum *Sabbaticum* aeque in exilio

ac in terra Cananaea observare debeant, quia Zedekias videbatur id nunc facturus, et tempus ante fores erat, uti modo observavi. Quod postremum admitti potest, si latius extendatur ad omnia *tempora festa*, quia phrases vers. 12, 16, 20, 21, 24. generaliores sunt, quam ut ad annum Sabbaticum restringi queant, praeterea si pro parte aliqua consultationis habeatur. Ex responso enim Dei, seu argumento revelationis, nec non intimis eorum cogitationibus, quae vers. 32. proferuntur, colligi posse videtur, eos rogasse de favore Dei in terra peregrina retinendo per Sabbatorum observationem, non obstante cultu idololatrico, qui inter gentes, in quorum medio versabantur, exercebatur et dominabatur, cui sese adcommodare posse videbantur, maxime, cum Deus cultum idololatricum in populo suo toleraverat, et eo non obstante eum favore suo prosecutus fuerat, ex AEgypto educendo, in Cananaeam immitendo, et ibi quibusvis bonis diu cumulando; quod nunc in terra gentilium adhuc magis fieri posse videbatur. Huic quaesito omnes partes responsionis prophetae recte et unice quadrant, et eo cogitationes eorum vers. 32. quoque ducunt, ut suo loco adparebit. Praesupponunt itaque exules, se in terra peregrina semper mansuros ibique a Deo, ut antea in Cananaea, esse conservandos et tutandos, uti ex vers. 32. et responso Dei contrario patet, et rogant, num non Sabbatorum Dei observantia ad cultum ejus sufficiat, cumque ea conjungere liceat idololatriam seu religionem gentilium, in quorum medio degerent, et manerent? quam permissionem probabilem facere videbatur, quod Deus in ipsa Cananaea, et antea populo, non obstante idololatria, benefecerit, et populo permisisse videri posset, quo pertinet, quod Deus per prophetam evincat, se populum propterea punivisse, et ei ex abundante gratia benedixisse, eo scopo ut ad Deum redeat, donec populum contumacem abjecerit, praeterea diserte neget, se talia praecepta idololatrica probasse unquam vers. 25, 26., denique populum non esse

esse restituendum, nisi missa idololatria, et e medio sublatis idololatris, quod futurum esse promittitur. In hac hypothesi acquiescimus, et reliquas suo loco relinquimus, cum nihil probabile habeant, nihil, quo se commendent.

§. CCCXCII. β. Quod vero ad *animum* eorum adtinet, ex quo *interrogatio Dei* per prophetam fluxerat, eum fuisse Deo ingratum ex vers. 3 et 4. facile elucescit, cum Deus neget se *interrogari* ab iis, et responsum iis daturum esse, sicut sincere quaerentibus solet, contra velit, ut propheta cum iis disceptet, eosque damnabiles esse arguat. De quo mox. Sed accuratius inquirendum est, quaenam fuerint pravae cogitationes et adfectiones eorum, relate ad ipsum *interrogatum* eorum. Referri possunt, ut existimo, ad *incredulitatem* et *studium idololatriae*; cujus utriusque clarum est indicium vers. 32 ubi cogitationes eorum occultae in lucem proferuntur, his verbis ipsis adtributis, *erimus sicut gentes, sicut familiae terrarum, ad colendum lignum et lapidem.* h. e. in terra gentili manebimus in perpetuum, nunquam reversuri in Cananaeam, et idololatriae, sicut reliqui gentiles adhaerescemus. Quod utrumque hic intendi; sicut verba docent, ita sequentia extra dubium collocant, quibus utrumque illud negatur futurum esse: ut postea patebit. Fuerunt itaque *infideles*, promissis Dei de populo restituendo non credentes, et *idololatriae* dediti, cui renunciare nolint; quemadmodum c. XIV: 3. ipsis verbis iis imputatur. Ex quo etiam elucescit, eos non sincere, et animo instruendi ac obediendi, verum hypocritice, et impuro animo adcessisse ad Prophetam, ut Dei voluntatem inquirant. Conf. c. XXXIII: 31.

§. CCCXCIII. *Occasione* revelationis narrata, Deus ante exponit prophetae perversum eorum animum, et scopum ac summam revelationis tradit, quam ipsa verba iis pronuncianda ipsi injungat. Praemittitur itaque *prologus* ad prophetam instruendum, *cum* de animo ipsorum, *tum* de

scopo et summa responsi, ipsis dandi. *Prius* his verbis vers. 3. *Loquere cum senioribus Israelis, et dices ipsis, sic dixit Dominus Jehova, an ad me rogandum vos venistis? vivam ego, si interroger vobis, inspiratum Domini Jehovae.* h. e. ante omnia ipsis declara, eos non venisse animo sincero me interrogandi, nec etiam me ita ab ipsis interrogari, ut favorabile responsum, ad vota ipsorum, accipiant. Indicatur itaque, eos animo pravo et hypocritico sine scopo instructionem petendi et obediendi rogare, nec responsum favorabile relaturos esse. Conf. cap. XIV: 3. et ibi dicta. *Posterius* his verbis profertur vers 4. *An judicabis ipsos? profecto judicabis, fili hominis; abominationes patrum ipsorum notifica ipsis.* h. e. Quid responsi itaque ipsis pravo animo me per te interrogantibus dabis? num judicium meum iis promulgaturus es, quod ipsis infligetur? imo vero id facies, et eum in finem eos reos esse, et gravi poena dignos, demonstra, re altius deducta ab ipsis progenitoribus eorum in AEgypto, et deinceps per omnia tempora; measque vias cum ipsis, quatenus eos puniverim, et quare iis pepercerim, in lucem profer, ut pateat, quam alienus ab idololatria fuerim, et sim, meaeque gratiae unice sit acceptum ferendum, quod eos non deleverim, sed beneficiis mactaverim, idque adhuc in posterum facturus sim, sed idololatria inter ipsos exstirpata. Qua paulo fusiore paraphrasi, ex verbis ipsis et sequente concione educta, sensum, verum conspectum, et scopum verborum expressi; ad cujus illustrationem not. 1. *Judicare* hic esse judicium nomine Dei promulgare, quo digni sint, et adficiendi; est enim hic verus verbi intellectus, nec alio sensu prophetae competit, ac quo dixi; solet vero prophetis adtribui, quod Deus facit, quatenus illud pronunciant, et praedicunt, uti habuimus Jer. I: 10. Confirmat nostram interpretationem c. XXII: 2. ubi eadem phrasis occurrit, nec alium fert sensum; quem etiam requirit nostro loco, quod sine copula subjungatur, *notifica ipsis abominationes patrum* scilicet ipsorum, a progenitoribus facto initio,

tio, tanquam *causam* judicii condemnationis. 2. repetitionem verbi *judicabis* cum ה praefixo, non esse inanem, nec simpliciter ad rei confirmationem, sed complecti interrogationem, cum responso adfirmante, ita ut ה in *priore* sit nota interrogationis, in *posteriore* vero adfirmationis, uti in versione expressi, *an judicabis? imo vere judicabis;* quem utrumque usum, ut constat, habet vocula ה, et styli elegantia hic admittit, ita ut diverse sumatur in eodem orationis tenore: quod non est insolens. 3. Cum *patrum* peccata jubentur in lucem proferenda, illud non est cum exclusione Judaeorum hujus temporis capiendum, sed eo tendit, ut defectionem esse antiquam, continuam ac inveteratam, adpareat, simul ut elucescat, qua ratione Deus idololatriam semper condemnaverit, populum puniverit, et contra populi merita ex pura puta gratia benigne tractaverit, et tractaturus sit; uti ex tota concione liquet, secus ac interrogatores sibi persuadebant, acsi Deo minus odiosa esset idololatria, cum populum semper clementer habuerit, non obstante idololatria.

§. CCCXCIV. *Scopus* itaque concionis prophetae est, populo ob oculos ponere, tantum abesse, ut idololatriam adprobaverit, aut permiserit unquam, ut omnia *beneficia* in populum collata, omnia *praecepta* et monita, populo data et facta, omnia *judicia*, quibus eum adflixit, aut quae ei minatus est, eo collinearint praecipue, ut ea exstirparetur, et populus ab ea abstraheretur, donec, cum omnia media frustra ceciderint, populum abjecerit, non, ut eum plane missum faceret, sed tandem restitueret, verum non nisi idololatria et idololatris plane exstirpatis in medio populi, quemadmodum post exilium contingeret. Respondet ergo Deus per prophetam *directe* ad cogitationes et adfectiones eorum infideles et idololatricas, quas rejicit et refutat, simul *indirecte* ad *interrogatum*, declarans sibi sabbatorum observationes cum idololatria in exilio plane displicere; quippe sabbata esse signa cultus et foederis Dei, ab se non

 se-

separanda, nec in terra peregrina, sed Cananaea observanda.

§. CCCXCV. *Primum* specimen animi Dei ab idololatria permittenda alieni, et populi ad eam inclinati, irae Dei propterea in eam accensae, et gratiae populo factae ob longe aliam rationem; quam quod idololatriam adprobaverit, reperitur a populo in AEgypto, quo tempore inde educendus esset, et mox eductus est. vers. 5—10. In qua pericopa ordine memoratur, 1. qua ratione Deus se populo afflicto in AEgypto manifestaverit, tanquam *Jehovam*, Deum ipsorum, et paratum monstraverit ad promissa patribus facta implenda, et populum liberandum, vers. 5. 6 Quae verba cum non sint intellectu difficilia, et satis illustrata ab Interpretibus, tantum observo, *a.* cuncta pertinere ad tempus Mosis, quo a Deo ad populum in AEgypto vexatum missus est, et non ad *Abrahami* tempus, quod nonnulli autumant, *cum* quia de *semine Israelis* agitur, *tum* quia nomen *Jehova* memoratur tunc manifestatum, *tum* denique quia cum actuali liberatione connectitur vers. 6. Voces enim, quod *b.* notandum est, *in die illo* vers. 6. manifeste respiciunt ad praecedentia, et significant, *eo ipso tempore*, quo modo memorata contigerunt, Deum levasse *manum* ad populum liberandum. Hac ratione enim cohaeret oratio: *die* vel *tempore*, quo *elegi Israelem* — — — — — *eo ipso tempore* inquam, *levavi manum meam* etc. Denique *c.* phrasis *levare manum* diverso modo accipienda est vers. 5 et 6.; denotat enim *priore versu* promissum juramento confirmatum, Abrahamo primum factum Gen. XV. et repetitum tempore Mosis Exod VI: 7., sed *posteriore* versu adgressionem operis ad promissum implendum, et populum educendum ex AEgypto, ac in Cananaeam introducendum. Quem utrumque intellectum praebet, uti ab aliis jam est observatum, phrasis *levare manum*.

§. CCCXCVI. 2. Sequitur *quid* Deus a populo tunc requisiverit, ut idololatriae renunciaret, et Jehovae soli ad-

haeresce-

haeresceret, in signum odii Dei in omnem idololatriam. vers. 7. *et*, seu *tunc*, *dixi ipsis*, *quisque abominanda oculorum suorum abjicite*, *neque stercoribus AEgypti vos polluite*; *ego sum Jehova Deus vester*. Quae *sicut* pro hypothesi habent, populum fuisse idololatriae AEgyptiacae deditum, de quo et aliunde constat, ita demonstrant, Deum ab ea esse alienissimum, et populum eo scopo voluisse ac ea conditione vindicatum, ut ei nuncium mitteret, et soli Jehovae serviret. Quod expresse memoratur, ut adpareat, Deum ferre non posse idololatriam; quo tota haec concio tendit. In phrasibus nihil est obscuri; *abominanda oculorum* esse idola, post quae scortantur *oculis* suis, uti c. VI: 9. facillimum est, nec aliud quaerendum mysterium. Ceterum, etsi hoc praeceptum non legatur in historia tunc datum, facile tamen illud praesumitur, a Mose et Aarone aliisque factum esse, quod hic sufficit, cum insolitum non sit nonnulla reticeri in historia. 3. Subjungitur obstinatio populi in idololatria, quae tanquam rebellio in Deum repraesentatur, in signum rursus odii Dei in eam, vers. 8. *et obstrigillarunt mihi*, *nec me audire voluerunt*, *quisque abominanda oculorum suorum non abjecerunt*, *et stercora AEgypti non fecerunt missa*; Quae facilia sunt, et ex eo quoque confirmantur, quod continuo contra Deum murmurarunt, et *vitulum aureum* fecerunt. 4. Additur indignatio Dei, inde concepta, et quidem tanta, ut, si nihil aliud intercessisset, quod iram Dei repressisset, populum in ipsa AEgypto delevisset, ibid. vers. 8. his verbis: *et dixi*, *effusurum me excandescentiam meam in ipsos*, *ad consummandam iram meam in ipsis*, *in medio terrae AEgypti*: tanta nimirum fuit mea indignatio, ut vel ad animum dixerim, vel et declaraverim, illud me facturum esse, scilicet, si ad eorum contumaciam tantum adtenderem, nec aliud me moveret ad iram sedandam. Indicatur simpliciter, quid meruerit populus, et justitia Dei postulaverit; ut significaretur, quam grave crimen fuerit in oculis Dei idololatriae studium inter Israelitas. 5. Exponitur illud, quod iram

Dei cohibuit, longe diversum ab idololatriae adprobatione aut permissione, sola consideratio scilicet nominis et gloriae Dei, ne ei aliquid detrahatur inter gentes, acsi Deus vel mutabilis esset et minus constans in promissis, vel potentia ac viribus destitutus ad ea implenda; vers. 9, 10. *Et feci propter nomen meum, ne forte profanaretur coram gentibus, in quarum medio erant, quia* (id enim hic est אשר ut saepe alias) *notum me feci ipsis* (Israelitis ut ex vers. 5. patet) *coram oculis ipsarum* (gentium, in quarum medio erant, quibus imperaveram, dimissionem populi, et multis poenis inflictis exegeram; pertinet enim ad *gentes*, modo memoratas) *ad educendum ipsos, e terra AEgypti* (eo scopo nec Israeli coram gentibus manifestavi (*et eduxi ipsos e terra AEgypti, et adduxi eos in desertum* (cum potentiae meae demonstratione ego illud feci, et non homo) Insuper hoc unum notetur, *facere* Dei vers. 9., et *educere* populum vers. 10. secum cohaerere; adeoque *facere* Dei nihil aliud esse ac *educere populum*.

§. CCCXCVII. *Secundum* specimen praebent viae Dei cum populo in deserto, seu potius Israelitis majorennibus ex AEgypto in desertum eductis; cum *tertium* specimen desumatur ab altera generatione in Cananaeam translata. Quae pericopa, vers. 11—17. eodem ordine decurrit, et eodem collineat. a. Deus narrat, quid populo, in desertum Arabiae educto, fecerit, ad eum ab idololatria abstrahendum, et Deo devinciendum, vers 11, 12. *Et dedi ipsis statuta mea, et judicia mea ipsis nota feci, quae qui fecerit homo, et vivet per ea. Et etiam sabbata mea dedi ipsis, ut sint signum inter me et illos, ad sciendum, me esse Jehovam, sanctificantem eos.* Quae cum satis clara sint, uno alterove observato defungar. 1. *Primum* est, omnes Dei leges, in deserto latas, sine discrimine et exceptione, morales, politicas, et religiosas, seu rituales et caerimoniales, intelligi vers. 11. *cum* quod generalis sit phrasis, *tum* quod omnes illae latae sint in deserto, *tum* quod stylus Script. id exigat,

exigat, et *vitae* promiſſum totius legis obſervantiae ſit adnexum. Conf. tantum ex innumeris aliis Lev. XVIII: 4, 5. Deut. VI: 25. 2. *Vitae* promiſſum primo et directo ſenſu comprehendere vitam temporalem, longaevam et felicem ac liberam ab aliorum populorum jugo, in terra Cananaea; ut hic recte Sanctius demonſtravit, et alibi ſuſius diſputatur. Sed ſenſu ſpirituali, relate ad foedus gratiae, tunc renovatum, quoque vitam aeternam complecti. Quod etiam alibi ſuſius probari ſolet. 3. *Sabbata*, a Deo inſtituta, in ſpecie memorari, non quod *ſtatutis* et *judiciis* Dei, modo nominatis, non eſſent comprehenſa, quod ſecus eſt, cum ad ſtatuta et jura Dei manifeſte pertineant, ſed quod maxime ad *ſcopum* faciebant, ut Judaei convincerentur, ea ſine legum reliquarum obſervantia nihil valere, et cum idololatria conſiſtere non poſſe; adeoque ad interrogantium cogitationes et praetextus fortius refutandum. Erant enim ad idololatriam inclinati, et rogaverant, num Sabbatorum obſervantia non ſufficeret in exilio, eaque cum idolorum cultu conſiſtere poſſet, et ſufficeret. Docet itaque Deus, relate ad has cogitationes et verba eorum *ſabbata* cum tota lege connexa eſſe, et idololatriae maxime adverſa, cum inſtituta ſint in ſignum foederis, ad illud magis confirmandum, ac populum ab idololatria abſtrahendum, et ſoli Jehovae, Deo ipſorum, adſtringendum. Huc enim pertinet, quod dicantur *ſignum inter Deum et populum*, *ut cognoſcant* Deum eſſe, *qui ſanctificat eos*. h. e. qui eos a commercio gentium ſeparat, et ſibi adſtringit, ut ſint populus *Deo ſacer*, ſeu Jehova ſit *Deus ipſorum*, ut verſ. 20. habetur. Hic enim primus et directus eſt verbi *ſanctificare* ſenſus, ſalvo ſpirituali et myſtico: de quo alibi agimus. Voces enim *ſancti ſanctitatis* et *ſanctificare* eum ſenſum paſſim habent in lege, et ſub Oeconomia legali, uti conſtat et in *libris* Diſſ. S. pluribus demonſtravi. Ex quibus quod 4. not., ſimul colligitur, leges per Moſen datas eo in primis ſpectaſſe, ut populus ab idololatria abſtraheretur, et ſeparatus ac

 ſanctus

fanctus effet Dei populus, ei soli adstrictus et devotus, adeoque idololatriam populi israelis Deo esse valde exosam. Qui totius concionis *scopus* est.

§. CCCXCVIII. *β.* Sequitur narratio idololatriae Israelitarum et legum Dei transgressio in deserto, nomine *obstrigillationis*, et contumacis rebellionis contra omnia Dei monita et obtestationes, in signum rursus aversionis Dei ab idololatria vers. 13. *Et obstrigillarunt mihi domus Israel in deserto, in statutis meis non ambularunt, et jura mea exulcerato animo repudiarunt, quae qui fecerit homo vivet per ea, et sabbata mea profanarunt vehementer.* Quae clara sunt, et ex historia populi in deserto notissima. Respicitur simul in verbo מאס, proprie *exulcerari, ulceribus et tabe diffluere*, inde exulcerato esse animo, et a re vehementer abhorrente, ad continuas populi murmurationes contra Deum, et in verbo *profanare* ad sabbatorum scopum, tanquam signum foederis sancti inter Deum et populum, opposite itaque ad *sanctificationem* seu observationem eorum, tanquam signorum inter Deum et populum. *γ.* Subjungitur *indignatio Dei* in excidium populi exitura, nisi alia ratio Deum cohibuisset. Quod *a.* in genere proponitur vers. 13, 14. *b.* explicatius traditur et deducitur, vers. 15—17. *a. Generalis* propositio habet, Deum declarasse se populum totaliter excisurum esse in deserto, sed propter nomen suum, ne diffamaretur inter gentes, non fecisse, vers. 13, 14. *Et dixi, me effusurum excandescentiam meam in ipsos in deserto, ad consumendos eos; sed feci propter nomen meum* (scilicet quod feci, iis parcendo vers. 17.) *ne polluatur coram gentibus, ante quarum oculos eos eduxeram.* Quae etiam luce sua fulgent. De re ipsa constat ex historia populi in deserto. V.d. ex. gr. Exod. XXII.

§. CCCXCIX. *b* In propositionis deductione Deus enarrat, se populum quidem non ad internecionem usque delevisse, uti minatus erat, et juste potuisset, filiis eorum salvis relictis, attamen graviter punivisse, ita uti tota illa generatio

neratio

neratio majorennis ex AEgypto educta perierit. Hic verus conspectus et scopus est verborum vers. 15—17. *Et etiam ego sustuli manum meam ipsis* (juramento declaravi ipsis, et etiam executus sum; conf. Ps. XCV: 11. Num. XIV: 21.— XXXII: 10.— Deut. I: 34.) *ne introducam eos in terram hanc, quam dedi* (promittendo ipsis) *fluentem lacte et melle, decus omnium terrarum; propterea quod jura mea repudiarunt, nec in statutis meis ambularunt, et sabbata mea polluerunt, quod post stercora eorum cor ipsorum ambulabat* (studium idololatriae fuit ratio et causa spretorum meorum statutorum, quippe ei adversorum) *et connixit oculus meus super ipsis, ne perdam ipsos, nec feci cum ipsis consummationem in deserto.*) Perdidi quidem, ut juravi, generationem illam pravam in deserto, sed peperci liberis.) Exponit itaque Deus, qua ratione, quod modo in genere dixerat, executus fuerit, iram ex parte tantum effundendo in populum, sed non ad finem et consummationem usque, quod soli clementiae Dei erat acceptum ferendum, non quod idololatriam aliquatenus probaret, aut toleraret.

§. CCCC. *Tertium* specimen suppeditat generatio secunda in deserto, a Deo expresse admonita contra Patrum instituta, sed eadem secuta, a Deo tamen in terram Cananaeam introducta, ex sola gratia et clementia, et cum expressa interminatione exilii, si, Dei statutis spretis, idololatriae operam daret, vers. 18—26. Ubi a. occurrit admonitio Dei generationi isti in deserto facta, de Patrum institutis deserendis, et Dei faciendis, vers. 18—20. Quae verba legi possunt, cum ea recensere et interpretari necesse non sit. Solus liber Deuteronomii sufficit demonstrando, id, quod hic habetur, fuisse a Deo factum, β. contumax istius quoque generationis inobedientia, et obstinata rebellio contra Deum et statuta ejus vers. 21. *Et obstrigillarunt mihi filii isti, in statutis meis non ambularunt, nec jura mea observarunt ad faciendum ea, quae qui fecerit homo vivet per ea, sabbata mea polluerunt*; scilicet in deserto, jam jam in-

producendi in Cananaeam, ut ex seq. patet. γ Declaratio Dei de iis delendis, sed propter rationes alias executioni non mandata. vers. 21, 22. *Et dixi me effusurum excandescentiam meam super ipsos, ad consummandam iram meam in ipsis in ipso deserto: at reduxi manum meam, et feci propter nomen meum* (quod reduxerim manum eos deleturam, *id feci propter nomen meum*) *ne pollueretur coram gentibus, ante quorum oculos eduxi ipsos.*

§. CCCCI. δ. Interminatio tamen addita exilii, si in Cananaea sequerentur illa instituta idololatrica, a Dei voluntate tam aliena, vers. 23—26. Cujus pericopae sequentes sunt partes. α *Prima* continet interminationem, juramento confirmatam, dispersionis inter gentes quaquaversum, in ipso deserto ipsis factam, vers. 23. *Etiam ego sustuli manum meam ipsis in deserto, ad eos inter gentes dilabi faciendum, et dispergendum eos in terras* peregrinas. Quae verba comprehendunt interminationem propheticam, certo implendam, populo in deserto quidem factam, sed in Cananaea implendam, quae habet, populum e patria esse excutiendum, et in peregrinas terras dispergendum inter gentes: non itaque ad populum in deserto pertinet, acsi Deus interminatus esset dispersionem, tunc futuram, sed quae per benignitatem Dei non facta fuisset; ut nonnulli acceperunt. Verba enim interminationem continent certo futuram, uti liquet ex *juramento* addito, quod phrasis *levare manum* denotat, qualis certo semper executioni mandatur, vid. vers. 15. et manifeste involvunt excussionem ex sedibus patriis; adeoque ad populum, in Cananaeam jam immissum, respiciunt; quem Deus populo in deserto declaravit esse dissipandum; cum jam jam ingrederentur Cananaeam, ut inde discerent legem Dei accurate observare in Cananaea. Quo eodem sensu capiendum est, quod habetur Ps. CVI: 26, 27. Respicitur ad interminationes propheticas a Mose factas Lev. XXVI. Deut. XXVIII. et alibi. Ceterum ad verba not., respici in הפיץ ad aquas *dilabentes*, de quo vid. Cl. Schult. Orig. t. I. c. 4. et in זרה ad *ventilationem* granorum et palearum. §. CCCCII.

§. CCCCII. *b. Secunda* pars exhibet rationem et caufam hujus judicii, quum ipfis infligeretur, his verbis verf. 24. et 26. fin. *propterea quod jura mea non fecerunt, et ftatuta mea fpreverunt, et fabbata mea polluerunt, et poft ftercora patrum fuorum fuerunt oculi ipforum, propterea fiderabo ipfos, ut cognofcant me effe Jehovam.* Haec enim verba fecum connectenda, intermediis parenthefi inclufis, ut mox obfervabo, continent rationem judicii Dei in Ifraelitas, jam in Cananaea degentes, in eo fitam, quod ftatuta Dei fuique deque habuerint, et patrum idololatrica fecuti fint. Refpondent itaque fibi יען *propterea quod*, et למען verf. 26, ut fenfus fit, propterea quod hoc fecerunt, *propterea eos fiderabo*, repetitur למען quia nonnulla intermedia erant inferta. Solent verba verf. 24. conjungi cum praecedentibus, minus apte, cum in praet. occurrant, et rationem continere debeant, quare Deus difperfurus fit populum in Cananaea; rectius tunc dictum fuiffet, *fi* fpreverint mea ftatuta. Significatur itaque, Judaeos jam hoc tempore ftatuta Dei contumaciter repuliffe, et patrum idololatrica obfervaffe, et propterea Deum quoque fententiam, Patribus in deferto notificatam de populo diffipando inter gentes, effe executioni mandaturum, uti nunc partim factum erat, partim fieret, quod verbo אשמם exprimitur, proprie *fiderabo eos*, tanquam urente et peftifero adflatu, inde *vaftabo*, *defolabo*, ut quae uredine jacent vaftata. Quod faepe alias obfervavimus. Additur finis feu effectus, *propterea* id faciam, *ut me effe Jehovam*, juftum et veracem *cognofcant*. Quod etiam faepe antea habuimus.

§. CCCCIII. *c.* Verba intermedia per parenthefin inferta ad illuftrandum et demonftrandum, eos non Dei, fed patrum ftatuta effe fecutos, ut modo dictum erat, fimul infinuandum ulterius, quam alienus fit Deus ab idololatria ferenda, et quantopere idololatrica ftatuta a Divinis differant, ita habent verf. 25, 26. *et etiam ego dedi ipfis ftatuta non bona, et jura quibus non vivent? et impuros eos*

feci per donaria sua, transire faciendo omnem primogenitum uteri? h. e. recte dixi, eos mea statuta neglexisse et patrum secutos; *egone enim dedi ipsis statuta non bona, et jura non vivere?* add. longiùs? egone impuros eos fecissem per dona et primogenitorum consecrationem Molocho per ignem; nihil minus: quam hoc absurdum? non mea sunt, sed patrum instituta, non ego praescripsi, sed ipsi elegerunt, quod abhorreo quam maxime: vid. Jer. XXXII 35. quid ergo interrogationes illi rogant, num sabbata mea observata sufficiant, et statuta idololatrica cum iis conjungere liceat? quid est, quaeso, putent, mihi minus odiosam esse idololatriam? Verba itaque per parenthesin sunt inserta ea, quae dixi, *occasione* et *scopo*; adeoque interrogative capienda, ad majorem et fortiorem negationem cum aversatione conjunctam et indignatione; Quae hypothesis sicut nihil habet insoliti, cum parentheses et interrogationes ejusmodi sint satis usitatae, ita sese commendat, 1. quod *scopo* et nexui apte conveniat, ut modo vidimus, 2. quod Deus mox ipsis ob oculos per prophetam poni expresse jubeat, eos, et non Deum, fuisse autores idololatriae multiplicis in Canaana; et propterea Deum ab ipsis interrogari nolle. 3. quod hac ratione verba verum suum sensum retineant, et ab omni difficultate libera sint.

§. CCCCIV. Interpretes in tres partes circa haec verba scissi sunt. a. Sunt ex Veteribus et Recentioribus, qui statuta cerimonialia, moralibus addita, intelligunt, et non idololatrica: qui vehementer impingunt in verum vocum sensum, nexum et scopum: de quo alibi solet fusius disputari. Hic verbo suffecerit notasse. 1. voces hanc interpretationem non ferre; cum epitheta, *non bona*, et *non vivere*, vero suo sensu, et constante usu nostri prophetae, *pessima*, et *certissimam mortem* comprehendant; *impurum esse*, et *transire facere primogenitos*, et alibi, et hic in praeced. et seq. de idololatria usurpetur. 2. nexum eam non permittere, cum de generatione secunda in deserto non tantum agatur; sed

sed et de Judaeis in Cananaea, ut ex superioribus liquet. 3. *Scopum* secundum hanc hypothesin nullum tradi posse, si enim adfirmative capiantur, ut faciunt, *poenas*, posteris infligendae, conspectum ferre deberent; qui hic alienus valde est, si leges caerimoniales intelligantur. Plura non addo. β. Alii, sed pauciores, ipsa Dei judicia, ipsis denunciata, ad mortem intelligunt; contra verum et constantem significatum et usum, *cum* vocum *statutorum* et jurium, *tum* verbi *dare alicui*, etiam hoc in capite. γ. *Alii* rectius quidem idololatrica instituta intelligunt, uti nos, sed in verbo *dare ipsis* haerent; cum Deus dici positive nequeat ea *dedisse*; plus enim dicit, etiam ubique in hoc cap., quam *permittere*, *concedere* habendum, quod ipse vetat, et aversaris. *Tradere aliquem peccatis* seu in peccata, recte dicitur, sed non *dare* alicui praecepta prava et abominanda; involvit enim semper aliqualem *approbationem*, seu permissionem legitimam. Cui per nostram hypothesin recte et unice succurritur, interrogative capiendo, ad majorem negationem cum indignatione aliqua exprimendam, vel etiam, quod eodem redit, ironice et sarcastice, *et etiam ego dedi*, scilicet, quod ipsi sibi imaginantur, pulchre, belle, ego, qui praecepta bona et salutaria dedi, qui tantopere aversor ea, et id semper declaravi, ac demonstravi, *ego*, scilicet, *dedi ipsis* etc.

§. CCCCV. *Quartum* specimen petitur ab Israelitis in ipsa terra Cananaea per omnia tempora hucusque, qui arguuntur et rei peraguntur idololatriae, a quo tempore Cananaeam tenuerunt, ad hoc usque tempus. Quod modo insinuatum, in praecedente pericopa, Deus nunc directe et graviter ipsis imputatum vult per prophetam. vers. 27—29. In qua pericopa, praemissa formula expressi jussus Dei, α. declaratur, Israelitas, per solam Dei benignitatem, non obstante contumace eorum rebellione, fuisse introductos in possessionem terrae Cananaeae, vers. 27, 28. his verbis: *Adhuc illud, contumelia me adfecerant Patres vestri, cum in me prae-*

varicati sunt praevaricatione, et introduxi eos in terram, ad quam ipsis dandam manum sustuli. h. e. durante hac tanta blasphemia ipsorum, qua me per praevaricationes suas adfecerunt; ego promissis, juramento confirmatis, steti, et in possessionem Cananaeae eos immisi. Hac ratione verba capienda sunt, et secum construenda; secus ac vulgo fit. Nihil hic not. superest, nisi voculam עוד *adhuc* cum verbo *adduxi eos* cohaerere, ut sensus sit, adhuc in blasphemia mea viventes in Cananaeam duxi; quod idem est, ac *non obstante*, quod tales fuerint: praeterea vocula זאת *hoc*, significat grave et enorme crimen, et cum עוד cohaeret, ut sit; *adhuc illud* scilicet obtinebat, tam atrox flagitium, hoc nimirum, quod *contumelia me* adfecerint, uti mox subjungitur. Vocula זאת haud raro *grave crimen* denotat. Vid. 1 Reg. XI: 11. Jer. V: 7. Mal. I: 9. Ps. LXXIV: 18. alibi. Reliqua sunt facilia.

§. CCCCVI. β. Exponitur cultus eorum idololatricus per totam terram diffusus, vers. 28. *Et viderunt omnem collem excelsum, et omnem arborem densam, et mactarunt ibi victimas suas, et obtulerunt ibi indignationem donorum ipsorum, et posuerunt ibi odoramentum jucundae eorum requiescentiae, et libarunt ibi libamina sua.* Quae omnia exeunt in cultum, non veri Dei in excelsis, sed idolorum, per quaevis sacrificia, thurificationes et libationes, nec aliquid habent obscuri, nobis relictum, nisi hoc unum, in voce כעס ante קרבנם respici ad humana sacrificia Molecho, quorum et antea et post fit mentio, nomine *donariorum*; vox enim כעס denotat inter alia indignationem vehementem ex corde valde conturbato; ut alibi observatum est; adeoque donaria intelliguntur vehementissimam indignationem cientia, qualia eximie fuerunt humana sacrificia, quibus primogeniti consecrabantur idolis: quorum mentio hic etiam omitti non poterat.

§. CCCCVII. γ. Additur contumacia in eo cultu contra continua Dei monita, et propriam infelicis sortis ipsorum...

inde

inde ortae, experientiam ad hoc usque tempus, sub sarcastica et illusoria orationis figura, vers. 29. *Et dixi ipsis, quae quantaque est celsitudo! beatitas quanta! qui eo venitis; utique vocatum est nomen ejus altitudo, ad hunc usque diem.* h. e. continuo ad hunc usque diem vos de vanitate et pernicie hujus cultus idololatrici admonui, vobis sarcastice, ad vestram convictionem et pudefactionem, dicendo per prophetas, *quanta est celsitudo, quanta felicitas vos,* quam vos, eo cultu defungentes, vobis vane et falso procudistis nomine, quo altare vestrum adpellatur, nixi et decepti, ad hunc usque diem, cujus contrarium experti estis. Oratio est sarcastica et ironica, quae contrarium involvit; ad populum prostituendum instituta, et eo tendit, ut contumacia populi contra omnia monita et experimenta in eo cultu perseverantis, fortius exprimatur; repetitur ad populi exspectationem, qua de cultu idololatrico sibi promittebat celsitatem et felicitatem, Conf. Jer. XLIV: 28. et adluditur ad nomen altaris seu excelsi, in quo idola colebantur, במה satis vulgatum; unde ironica desumitur oratio, qua exaggeratur celsitudo et felicitas populi, inde orta, ad indicandum nihil minus inde redundasse ad eum, sed omnia contraria. Quae interpretatio sicut ad rem facit, et egregium fundit sensum scopo et nexui valde consentaneum, ita verbis, recte intellectis. bene respondet. Quod ut adpareat, not. est 1. voculam מה hic habere vim exaggerandi, ac extollendi, satis usitatam, et voci אשר quoque mente esse praemittendam; quod facillimum est, ut in versione expressi. 2. Vocem במה in primo membro notare *celsitatem* firmiter nixam; qui usus satis est notus, ut in phrasi, *celsa terrae, nubium* etc. unde unde etiam illa potestas orta sit; forte a rad. בון, ו in מ ejusdem organi mutata בום, uti in aliis litteris obtinet. Vid Schult. clav. p. 216.— Radix vero בן eadem est ac בוא proprie *tendere, niti,* unde במה *nixum celsiore structura*, ut Gr. *βωμος* a *βαω nitor*; denotat itaque *celsitatem nixam*, firmam, et sublime quodcunque. 3. Nomen

esse, et non pronomen relativum, אשר, et cum אתם vos constructum sententiam facere completam; ut sit, quam, vel quanta *felicitas corusca vos!* pro, quam felices et corusci vos! non enim cum seq. construi potest אתם, ut solet, acsi esset, *quo vos venitis*, non enim באים. sed הבאים habetur, *qui venitis*; Vocem autem אשר coruscam felicitatem denotare, ex אשר, אשרים, אשרי satis elucet, et eodem sensu venit nostra vox אשר Ps. X: 6. ut ibi exposui. 4. Voces, *et vocatum est nomen ejus* במה, seu hoc nomine communiter venit altare excelsum idololatricum, esse additas, ut indicaretur, eo alludi in sarcastica exclamatione, *quanta celsitudo*; et populum idololatricum, ex eo nomine sibi videri posse promittere *celsitatem*. 5. Denique ultimas voces, *usque ad diem hunc*, pertinere ad totum versum et indicare, celsitudinem ac felicitatem, una cum nomine populo contigisse per idololatriam usque ad hunc diem; praeterea, Deum quoque per prophetas illud idem sarcastice continuo ad hunc diem usque *dixisse*, ad populo illudendum et eum convincendum de vanitate idololatriae, ejusque noxiis effectis. Haec interpretatio difficilis hujus versus, qui Interpretes torsit, si cum eorum interpretatione comparetur, forte palmam auferet; quod aliis relinquo judicandum.

§. CCCCVIII. Hisce speciminibus contumaciae populi per omnia tempora hucusque prolatis, sermo dirigitur ad Israelitas in exilio, et eorum seniores, qui ad prophetam venerant Deum interrogatum, quo per modum conclusionis, indigni pronunciantur responso Dei, uti in principio ipsis erat indicatum, praeterea intimae eorum cogitationes et adfectiones pravae deteguntur, et refutantur, eaque occasione luculenta promulgatur praedictio de exulum reformatione et instauratione perfecta. Quae summa est pericopae vers. 30—44. Cujus sequentes sunt partes. א. *Prima*, per modum conclusionis, repetit superius dictum, quo prostituti fuerant, tanquam hypocritice Deum quaerentes, et responso indigni, ratione addita ab eorum idololatria ad exemplum

patrum:

patrum: verſ. 30, 31. *Propterea* (cum tantopere per omnia tempora fuerit corruptus populus nec nunc melior in exilio) *loquere ad domum Iſraelis* (cujus ſeniores ad te venerunt, adeoque per eos) *ſic dixit Dominus Jehova: an via patrum veſtrorum vos impuri facti, et poſt abominabilia eorum vos ſcortati, et offerendo dona veſtra, tranſire faciendo filios veſtros in ignem, omnibus ſtercoribus veſtris uſque hunc diem, et ego* (an a vobis talibus inquam, ego) *interrogarer, domus Iſrael? vivo ego, dictum Domini Jehovae, ſi interrogabora vobis.* Quae verba ex ſuperioribus ſatis clara ſunt, tantum not. verſus cohaerere, ea ratione, qua in verſione expreſſi, uti Piſcat. jam obſervavit. Interrogationis forma per omnes partes eſt extendenda, et ſenſum fundit facilem: an, cum tales ſitis, ego interrogarer a vobis? ב. *Secunda* pars intimas cogitationes et adfectiones, quibus imbuti ad Deum rogandum acceſſerant, in lucem profert, et rejicit verſ. 32. *Et quod in ſpiritum veſtrum adſcendit non erit, quod vos dicitis, erimus ſicut gentes, ſicut familiae terrarum ad colendum lignum et lapidem.* Quae verba non ſunt, ut putatur, ſponte renunciantium praerogativae populi Dei, et terrae promiſſae, ac intimam cum gentibus ſocietatem eligentium; ſed infidelium, et de reſtitutione populi exulis deſperantium, adeoque damnatorum ad reliquarum gentium ſortem, ſimul inclinatorum ad idololatriam gentilem. Quod ex reſponſo Dei manifeſtum eſt, quo illud futurum eſſe negat, et populum reſtituendum et reformandum eſſe declarat, et luculenter promittit, ita ut idololatriae et idololatris non amplius locus ſit futurus in Iſraele reſtituto. Intimae itaque eorum cogitationes huc redibant; populum a Deo in perpetuum eſſe abdicatum, adeoque religioni gentium nunc ſecure poſſe ſeſe committere; quod poſterius malebant.

§. CCCCIX. ג. *Tertia* pars, qua Deus diſtincte et fuſe exponit, quod dixerat, cogitata ipſorum non futura vera, continet α. propoſitionem verſ. 33. β. ejus fuſiorem deductionem per varios articulos verſ. 34—44. α. Propoſitio

generalis ita habet vers. 33. *Vivo ego, inspiratum Jehovae, si non manu valida, et brachio extenso, atque excandescentia effusa, regnum super vobis.* h. e. Tantum abest, ut, quod vos cogitatis, futurum sit, et ego populum meum abdicaverim in perpetuum, ac idololatriae permiserim, ut juratus adfirmem et pollicear, me cum demonstratione potentiae ac justitiae in hostibus ac impiis e populo delendis, piisque et mei studiosis vindicandis, *regem* vestrum et judicem ac vindicem acturum esse, et publice pro tali agnoscendum ac colendum. Promittit Deus, opposite ad superiora populi cogitata et dicta, se *regnaturum super ipsis*, adeoque eorum regem, judicem et vindicem, quod ad *regnare* pertinet, futurum et mansurum, talem se praestando, et pro tali habendum a populo; imo majore emphasi, quam antea, *theocratia* quippe revocata, quemadmodum saepe praedictum est a prophetis futurum post exilium Babylonicum. *Promissum* itaque est, et non *judicii* declaratio, ut multi acceperunt, acsi Deus populo volenti nolenti sese praestaret severum et violentum dominum; plane contra sensum phraseos, et sequentem deductionem, nec non *scopum* ad superius dictum refutandum. Addit Deus, quod Interpretes eos in devia abstraxit, se regnaturum cum *manu forti, brachio extenso, et excandescentia effusa*, h. e. cum potentiae et justitiae vindicativae, ut adpellatur, demonstratione; sed, quod not., non relate ad populum, acsi eo modo regnaret violenter et poenaliter, sed ad *hostes* ac impios e populo, eos delendo, ac populum ab iis liberando ac purgando, uti ex seq. manifestum est, *partim*, quod populum ea ratione dicatur *recollecturus*, *partim*, quod rebelles et idololatras populi eliminaturus, et populum ab iis purgaturus dicatur. Accedit allusio ad liberationem populi ex AEgypto, ea ratione factam, uti notum est. Quo in seq. ubique respicitur.

§. CCCCX. β. Fusior propositionis deductio per sequentes articulos instituitur. a. *Primus* est, populum exsulem esse e terris

terris peregrinis recolligendum et educendum, cum demonstratione potentiae et justitiae, utriusque agnitione, publica vers. 34. *Et educam vos e populis, et colligam vos a terris, per quas diffusi estis, manu valida, et brachio extenso ac excandescentia effusa.* h. e. mea potentia et ira effusa in hostes et oppressores vestros efficiam, ut vobis libertas concedatur peregrinas terras deserendi, uti a pluribus vestrum etiam fiet. Respicitur haud obscure ad judicia in Babylonios, et regna orbis data Cyro; qui etiam in eo manum Dei agnovit, et populo plenissimam abeundi concessit potestatem Esr. I. et alibi. Haec cum satis clara sint, mirum accidit, nonnullos Interpretes haec referre potuisse ad Judaeos per vicinas gentes dispersos aut dispergendos, indeque ex ira Dei extrahendos, et in Babyloniam transferendos in poenam. Quo nihil a phrasi *recollectionis* et *eductionis*, ac scopo et nexu est alienius: praeterquam quod sermo non ad Hierosolymitanos, aut eos, qui sponte aufugerant ad Ammonitas, aliosque vicinos populos, vertatur, sed exsules, quorum senioribus hic respondetur a Deo. Interpretes in errorem duxit, quod cum *irae signis* Deus id faceret, quodque mox demum sequatur, eos in *desertum populorum*, per quod Babyloniam intelligunt, esse ducendos, sed *prius* jam est expositum, cui addatur, digitum intendi ad eductionem populi ex AEgypto, ut modo observavi, ea ratione factam cum potentiae signis, et *irae* demonstratione in AEgyptiis mari rubro deletis. De *posteriore* mox dicam.

§. CCCCXI. *b. Secundus* articulus continet populi liberati reformationem in deserto Arabiae per separationem ab idololatris et foederis renovationem vers. 35—38. In qua pericopa rursus sese offert *propositio*, et ejus clarior *expositio*. *Propositio* ita habet vers. 35, 36. *Et adducam vos in desertum populorum, et ex aequo ac justo componam vobiscum ibi facie ad faciem, quemadmodum composui cum Patribus vestris in deserto terrae AEgypti, sic componam vobiscum, inspiratum Domini Jehovae.* h. e. Sicut cum Majoribus vestris, ex

AEgypto in desertum Arabiae Petraeae eductis, ibi in deserto ex aequo et justo egi, ut solet homo cum homine, foedus ineundo, et amicitiam, certis legibus fixis, mutuam firmando, et secundum eas leges vos tractando; ita vobiscum ex Babylonico exilio eductis in desertum Arabiae desertae instituam, idem foedus renovando, et societatem mutuam iisdem legibus formando, secundum quas vos tractabo. Interpretes varie hic instituerunt, nonnulli etiam valde aliena sunt sectati, ut Coccejus, qui ad Judaeos, per Romanos subjectos, et dispersos, et Ecclesiam Christianam ab iis separatam adplicat, ingente commisso saltu, et sine ullo fundamento; valde coacte praeterea et contorte. Mirum est, Interpretes hic haerere potuisse, cum diserte instituatur comparatio reducum e Babylonia cum Israelitis, ex AEgypto in desertum Arabiae eductis: cui si inhaesissent, ut par erat, simul ad phrasin *deserti terrae AEgypti*, qua desertum Arabiae ab AEgypto ipsa distinctum insignitur, adtendissent, praeterea defectum praepos. מ in ארץ *terra AEgypti* observassent, ut plene sit *in desertum e terra AEgypti eductos*, sicut Graeca versio habet, in *deserto populorum* definiendo non adeo laborassent. Intelligitur enim illud *desertum*, per quod e Babylonia in Cananaeam tendere deberent; uti fecerunt, teste historia Ezrae. Ipsa vero Babylonia intelligi nequit, cum vers. 38. diserte dicatur, idololatriae tenaces inter Judaeos, ex terra peregrinationis egressos, non venturos in Cananaeam. *Desertum* itaque populorum est proprie intelligendum de *Arabiae deserto*, ita dictum, quod variarum nationum incolas habeat; nisi rectius legatur מן העמים uti vers. 41. et hic memoratur, quatenus per illud tendere debuerint reduces in Cananaeam. Quo etiam respicitur Jes. XLVIII: 21. *et non sitiverunt in desertis locis, per quae eos duxit* etc. scilicet reduces e Babylonia: ubi vid. Cl. Commentator. Eodem quoque digitus intenditur Hos. II: 16. *ecce me adlicientem eos, et ambulare facientem in desertum* et per illud, *et locutus sum ad cor*

ejus:

ejus: qui locus nostro est parallelus; et eadem ratione capiendus.

§. CCCCXII Hoc in deserto dicit Deus se cum reducibus *disceptaturum facie ad faciem* h. e. ex aequo et justo, amice ac more humano transacturum; populum de aequitate et justitia viarum suarum, cum ipso convicturum, et anteriore inimicitia deposita, societatem mutuam renovaturum, certis fixis legibus; uti Deus fecerat cum majoribus ex AEgypto eductis in deserto Arabiae per Mosen. Quem sensum verbis consonum, sequens deductio extra dubium collocat. Hos II. vero illud dicitur, *ad cor populi loqui*: quod eodem redit. Ceterum licet historia reducum non expresse tradat, tale quid accidisse reducibus in itinere per desertum, improbabile tamen non est, Deum per Josuam, Zerubbabelem, aliosque prophetas, simile quid fecisse; sicut olim per Mosen et Aaronem, et populum ibi pactum cum Deo solenniter renovasse, uti Ezr. VIII. narratur ab Ezra factum, cum Cananaeam petebat cum sociis; sed, si nihil simile fuerit factum, ad inplementum sufficit, reduces in itinere fuisse a Deo benigne habitos, curatos, et tutela sua ductos, ac in populum peculiarem receptos, quo sensu Jes. XLVIII. Deus traditur iis rupem fidisse, et aquas suppeditasse. Ubi vid. Cl. Vitringa.

§. CCCCXIII. *Propositionis* deductio, seu expositio, quae dictis lucem infundit, ita sonat vers. 37, 38. *Et transire vos faciam sub virga, et adducam eos in vinculum foederis, et repurgabo e vobis rebelles et irrumpentes in me, e terra peregrinationum eorum educam ipsos, in terram Israelis nemo veniet, et cognoscetis me esse Jehovam* h. e. Disceptatio et transactio mea in aequitate et justitia vobiscum, in deserto versantibus e Babylonia eductis, in eo erit sita, et hunc habebit effectum, quod vos, nota quasi impressa, instar ovium pro meis sim agniturus, et foedere mihi devincturus vobisque normam agendi traditurus; refractarios vero et rebelles, si quos invenerim inter vos, eos, si vel

e Babylonia eduxerim, e medio vestrum separabo, ac expellam, ita ut vobiscum in terram Israelis non redeant, adeoque vos ab omni idololatria purgati me secundum praescriptum meum sitis culturi. Hunc existimo illustris hujus pericopae esse sensum et scopum, qui ut sese prodat, not. 1. vers. 37. tradi, reduces esse declarandos populum Dei peculiarem et foederatum, ac a Deo tutandum, eique devinciendum. In phrasi, *transire facere sub virga*, respicitur ad oves, quae recensentur, et nota insitae pro peculio agnoscuntur, non itaque ad *decimandum*, aut pravas a sanis discernendum; sed recensendum, et pro suis agnoscendum. Vid. Boch. H. p. I. l. II. c. 14. Quo etiam ducit phrasis sequens, *adducere in vinculum foederis*, qua significari videtur, eos et cum Deo et secum invicem esse foedere, in societatem unam constringendos. *Vinculum foederis* est foedus vinciens, constringens, et in unam societatem compingens. Vox מסרת est pro מאסרת ab אסר, uti communiter statuitur; licet Cl. Schult. detect. §. 94. ad rad. מסר reduci posse, et *de vigore ac virore laeto foederis renovandi* capi autumet: quod nobis longius remotum videtur. Radix vero אסר proprietatem habet in *plexu stringente* et ad necessitudines, et cognationes sese porrigit. Quod huc recte quadrat.

§. CCCCXIV. a. Subjungit Deus eos fore coetum purum et a commixtione cum idololatris repurgatum, secus ac antea contigerat; adeo ut, si inter eos rebelles, et immorigeri reperti fuerint, exterminandi sint in ipso itinere, sicut Israelitis in deserto Arabiae evenit, qui propter continuam rebellionem ibi mortui sunt, in Cananaeam non adducti. Hunc sensum fundit vers. 38. ad cujus intellectum tantum observo, *a. terram peregrinationis* esse peregrinam terram, in qua tempore exsilii fuerunt, opposite ad *terram Israelis*: diserte enim habetur, eos e terra peregrinationis eductos non venturos in terram Israelis; *b.* verba hypothetica capi posse, *si vel eduxero eos, tamen non venient:*

particula

particula אם ante ימשו, per concurrentiam similium litterarum absorpta: quod non est insolitum, adeo, ut non adfirmetur, tales rebelles inter eos futuros, sed ponatur, quod fieri posset, tales esse, ad indicandum coetum reducum fore ab idololatris purum et nullos secum permixtos habiturum idololatras in terra Israelis, quippe ante delendos vel segregandos, quam redierint in patriam. Hic enim sensus simpliciter est, et scopus verborum absque ut positive adfirmetur, idololatras in itinere ad terram Israelis in medio reducum fore, et inde separandos esse. Quod aliis prophetiis et historiae quoque perfecte convenit, ut notum. Interpretes hic varie instituunt, et se sine ratione implicant, etiam aliena valde sectantur, quos missos facio. Dictis addo pro יבוא לא. si sing. numerus quem offendat, legi posse יבואו *venient*, ו per sequentem vocem deficiente: sicut LXX. et nonnulli MSS. Kennicoti quoque confirmant.

§. CCCCXV. *Tertius* articulus comprehendit verae religionis sine mixtura idololatriae exercitium in terra Canaanea a reducibus exacte et ad Dei complacentiam instituendum, praemissa ad praesentem domum Israelis idololatriae deditam admonitione, de Deo potius renunciando, quam idololatriae amplius adhaerendo; cum Deus tales amplius ferre nolit, et illi a populo, in Cananaeam reducendo, sint semovendi. Qui genuinus est conspectus pericopae vers. 39—44. *Admonitio* praemissa his verbis profertur vers. 39. *Et vos, domus Israel, sic dixit Dominus, Jehova, quisque stercora sua ite colite, et post; si non mihi auscultare nolitis, nec nomen meum profanate amplius donis vestris et stercoribus vestris.* h. e. Cum ferre amplius nolim idola ab iis coli, qui nomine meo se adpellant, eosque a societate populi mei, ut modo dixi, separaturus sim, reduces denique me pure sint culturi et solum in terra Israelis, ut mox dicam; vobis, qui idololatriae adhuc estis dediti, edico, ut, si mihi aures praebere nolitis, et idololatriae renunciare, vos idolola-

triae et idololatris toti adjungatis, nec meum nomen adfirmatis, meique cultum cum idololatria conjungatis; *ite* ergo et abite a me, colite idola vestra, et nunc et post, nec nomen cultumque meum cum idololatria societis; ad illius contaminationem et prostitutionem, ut huc usque fecistis. Quae paraphrasis cum sensum et scopum verborum in sat clara collocaverit luce, verbo tantum observo 1. sermonem dirigi ad praesentem domum Israelis, cujus seniores ad prophetam venerant, quae idololatriae adfixa manebat, et cultum aliqualem Dei cum ea conjunctum volebat. 2. *scopum* esse, ut, si ab idololatria non abstrahatur, declaretur, Deo nihil cum ipsis aut nunc aut postea fore commercii, nec sortem habituros esse in medio populi Dei in Canaanaea, cum ibi in posterum nullus locus idololatriae sit futurus. 3. emphasin habere verbum *ire*, in phrasi, *ite colite*, involvit enim abitum a Jehova, et publicam ejus abnegationem; nomine populi Dei plane cessante; imo, *ite* simul est discedite a me, et abite in malam rem. 4. Denique ante ואחר esse ellipsin voculae עתה facile ex ipsa voce *et postea* supplendam, ut sensus sit, *ite colite stercora vestra, nunc et postea*, in perpetuum, abdico vos plane, et vos mihi renunciate. Qua ratione in vocula ואחר nihil difficilis.

§. CCCCXVI. *Pericopae*, cui admonitio erat praemissa, quae nunc sequitur, *duae* sunt partes, quarum *prior* habet, Jehovam in terra Israelis esse secundum legem ejus a toto Israele reduce colendum, sine admixta idololatria, cum in patriam fuerit reductus. vers. 40, 41. *Quia in monte sanctitatis meae, in monte loco edito Israelis, dictum Domini Jehovae, ibi colent me omnis domus Israelis universa illa in terra, ibi gratos habebo eos, et ibi requiram oblationes vestras decerptas, et primitias donorum vestrorum cum omnibus sanctis vestris, odoramento requiescentiae gratos vos habebo: quum vos eduxero e populis et congregavero vos e terris, in quas dispersi estis, et sanctificabor in vobis coram oculis gentium.* h. e. Quod vobis, si mihi immorigeri manseritis, res vestras habere

bere jussi, nec a vobis me coli velim, aut in patriam reditum negaverim, illud hanc inter alia habet rationem, quod a reducibus in terram Cananaeam ego solus secundum praescriptum meum sim colendus, et in iis summam meam acquiescentiam habiturus, ac sanctificandus sim coram gentibus, opposite ad pollutiones nominis mei inter eas a vobis. Ex qua paraphrasi *nexus* et *sensus* pericopae clare intelligitur. In vocibus et earum structura parum est difficilis, quod ab Interpretibus non est expeditum, de epitheto *montis, loci editi Israelis* dixi ad c. XVII: 23. Duo aut tria tantum supersunt notanda. 1. *primum* est, voces, *universitas ejus in terra*, esse, *toti vel omni Israeli*, modo memorato, additas, ad universitatem Israelitarum in terris quaquaversum degentium significandam, eo scopo, ut indicaretur, Israelitas in Cananaea non tantum, sed et in terra quaquaversum, Deum verum, in Cananaea sedem tenentem, esse culturos: quemadmodum post exsilium Babylonicum factum esse constat, et saepe a prophetis praedictum est. Hanc emphasin confirmat, quod alias plane superflua foret phrasis, *tota illa in terra*, cum modo dictum erat, *ibi in monte sancto totam domum Israelis*, Deo gratum cultum exhibituram esse. 2. *secundum* est, verba *in odoramento requiescentiae gratos eos habebo, et sanctificabor in ipsis coram gentibus*, cohaerere, et intermedia vers. 41. esse quasi parenthetica; de quo diversitas structurae in hisce duobus membris et intermediis satis testatur. In primo et ultimo membro adhibetur fut. temp., *acceptos habebo* et *sanctificabor*, sed intermedia incipiunt cum verbis *quum eduxero ipsos et congregavero.* Sensus ergo est, Deum in populo congregato in Cananaea acquieturum esse, et *sanctificandum*, opposite ad pollutionem praecedentem per idololatriae commixtionem cum professione nominis Dei.

§. CCCCXVII. Quaeritur de quo populo hic agatur, et qualis cultus intelligatur? Interpretes maximam partem de Ecclesia Christiana et cultu euangelico interpretantur; in

eo se inprimis fundantes, quod carnalem Israelem Deus modo abdicaverat, vers. 39. Quod subkestum est fundamentum, cum ibi de praesente domo Israelis, et idololatriae sermo tantum sit, ut modo vidimus. Israelem proprie dictum, et cultum ritualem, intendi, 1. omnes phrases docent, sine necessaria ratione spiritualiter non capiendae. 2. restrictio ad *terram* Cananaeam per *ibi* omnino requirit. 3. connexio cum eductione ex exsilio, et congregatione dispersorum, quoque postulat. 4. Confirmat denique sequens pericopa, ut mox patebit etc. Nec tamen nego, pericopam sese latius extendere, et mysticum Israelem ac cultum simul includere, tanquam complementum instaurationis et reformationis Israelis, postea futurum. Cujus indicium sicut in phrasibus *acquiescentiae* et *sanctificationis Dei coram gentibus* est, ita cum maxime in epithetis montis Tsionis, quibus mons *sanctitatis Dei*, et *locus editus Israelis* adpellatur, quae nos haud obscure ad Ecclesiam spiritualem et coelestem ducunt, ut ex dictis ad c. XVII: 23. elucescit. Quod verbo tetigisse suffecerit.

§. CCCCXVIII. *Posterior* pars pericopae *triplex* exhibet recollectionis et reformationis populi consequens. α. *Primum* est, eum tunc cogniturum et agniturum esse, Deum esse *Jehovam*, in promissis *veracem*, in viis suis justum et bonum, eo quod reduxerit populum in terram promissam patribus, vers. 42. *Et cognoscetis, me esse Jehovam, quum adduxerim vos in terram Israelis, in terram, ad quam patribus vestris dandam sustuli manum meam:* quod expresse additur, ut, Deum in promissis implendis esse constantem, adpareat. β. *Secundum* est, eum cum poenitentia et taedio ac fastidio recordaturum esse omnium abominationum, quibus pollutus fuit antea. vers. 43. *Et ibi recordabimini viarum vestrarum, et omnium facinorum vestrorum, quibus polluti estis, et taedio fastidiente disrumpemini in faciebus vestris propter omnes malitias vestras, quas fecistis.* Conf. Jer. XXXI: 19. et ibi dicta. γ. *Tertium* est, agniturum esse populum, *gratiam*

tiam tantum Dei esse puram putam, cui hoc tantum beneficium acceptum ferri debeat, longe contra merita sua, vers. 44. *Et agnoscetis me esse Jehovam, in eo quod egerim vobiscum propter nomen meum non secundum vias vestras malas, et secundum facinora vestra corrupta, domus Israelis, inspiratum Domini Jehovae.* Verbum בעשותי recte vertitur *in eo quod feci*, structura orationis et sensu id requirente. Sensus enim est, populum in eo, quod tam bene egerit Deus cum Israele, cogniturum esse, *Deum esse Jehovam*; qui non secundum prava facinora populum tractaverit, sed pro summa sua benignitate et veracitate, cui omnia illa beneficia essent accepta ferenda. Conf. vers. 9, 14, 22. Ps. CXV: 1. et alibi saepe, ut Ez. XXXVI: 22, 32.

C A P. X X I.

§. CCCCXIX. D*ecima quarta* revelatio, eodem tempore facta, c. XX: 45. et XXI. comprehensa, ejusdem quidem est tenoris, et argumenti, sed variis ex partibus, totidem distinctis revelationibus, constat, ut ex formula, *et factum est verbum Jehovae ad me*, quinquies repetita, constat. *Argumentum* est triste excidium populi Judaei in Cananaea per Nebucadnezarem mox efficiendum, una cum adpendice excidii Ammonitarum c. XXI: 28.— certam ob rationem ei adtexta; ut postea videbimus. Quid *ansam* praebuerit hujus revelationis, inutile est quaesitum, cum nihil faciat ad ejus intellectum. Sufficit, prophetam resumere judicium excidii in Hierosolymitanos et Judaeos, ad Judaeorum incredulitatem magis expugnandam, et eos de instante excidio convincendos, ut ex vers. 49. quoque colligitur. Apte subjungitur praecedenti convictioni, qua *crimina* populi, a majoribus facto initio, erant in lucem protracta, itaque commode ad *judicia*

Dei in corruptum et contumacem populum adnuncianda.

§. CCCCXX. *Prima* pars revelationis interminatoriae et terribilis, verſ. 46—48. cap. XX. comprehenſa, male a cap. ſeq. eſt avulſa, ut paſſim obſervarunt Interpretes, cum manifeſte cohaereat cum cap. ſeq., ubi parabolica oratio explicatur. Continet praedictionem totalis excidii Judaeae et Hieroſolymae, parabolice propoſitam, ſeu emblematice; figura deſumta a ſylva arborum aridarum et viridium, iis referta, igne non exſtinguendo abſumta. *a.* Jubetur propheta faciem vertere ad auſtrum, et ſtillare ad meridiem, ac prophetare contra ſylvam agri meridionalis, et combuſtionem ejus praedicere verſ. 46, 47. *Fili hominis pone faciem tuam in viam auſtrum verſus, et ſtilla ad meridiem, et vaticinare in ſylvam agri meridianam. Et dices ſylvae auſtrali, audi verbum Jehovae, ſic dixit Dominus Jehova, ecce me in te ſuccendentem ignem, et conſumet in te omnem arborem viridem, et omnem arborem aridam, non exſtinguetur flamma flagrantiſſima, et percutientur in ea omnes facies ab auſtro ad Aquilonem.* h. e. vultu firmiter et hoſtiliter fixo verſus auſtrum, ſtillantis inſtar verba prophetica funde minacia et exitialia contra Judaeam totam incolis bonis et malis refertam, et urbibus ac vicis in ſuperficie ejus plenam; inſtar ſylvae denſae et arboribus cujuſvis generis et graminis ac herbae abundantis; et *dic*, totam illam ſylvam cum arboribus, et omni, quod in ſuperficie ejus eſt, igni inexſtinguibili eſſe abſumendam; ita ut nihil in ea intactum ſuperſit, ſive in cineres redigatur, ſive amburatur, et omni vigore ac flore privetur. Nihil hic difficile, quod noſtra indiget opera, *ſylvam* eſſe Judaeam, ad *auſtrum* Babyloniae, ubi verſabatur Ezechiel, et ipſius Cananaeae, *arbores* eſſe homines, *virides* et *aridas* eſſe *juſtos* ac injuſtos, c. XXI: 3. *ignem* ſuccendendum eſſe judicium Dei per Chaldaeos exſequendum, *inexſtinguibilitatem* ejus eſſe, illud ad finem uſque duraturam, et *combuſtionem* denique ipſam ejus deſolationem,

lationem, incolis partim occisis, partim in miseriam redactis et abductis, et facile intelligitur, et ab aliis jam est expositum. *Duo* tantum aut tria habeo, quae moneam. 1. Voces conjunctae, להבת שלהבת, non sunt superfluae, sed ardentissimam ac fulminis instar urentem flammam denotant; vox utraque est a להב *flagravit flamma* puriore, sed שלהבת est ex forma conjug. שפעל *Schaph-hel*, praemisso ש servili ex אשר, dicitque ardentissimam flagrantiam. Vid. Schult. Gr. p. 268. et 306. quare de *fulmine* usurpatur Cant. VIII: 6. Job. XV: 30. 2. Cum dicitur omnes facies esse arsuras *a meridie versus septentrionem*, illud non est cum nonnullis capiendum de Judaea et Babylonia, acsi sensus foret, incendium a Judaea exorsum deinceps etiam ipsos seu Judaeos in Babylonia, vel, ut Coccejus, ipsos Babylonios correpturum, et deinceps populos reliquos, ut passim solet, nec etiam ad terminos Judaeae restringendum, sed ad populos vicinos, a Nebucadnezare subigendos, referendum est; ut mox videbimus ad c. XXI: 4, adeoque בה non est *in ea sylva*, sed in *eo igni*, יער enim est masc. et אש foemin., sensus ergo est reliquas omnes terrae intermediae facies esse eodem igne corripiendas, de quo mox.

§. CCCCXXI. *Secundae* partis revelationis, quae superioris est explicatio, c. XXI. 1—7. ansa praemittitur vers. 49. c XX, in eo sita, quod propheta coram Jehova fuerit conquestus de Judaeorum insultatione ex infidelitate orta, quod non nisi obscuras proferret, et ineptas parabolas; vers. 49. *Et dixi*, (scilicet parabolica hac revelatione facta) *ah! Domine Jehova, illi dicunt mihi* (sc. false et irrisorie; quod aliquando est אמר, ut alibi observavi et supra habuimus, c. XI: 3. XIII: 12.) *nonne similitudines parabolicas profert iste?* h. e. nullum revelationum et concionum fructum apud hos homines, coram quibus loquor, habeo, quam quod ab iis irridear, et contemnar, tanquam ineptus perplexiloquus, qui obscura fundo aenigmata, nullius sensus aut incerti et ambigui, ostentationis ergo, vel

 ne

ne intelligar ulli, adeoque instar insani; ne itaque tantum *parabolas* loquar, sed rem nude et simpliciter enunciare liceat, ad ipsorum pudefactionem. Quod posterius hic involutum esse, sequens revelatio, ipsi mox facta, indicat. Continet enim nudam revelationem excidii Judaeae et Hierosolymae, ad superioris aenigmatis explicationem, et additur, ad majorem convictionem populi, ut propheta lugentis personam praeferat. Duae itaque partes sunt. I. *Prior* expositionem tradit superioris parabolae vers. 1—5. Ubi *a*. jubetur vultum ponere contra Hierosolymam ejusque sanctuaria, et totam terram *Israelis*, ac stillando prophetare. Verba sunt vers. 2. *Fili hominis pone faciem tuam versus Hierosolymam, et stilla contra sanctuaria, et propheta contra terram Israelis*. Verba elegantiae causa divisa sunt, et facile ordinanda, ut *ponere faciem*, *stillare* et *vaticinari* ad Hierosolymam, sanctuaria, et terram referantur, *sanctuaria* in num. pl. memorantur, sive excellentiae causa *Templum* ita adpelletur, sive ad ejus varias partes respiciatur, sive denique quaevis loca sacra, vel vere vel falso sic dicta, per terram sparsa, intelligantur. Ceterum hinc liquet, quid sylva agri in parabola expinxerit, terram nim. Judaeam totam, et in specie Hierosolymam.

§. CCCCXXII. *β*. Argumentum prophetiae minacis haec verba repraesentant vers. 3, 4. *Et dices terrae Israelis; sic dixit Jehova, ecce me contra te* (tanquam judicem et gloriae meae vindicem, Jehovam in minis quoque veracem, ipsum illum Deum tuum, qui tanta in te contulit bona, a te spreta: praesens adsum, ut te invadam et puniam.) *et educam gladium meum e vagina sua, et exscindam e te justum et improbum* (judicium destructionis in omnis generis cives tuos, bonos et malos, exercebo per gladium Nebucadnezaris, qui judicium meum est mox executurus. Quod itaque in parabola *ignis*, illud hic *gladius Jehovae* dicitur, ad indicandum, terram exscindendam bello cum omnibus ejus adjunctis, *fame* et *peste*; quibus, ut arbores igni, homines e terra

terra cum omnibus ejus bonis delentur. Sed qua ratione cum c. XVIII. et IX. conciliatur, quod *justi* aeque ac impii *exscindendi* dicantur? resp. vel *justi* titulum restringendo, vel *excidii* intellectum dilatando, adeo ut vel *justi* sint relate ad *impios* minus impii, saltem a culpa, et officii neglectu in corrupta civitate non inmunes, uti Hab. I: 13. et alibi, vel *exscindere* e terra late sumatur, de quovis exterminio e terra, et statu servili ac afflicto in exsilio.) *propterea, quod exscidi e te justum et improbum, propterea emicabit* (id enim proprie est יצא) *gladius meus e vagina in omnem carnem ab austro versus septentrionem*, (judicium meum, per Nebucadnezarem exsequendum, non te tantum feriet, sed, hoc facto, denuo exercebitur, et vicinos populos omnes ab austro ad septentrionem eodem excidio involvet; idque etiam *tui causa*, ne populi reliqui materiam habeant tibi insultandi, et nomen meum blasphemandi. Hic sensus et scopus est verborum, minus perceptus ab interpretibus, exceptis Hebraeorum magistris, et aliis apud *Sanctium* et *Pradum*, sed quem ipsa verba et eorum structura haud obscure exhibent 1. enim dicitur, *propterea* Deum omnem *carnem* ab *austro ad Aquilonem* esse excisurum, quod in Judaea id fecerit. 2. excisio omnis carnis proponitur, tanquam posterior excidio Judaeae, nam הכרתי est in praeter. et תצא in fut. adeoque sensus est, *propterea quod exscidi e te — — ideo emicabit — —* ergo postea. 3. Accedit, *omnem carnem* de Judaeae civibus capi non posse, cum illi nomine *justorum* et *impiorum* modo essent memorati; adeoque reliqui populi vicini, a populo Dei diversi, nomine *carnis* insigniri soliti, alias *Adami*, intelligendi sunt. Conf. denique Jer. XXV: 29. et ibi dicta. Ceterum respondent haec verba parabolicae phrasi c. XX: 27. fin. *et aduruntur eo, igni, omnes facies ab austro ad aquilonem*, ut facile cernitur, et verum ejus sensum, supra datum, confirmant. 9. Subjungitur judicii effectum, in eo situm, quod *cognosceret omnis caro Deum esse Jehovam, qui gladium suum*

strinxit, absque ut recondatur, donec omne judicium impleverit. vers. 5. quod idem est, ac supra c. XX: 48. nec difficile intellectu.

§. CCCCXXIII. ב. *Posterior* pars continet gravissimi terroris et luctus signa a propheta, jussu Dei, facienda coram exsulibus, ad majorem eorum convictionem, in signum horrendi luctus ciendi ab omnibus super calamitate ingruente et facta; vers. 6, 7. *Et tu, fili hominis, suspira, in confractione lumborum, et torsione amarulenta, suspirabis coram ipsis* (ex imo pectore et gutture educ spiritum, *ipsis* videntibus contribulibus tuis, instar ejus, cujus lumbi confringuntur, et viscera amarulenta ac venenata potione torquentur. Verbum אנח est *ὀνοματοποιῶν* a sono fictum, dicitque suspirium ex imo gutture eductum, ב vero in בשברון et במרירות est nota comparationis, et dicit *sicut*, ut subinde sumitur, licet magis emphatice. Vid. Schult. ad *Job.* XXXIV: 36. *Confractio lumborum* est lumbi et crurifragium, valde dolorosum, et מרירות est proprie *contorsio.* Inde venenum torquens. Sensus itaque est, prophetam tam acerba suspiria ducturum, qualia fieri solent ab iis, quorum lumbi franguntur, et viscera torquentur. Sanctius post alios putat, ad *parturientis* dolores respici, alii aliud habent, sed phrases ad id, quod dixi, manifeste ducunt.) *Eritque quum dixerint tibi, quare tu tanta ducis suspiria? tum dices, propter rumorem, quum venit, et liquescet omne cor, flaccidae erunt omnes manus, et caligabit omnis spiritus, et omnia genua fluent aquis, ecce venit et actum est, inspiratum Domini Jehovae.* (interrogantibus de ratione suspirii tui responde, te ob oculos ponere adfectiones populi Israelis, tempore ingruentis calamitatis, quae eum in desperationem et summam consternationem conjiciet; quod tempus declarabis instare, adeo ut dici possit jam *venisse*; cujus effectus erit totalis destructio populi. Oratio ita cohaeret, ut propheta *primum* declaret, qualiter adfecti fuerint calamitate praesente, dein addat, *adesse*, et *actum* esse de rep. et populo. Huc enim

pertinent

pertinent ultimae voces, *ecce venit*, et *factum est*. h. e. ecce tam prope est, ut dici possit *venisse*, et *actum* jam esse; id enim dicit נהיתה *actum est*. Vid. Mich. II: 4. et ibi dicta. Reliquae phrases nostra opera non indigent, de ultima *fluunt genua aquis* dixi ad c. VII: 17.

§. CCCCXXIV. *Tertia* pars revelationis vers. 8—18. adfectuosam continet orationem, et abruptam nonnunquam, ac difficiliorem intellectu: cui nescio an lucem inspergere possim. Videamus quousque in eam penetrare detur. *Primum* ejus membrum repraesentat gladium exacutum et splendide politum, ad mactationem ingentem faciendam et terrorem incutiendum optatum, adeo ut propheta mox erumpat in lamentabilem exclamationem super feroculo sceptro populi Dei, quod aeque ac omne lignum spernit hic gladius, vers. 9, 10. *Fili hominis! vaticinare, et dicas, sic dixit Jehova, dic: gladius est gladius exacutus, et quoque laevigatus, ad mactationem mactandam exacutus est, ut insit ipsi fulgur laevigatus est, ah! feroculum sceptrum filii mei!* gladius est *hiare faciens omne lignum*, vel *exulceratus in omne lignum*. h. e. gladius iste meus e vagina eductus, cujus modo mentio est facta, non est qualiscunque et vulgaris gladius, sed exacutus, acie penetrantissima praeditus, ad ingentem mactationem faciendam aptissimus, simul fulgurantem splendorem evibrans ad terrorem incutiendum. ad cujus conspectum non possum non *vae* et *ah!* proclamare in sceptrum filii mei, seu populi mei Israelis, sceptrum illud superbo et feroculo gaudio exultans, est enim gladius, qui omne lignum, et sic hoc etiam sceptrum, adspernatur, ac scissum quasi tabe diffluere facit. Judicium intelligitur Dei terribile, irresistibile, in omnia regna et omnes populos, per Nebucadnezarem exsequendum, et non, quod Coccejus putat, per *Romanos*; sine ullo fundamento, et inmani saltu, cum modo de judicio Dei per Nebucadn. erat actum; et hic ad *eundem* gladium manifeste respicitur. Nihil hic nostrae curae relictum occurrit, nisi in ultimo membro

 vers.

verf. 10., quod varie vertitur, et explicatur. Vulgatior eft interpretatio, *aut*, vel *an*, *exhilarabimus? virga filii mei*, five qua caftigatur, five qua caftigat ipfe alios, *fpernit omne lignum* vel *arborem*, nec ulli parcit. Quod quam fit abruptum, et languidum, facile adparet, nec convenit ftructuras vocum שבט et מאסת cum *prior* fit mafc. gen., quare rectius redderetur in eam mentem, *virga caftigatoria filii mei*, qua caftigari alias folebat, nunc eft mutata in *gladium* acutum, omne lignum adfpernantem; ut, quod Coccejus jam vidit, חרב fubintelligatur ex praeced. et feq. Per *filium* autem intelligere *filium Dei*, ut fenfus fit, ejus virgam vel fceptrum effe gladium omne lignum *fpernentem*, nimis eft remotum. Alias verfiones et expofitiones mitto, meam illuftraffe contentus.

§. CCCCXXV. Verba funt parenthetica, quibus Deus vel propheta ad fuperiorem gladii defcriptionem in acerbiffimas lamentationes erumpit, fuper forte populi fui, quafuperbum et exfultans dominium ejus per hunc gladium confringeretur, una cum reliquis regnis vicinis omnibus; qualis lamentatio et ante et poft hic occurrit, et hic apte inferitur, cujus indicium eft in vocula או, quae et pro אוי, ut pro הוי etiam הו ufurpatur Am. V: 16. Cl. Dieu ad Jef. XXVII: 5. jam advertit או hic effe exclamandi particulam *ô*. Vid. etiam ipfe ad Job. XXII: 11. fic et Arab. ac Syris in ufu eft. Praeterea vox נשיש non eft prim. fut. *exhilarabimus*, ut verti folet, fed nomen verbale, feu part. paff. conj. Niph., idem ac נשוש; aeque enim שיש ac שוש, נשיש dicitur. Vid. Schult. Gr. p. 365. Conftrui vero debet cum שבט *fceptrum*, ut fit, *ô ah! ferocculum fceptrum filii mei!* fuperbum illud, et cum aliorum contemtu exfultans, ac hilare fceptrum dominans populi, qui *meus eft filius*, uti Ifrael adpellatur, Ex. IV: 22. Hof. XI: 1. et alibi; mox etiam עמי *populus meus*, *fceptrum* vero ejus adpellatur נשיש quod fuerit fplendidum, fimul fuperbum et exfultabundum, cum aliorum populorum contemtu. Quam vera

vera vis est rad. שׂושׂ, sita in oculo *obliquato* et *limo*, unde est, se efferre vel prae voluptate, vel abundantia divitiarum, dicitque laetitiam cum ferocia et superbo aliorum contemtu conjunctam. Vid. Schult. clav. p. 298. et ad Job. VIII: 19. *sceptro* majestatis populi Dei, *filii* ejus adplicitum vocabulum, depingit regni, et regiae majestatis qualitates bonas malas, quibus bonis et potentia sua laetata, sese insolentem et superbam, ac gloriabundam praestitit, cum reliquorum populorum contemtu. Super hoc *sceptro* lamentatur propheta, vel Deus, quod *gladius* sit exacutus, *qui omne lignum* exulcerat, vel aversatur, adeoque et hoc *sceptrum*, lignum quoque, nec reliquis melius, aut potentius; quo sequentes voces pertinent, מאסת *exulcerans*, vel exulcerate *aversans*, *omne lignum* ex praeced. et seq. subintellecta voce חרב *gladii*, foem. gen., ut modo observavi. Sensus ergo est, gladio exacuto miserabilem esse sortem *sceptri filii Dei*, quia gladius iste spernit, vel diffluere facit *omne lignum*, adeoque et hoc sceptrum, *lignum* tantum: respicitur in phrasi *omnis ligni* ad c. XX: 47. ut facile cernitur. Radix vero מאס proprie est *exulcerari*, *ulceribus ac tabe diffluere*, ac vulneribus hiare; unde ad animum translata exprimit vehementem aversationem, ac iracundam rejectionem. Vid. Schult. ad Job. VII. et Prov. Sumitur et *transitive* et *intransitive*, adeoque et *exulcerare* vulneribus et tabe quasi diffluere facere, et *exulcerari*, seu *aversari* denotat; quod utrumque huc adplicari potest, ut in versione expressi. In dictis licet requiescere possem, addam tamen, pro או legi posse אין vel אן littera נ per sequentem absorpta, vel voci sequenti male addita, ut sit אין שׂשׂ sensu non incommodo, quo vertitur, *nihil*, pura vanitas est, nihil solidi habet feroculum sceptrum filii mei, gladius enim respuit omne lignum.

§. CCCCXXVI. *Secundum* pericopae membrum gladium sistit in manum carnificis datum, et lamentationem prophetae propterea fusius repetit, vers. 11—13. Ubi a. traditio

gladii in manum carnificis his verbis exprimitur verf. 11. ; *et dedit illum laevigationi ad manu prehendendum; iste exacutus gladius, et iste laevigatus est ad dandum in manum occisoris*. h. e. ficut gladius laevigandus traditur, ut manu prehendatur ad occidendum, ita hicce gladius exacutus eft et laevigatus; ut tradatur in manum carnificis. Structura fermonis implicuit Interpretes, qui illam expedire non potuerunt; nec qui fit ille *dans* laevigationi; per quem alii *filium*, modo memoratum, alii Chaldaeum intellexerunt. Sed facilia erunt omnia, fi *prius* membrum pro antecedente vel *protafi*, pofterius pro confequente feu *apodofi* habeatur, et נתן *dedit* imperfonaliter capiatur, pro *quocunque*, ut in paraphrafi expreffi: *quicunque* vel *ficut qui dat*, quod idem eft ac, *ficut datur*, *gladium laevigationi*, *ut manu teneatur*, ita hic gladius exacutus eft et laevigatus, *ad eum dandum in manum occidentis*. Qua ratione omnia apte fluunt. *Senfus* ergo eft, gladium illum modo memoratum, eo fcopo effe aptatum, ut *carnifici* in manus d tur ad occidendum: qui, ut facile patet, hic eft *Nebucadnezar*, judiciorum Dei executor terribilis, famofus ifte *carnifex*, etc.

§. CCCCXXVII. *ß*. Jubetur mox ad hoc Dei dictum propheta lamenta propterea ciere verf. 12. *clama et ejula fili hominis*, *quia ifte eft*, *vel irruit*, *in populum meum*, *ifte in omnes principes Ifraelis*, *pede impacto detrufi funt in gladium cum populo meo*; *complode femur*. Quae *duobus* tantum indigent obfervatis noftris, *alterum* eft, verbum היה hic exferere fingularem ufum, quo *hoftilem impetum* denotat, ex primigenia *cadendi* poteftate, quae radici הוה ineft. Vid. 2 Sam. XI: 23. 1 Reg. XI: 15. Pf. LV: 19. Ez. VII: 4, 9. *alterum eft*, מגורי effe particip. verbi מגר, ut recte Junius, et notare proprie *pede impacto detrufum*; radix proprie dicit, *vehementius impegit*, pede *illifo trufit*, Ezr. VI. Pf. LXXXIX: 45. Quod huc unice convenit. Senfus eft, *proceres illos* cum populo univerfo effe in terram quafi protrudendos cum vehementia, ut gladio feriantur, ad eorum totalem

totalem deſtructionem. Reſpicitur in *procerum* mentione expreſſa ad *ſceptrum* modo memoratum. Reliqua ſunt facilia. γ. Subjungitur, ad majorem confirmationem dictorum, verſ. 13. *Quia adtritus* eſt, *et quid? ſi etiam ſceptrum excorians* vel *adſpernatus* ſit gladius? *nihil erit*. h. e. populus Judae jam variis malis eſt adtritus, et quam imbecillis ſit luculenter probatum; *quid* itaque *fiet*, *ſi etiam* gladius excorians, vel ſpernens, *ſceptrum* ejus exſtiterit? *nihil erit*, plane in nihilum recidet. Interpretes varie inſtituerunt, et mirifice luſerunt, quibus non inmoror; noſtra Interpretatio, quam ex parte unus aut alter, ut a Lapide vidit, ſua facilitate ſeſe ſatis commendat. Verbum בחן cum populo; et, non *gladio*, ut nonnullis placet, quippe foem. gen, conſtrui debet, ut nexus etiam docet, et propriam vim ſuam, qua *terere* denotat, exſerit, adeoque ſignificat, populum jam variis malis eſſe adflictum, adtritum, et ita probatum, quam facile deſtrui poſſit, ſimul quam incorrigibilis ſit. Sic pro *tentare* malis, adfligi et adteri Job. VII: 18. et alibi. Sequitur, *et quid?* ſcilicet, cum eo fiet, *ſi etiam ſceptrum adſpernatus* ſeu excorians, nimirum *gladius*, irruerit, ut recte Coccejus et ſupra verſ. 10. habuimus; intelligitur ultimum judicium in domum regiam per Nebucadnezarem; reſpondetur ad hoc interrogatum, *non erit* h e. nihil erit, plane exſcindetur; quem elegantem uſum לא frequenter admodum habet.

§. CCCCXXVIII. *Tertium* pericopae membrum, verſ. 14—17. α. juſſum Dei continet ad Prophetam, ut denuo vaticinetur, addita *complosione manuum* verſ. 14 his verbis: *Et tu fili hominis vaticinare, et manus complode.* h e.. perge in vaticinando, ut cepiſti, de gladii actuali immiſſione in populum meum, et *manuum compleſione* ob oculos pone alacritatem hoſtium, ſimul meam in eo acquieſcentiam; ut ex verſ. 17. manifeſtum eſt. Non ergo hic eſt dolentis, gementis, et deſperabundi, ſed excitantis, exſultantis et triumphantis; ut nonnulli recte obſervarunt. Satis lamenta-

 tus

tus erat; nunc aliter se gereret, et signum praeferret alacritatis hostium, certissimi eventus, et acquiescentiae Dei. β. *Argumentum* vaticinii, quod sequitur, comprehendit gladii exacuti, et in manus carnificis dati, uti supra erat repraesentatum, actualem immissionem caedem ac destructionem. Quod *a.* proponitur vers. 14. *b.* confirmatur vers. 15. *a.* Propositio his fit verbis vers. 14. *Et*, vel *etenim*, *plicabitur gladius dupliciter*, *tripliciter gladius occisorum*, *iste gladius occisoris magni illius*, *intime penetrans in ipsos.* h. e. dic prophetans, gladium esse dupliciter et tripliciter vertendum, ante et in utrumque latus, quaquaversum, illumque esse gladium homicidarum, et magni inprimis istius carnificis, eumque ad intima quaeque penetraturum esse populi Israelis. Quorum sensus est, impetum hostilem Nebucadnezaris quaquaversum penetraturum per omnia, etiam intima, adeoque certissimam et totalem destructionem producturum esse. Antea gladius erat ob oculos positus, tanquam exacutus et politus, simul in manum carnificis datus; nunc ejus *actio* terribilis describitur, qua in omnes versaretur partes, et per omnia penetraret. Praesupponitur itaque gladius in *manu* interfectoris, quod supra dictum erat, et hic traditur, eum esse *versandum* ab interfectore, qui hic mente intelligendus est, et quidem dupliciter tripliciter, et penetraturum in omnes et omnia, etiam intima quaeque et abditissima, nihilo relicto intacto et integro. *Tria* itaque hic memorantur, 1. *gladii duplicatio* et *triplicatio*, vel versatio ejus *duplex* et *triplex*, ad indicandam ejus actionem et immissionem quaquaversum; et saepius repetitam, ad ultimam destructionem usque; sive *duplicatio tripliciter* fit in genere vehementissima, et saepius iterata ad finem usque; phrasis, *bis ter*, pro summo gradu satis usitata; ut recte observavit *Sanctius*, sive respiciatur ad partes anteriores et duas laterales, ut sit versabitur, ante et ad utrumque latus, seu *quaquaversum*; ut mox vers. 16. traditur, 2. *gladii* repetitur definitio, et dicitur, gladium, de quo sermo fit, esse eundem,

dem, modo descriptum, et ab interfectoribus. ac magno illo in erfectore jam manu teneri; *gladius confossorum* iste *gladius confossoris magni.* h. e. homicidarum, et carnificis famosi, seu Nebucadnezaris et ejus militum. Vox חלל hic non passive, sed active sumenda est, dicitque non *confossum*, sed *confodientem*: quod recte notavit et adstruxit D. Kennicot *Diss. super ratione textus Hebraici* p. 103. cui tamen in omnibus, quae profert, locis, non adsentior. Sed hic alium non fert sensum. Quod si *gladius mactatorum* dici posset, qui multos mactavit, quae minus facilis phrasis est, quid erit *gladius confossi magni*? Rectius ergo per *confossionem* vertitur, ut Simon form: nom. p. 172. et per abstractum pro concreto est *confossor*. profanator ad caedem et lanienam; quae vera est rad. חלל potestas: ut alibi observavimus saepe. Sed חלל etiam punctari potest, ut sit vel in fin. Pih., vel part. pro מחלל uti occurrit Ez XXVIII: 9. 9. Denique ejus *effectus*, quo per omnia ipsorum *penetraret*, ad intima quaevis usque, subjungitur, cum dicitur, *qui intima penetrat ipsis*. Quae nihil habent obscuri. Tantum not. verti quoque posse חדרת *pendula laxatione* ipsorum *capitibus* jam *imminens*, ex propria radicis חדר, in *laxando* sita, potestate, unde *latibuli* et *velamenti* fluxit usus, denotat enim *aulaeum laxius* et *pendulum*. Vid. Lette ad carmen Caab. p. 153.

§. CCCCXXIX. *b*. Confirmatur dictum vers. 15. *Propterea ut fluctuet vehementius cor, et multum sit offendiculorum, in omnes portas eorum dedi fulminantem micationem gladii, ah! vel tantummodo, facti ad fulmen, politi ad mactationem*. Ad quae illustranda 1. not. voce מכשלים proprie *offendicula*, ad quae quis adpactus adhaerescit, et in perniciem ruit, denotari *media* ruinae populi, seu hostilis gladii invasiones: uti Jer. VI: 21. ut ibi observavi. 2. אבחת proprie dicere *splendorem et micationem* fulminis a rad. Arab. *splenduit* et *quaquaversum emicuit fulmen;* quod quam apte in *micantes gladios*, quae phrasis Senecae est de *Constantia* c.

 5.,

5., et hunc locum quadret, ex seq. manifestum est. *Denique* 3. verbum מעטה non est vertendum *evolutum* vel vagina vel veste, occurrit enim gladius *strictus* et sese versans quaquaversum ad mactandum, sed *exacutum*, non ex עט *stylo* acuto, ut nonnullis placet, sed מעט *radere*, inde *polire*, *nitidum* facere et acutum ad caedendum. Vid. D. Nanninga in disput. ad V. T. loca sub auspiciis Cl. Schroederi p. 34. Sed forte rectius, cum phrasis *radere* ad mactationem, et usus verbi מעט, sit insolentior legitur מרטה uti vers. 11. quod varians lectio apud Kennicot. quoque praefert. 4. Tandem not. voculam אח esse pro אך *duntaxat*, solummodo, ut sensus sit, gladium esse unice factum et politum ad fulminandum et mactandum, non ad alium aliquem finem. Particula gementis *ah!* hic locum invenire nequit, cum *plaudentis*, non lamentantis gestum hic praeferat propheta; ut supra vidimus. Confirmat varians lectio apud Kennicot, sed suspicor veram lectionem esse אחדה ab אחד uti mox sequitur, adeoque verti debere *gladii acuti*; sicut Jes. XLIX: 2. habetur חרב חדה, et nostro cap. v. 28. פתוחה *gladius acutus*, ut mox notabo. Occurrit quoque אח pro אחד supra c. XVIII ut ibi notavi.

§. CCCCXXX. γ. Subjungitur, per modum conclusionis, gladium pro lubitu esse grassaturum quaquaversum, Deo ipso adplaudente vers. 16, 27. Ubi α. occurrit apostrophe ad ipsum gladium, qua permittitur, imo jubetur, pro lubitu grassari vers. 16. *exacue temet subtilissime dextrorsum, impressionem fac sinistrorsum, quocunque facies tuae fuerint constitutae.* h. e. acerrimam fac impressionem in regiones Australes Septentrionales, et quascunque alias, quas volueris; permitto tibi, quin jubeo, ut facias. Nihil hic nobis fere relictum est, nisi hoc unum observandum, verbum אחד hic genuinam suam potestatem exserere, qua dicit *acuere*, ad subtilissimam aciem elimare et terminare; unde *unius* etiam usus fluxit, quatenus est extremitas elimatissima omnis rei, et ubi omnium partium cohaesio et enumeratio *terminatur*.

Sed

Sed divitem praeterea sensum habet, quo denotat acutissimam et acerrimam virium exsertionem, adeoque *impressionem*, cujus mox fit mentio. Verbum vero שׂוּם, ut Gr. ἐπιτίθεσθαι, *impressionem* hostilem et bellicam denotare, saepe alias est observatum. Ceterum *dextrorsum sinistrorsum* est Austrum et Septentrionem versus, ut vers. 4. habuimus, et additur, *quocunque facies tuae constitutae* sunt, ad liberum alium cursum ipsi concedendum: adeoque indicatur, gladium Nebucadnezaris esse in omnes terrae partes grassaturum; nec tantum in Judaeam: ut vers. 4. vidimus. Ceterum, cum פניך *facies tuae* sit mascul. et מֻעָדוֹת foemin. generis, rectius separatim sumuntur, ut per se stent, posterior vero vox a rad. מעד repetatur, hoc sensu: *quocunque facies tuae sint versae, vacillationes et lapsus*, ac ruinae, erunt. Radix מעד proprie est *vulsit flexim* mollitie, inde in 4tap. *flexos et vulsos reddere*, ita ut stare nequeant, sed cadant. Vid. Ps. LXIX: 24. β. Permissio non tantum Dei, sed et adplausus, una cum ejus ratione, traditur vers. 17. *Et etiam ego complodam manus, et acquiescere faciam effervescentiam meam, ego Jehova dixi*. Quibus significatur, ut facile adparet, impressionem gladii certissimum habituram effectum, et judicium Dei severissimum esse exsecuturam, donec irae Dei fuerit satisfactum. *Adplausus* Dei indicat, rem Deo probari, et efficiendam; *acquiescentia excandescentiae* Dei exprimit finem, et effectum impressionis, ad judicium Dei faciendum. Conf. c. V: 13. et Zach. VI: 8. et ibi dicta.

§. CCCCXXXI. *Quartum* pericopae membrum, vers. 18—32. gladii se quaquaversum versantis primos impetus, auspicato factos, in Judaeos, et dein Ammonitas, repraesentat. Cujus sequentes sunt partes. *Prima* sistit Nebucadnezarem quasi dubium, quo sese in expeditione contra populos *australes* vertat primum, num Judaeos, an Ammonitas? quippe qui *primi* ipsi occurrebant, adeoque flecteretne sese *dextram* versus ad Judaeos, an *sinistram*, ad Ammonitas? seseque tandem auspiciis captis determinantem versus

Hierosolymam, vers. 19—23. Ubi *a.* occurrit hujus rei delineatio a propheta facienda, et Judaeis exulibus ob oculos ponenda, ut sciant regem illum auspicato venturum contra Hierosolymam, et rem certo executurum esse, vers. 19, 20. *Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias*, per quas *intret gladius regis Babelis, quae ambae ex una terra egredientur, et signum manuale exasciato, in capite viae urbis exasciato, viam pones, ut intret gladius Rabbath filiorum Ammon, et Judam versus Hierosolymam ad eam obsidione arctandam.* Quibus jubetur propheta in tabula, aut arena, pingere duas vias ex una terra egredientes, alteram versus Ammonitas, alteram Judaeos, simul signum manuale politum et conspicuum ponere in via versus Hierosolymam, tanquam indicium viae, quam e duabus ingrederetur Nebucadnezar. Duo itaque praefigurantur a propheta, *alterum* Nebucadnezarem in bivio staturum quasi dubium, quo se verteret, ad Ammonitas, an Judaeos? *alterum*, ipsum, signo acto, sese moturum versus Hierosolymam. *Prius* indicatur, quum duas *faceret vias*, ex una terra ortas, quod vers. 19. in priore membro ipsi imperatur, et dein vers. 20. explicatius traditur, ubi duae illae viae dicuntur ducturae, *altera* ad Ammonitas et eorum metropolin Rabbat, *altera* ad Judaeos et eorum Metropolin *Hierosolymam*, ad *arctam obsidionem*; vel urbem *munitam*: quo utroque modo capi potest vocabulum בצורה, prout vel a בצר derivatur, vel pro voce composita habetur ex ב *ad*, ut modo, et צורה, sive sit nomen et *obsidionem* dicat, sive verbum צור *arcte obsidere*, et sit, ad *obsidione arctandam* eam: quod in medio relinquo, licet posterius videatur probabilius, cum ratio non sit, quare Hierosolymae hoc epitheton *munitae urbis* hoc loco aptaretur expresse. *Posterius* vero, cujus memini, his verbis exprimitur, *manum exasciato, in capite viae urbis exasciato*, h. e. signum, quod viam, manus instar, monstret ingrediendam, bene politum et exasciatum fac, illudque in *capite*, seu introitu, viae versus urbem, conspicuum colloca. Verbum

bum ברא non est, ut verti solet, *eligere*, quod est ברה, sed *polire*, *exasciare*, edolare ad nitorem usque; inde ad *usum aptare* et *creare*, seu opus omnibus numeris absolutum facere, quale quid jubetur *facere* primum, dein factum *erigere*, ut in omnium oculos se ingerat. Posterius enim ברא divitem habet sensum, et conspicuum, bene politum facere erigendo denotat. Vox vero יד *manus* hic est signum monstrans; quemadmodum 2 Sam. XVIII: 18. Vid. Cl. Vitr. ad Jes. LVI: 5. in *not.* Sed ambigui quid est in nomine *urbis*, in cujus viae capite signum esset ponendum, num utraque, Rabba et Hierosol., an sola Hierosolyma, sit intelligenda. Mihi, cum Piscatore, posterius vid. verius, non tantum, quod sing. num. adhibeatur, et עיר *absolute* ponatur pro *urbe* κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicta, et nomine *urbis* notissima, sed in primis, quod propheta expresse jubeatur *signum coruscum* in capite *viae* ponere, quo vix opus erat, si ad utramque urbem respiciatur, quodque hic repraesentet Nebucadnezarem non tantum in *bivio*, sed et se determinantem, ad Hierosolymam petendam, uti mox in adplicatione ad Nebucadn. exponitur.

§. CCCCXXXII. β. In *signi*, a propheta repraesentati, expositione *a*. Nebucadnezar sistitur in bivio, dubius quo se vertat, eumque in finem auspicia captans, ut determinaretur vers. 21. *Quia stat rex Babel juxta matrem viae, in capite duarum viarum, ut divinationem instituat; laevigat sagittas, rogat Teraphim, inspicit jecur.* h. e. Nebucadnezar, dubius inter Ammonitas et Judaeos, contra quos feliciter expeditionem suscipiat, cujusvis generis divinationes instituit per sagittas politas, et splendentes, icunculas loquaces, et viscera animantium respondentia. Quae divinandi species, qua ratione fuerint factae, hinc non potest colligi, cum simpliciter habeatur, sagittas fuisse vel politas et splendidas factas, quem usum habet verbum קלקל, ut et Eccles. X: 10. et vox קלל Ez. I. vel agiliter instar rei levis commotas a קלל *levis fuit*, *Teraphim* fuisse rogatos, et *jecur* inspectum,

spectum, quare inutilis est hujus rei disquisitio; de variis modis per virgas, et sagittas, vaticinandi apud populos vid. Grot. h. l. et van Dalen de Divinat, ubi etiam de reliquis agit speciebus. De sortitione per sagittas apud Arab. vid. Pocock. specim. hist. Arab. p. 325. et Kuipers ad Ali p. 97. Nobis haec tanti nunc non sunt, *b*. augurio et divinatione determinatus ad Hierosolymam obsidendam et oppugnandam vers. 22. *Ad dextram ejus fuit*, vel *cecidit*, *divinatio*, *Hierosolymam* scilicet, *ad ponendum arietes*, *aperiendum os in destructione*, *tollendam vocem in clangore*, *ad ponendum arietes contra portas*, *ad fundendum aggerem*, *aedificandam turrim*. h. e. divinatione instituta cecidit sors dextram versus contra Hierosolymam, ad eam oppugnandam et obsidione cingendam. *Primum* membrum, quod vertitur, *ad dextram ejus fuit divinatio*, scilicet *Hierosolymam*, significat, regem fuisse per divinationem determinatum ad expeditionem suscipiendam *dextram* versus, seu *Hierosolymam*; *dextra* enim Nebucadnezaris, e terra sua venientis, spectabat ad Judaeam, sicut *Sinistra* ad *Ammonitas*; ut supra observavi; *Hierosolyma* per adpositionem nominatur ad *dextrae* significationem definiendam. *Divinatio fuit* ad dextram dicit eam cecidisse, quod est proprie בימינו *ad dextram*, *secundum* membrum pertinet ad *urbis* oppugnationem, per arietes impositos, et muri confractionem, ac militum clangentium irruptionem. *Tertium* vero membrum urbis *obsidionem* repraesentat, ut voces, de quibus ad cap IV: 2. dixi, indicant. Utriusque fit mentio, et obsidionis et oppugnationis, distincta, quod obsidio duraverit aliquandiu, et urbs dein vi expugnata sit Conf. 2 Reg. XXV: 2—4. Jer. XXXIX: 1, 2. Praeterea cum obsidio interrupta sit, et dein recepta, bis repetitur, *ponere arietes*.

§ CCCCXXXIII. Ceterum num Nebucadnezar vere dubius haeserit, quorsum se primum verteret, et divinatione instituta fuerit contra Hierosolymam impulsus, an propheta ipsum simpliciter talem in scenam produxerit, ad indicandum,

dum, ipsum omnibus probe pensitatis, et auspicato eo tetendisse, dubium est, nec tanti, cum de *scopo* constet, quem modo exposui, scilicet regem divinitus actum venire: auguriorum enim et divinationum mentio eo tendit, ut doceretur, ipsum divinitus fuisse impulsum et motum, et expeditionem per consequens fore certam et felicem, quae effectum sortiretur intentum. Loquitur propheta convenienter opinioni et consuetudini gentilium, et significat auguria capta fore certa, non quod iis aliquid tribuat, sed quod convenienter eorum opinioni et ritibus loquatur, et id, quod dixi, tantum significatum velit. Quod a stylo Script., inprimis poetico et prophetico, non est alienum; vid. ex. gr. Jes. XIV: 9.— Quid? quod Deus hominibus, superstitiosis artibus divinandi usis, aliquando veritatem revelaverit, ut exempla sunt in Bileamo, muliere Endoria tempore Sauli, et Magis tempore nati Christi.

§. CCCCXXXIV. *c*. Subjungitur eventus expeditionis, Judaeis et regno ac urbi funestus vers. 23—27. Ubi *a*. sese offert propositio vers. 24. *β*. ejus deductio vers. 25—27. *a*. Propositio habet, Judaeos se deprehensuros deceptos suis falsis auguriis ac opinionibus, et ipsum eorum regem, impium ac perjurum, esse capiendum, vers. 23. *Et fuit ipsis sicut divinare falsum in oculis ipsorum*, *juramenta juramentorum ipsis*, *et ipse acri pollentem vigore faciens iniquitatem*, *ut adprehendatur*. h. e. omnia Judaeorum auguria, et promissa ipsis facta, deprehensa sunt in oculis ipsorum, seu per ipsam experientiam, vana et falsa; juramenta, quibus obstricti sunt, saepius repetita, et ipse rex, iniquitatem et perjurium acerrimo vigore pollere faciens, in causa erunt, quod in potestatem hostis redigantur. Hunc existimem verum esse verborum sensum, quae Interpretes valde diviserunt, et me aliquandiu torserunt, qui ut elucescat, not. 1. *primum* membrum comprehendere vanitatem exspectationis Judaeorum, ipso facto coram ipsis demonstratam; his verbis: *et est*, *vel erit*, *ipsis sicut divinare*, *vanum in*

 oculis

oculis ipsorum, scilicet Judaeorum, de quibus hic omnino agitur, et non Nebucadnezaris, uti Coccejus et alii nonnulli putant; nam de Nebucadn. in singulari factus fuit sermo, et mox sermo ad Judaeos vertitur, *ipse* etiam mox memoratus est rex Judaeorum, nam sequitur, ipsum esse *capiendum*. *Divinare* vero *vanum* et *falsum* non est Nebucadnezaris divinatio, Judaeis pro vana habita, ut passim accipitur, sed ipsorum Judaeorum, quorum exspectatio, etiam divinitus, ut putabant, per fallos vates et augures facta, eluderetur; quod huc unice quadrat, et phrases quoque requirunt; quippe quibus denotatur, *divinare ipsis* futurum in *vanum*: sed comparatio cum vers. 29., ubi idem de Ammonitis traditur, extra dubium collocare videtur. Opponitur hic *divinatio* Nebucadnezaris divinationi contrariae Judaeorum, *illa* addixerat, urbem esse capiendam, *haec* contrarium promittebat: declaratur nunc *divinare* Judaeorum ipsis fore vanum et falsum, uti vers. 29. de Ammonitis, idque *in oculis ipsorum* h. e. ipsis inspicientibus, et praesentibus esse deprehendendum falsum. Respicitur ad praejudicia Judaeorum et promissa vatum falsorum, ipsis facta, quae hic declarantur vana et falsa futura. Conf. Jer. XIV: 14.

§. CCCCXXXV. 2. Duo reliqua membra veram causam tradunt traditionis populi et regis in manum Nebucadnezaris, quaerendam in juramentis ipsorum, et regis perfidia continua ac obstinata, his verbis: *juramenta juramentorum ipsis, et ipse acrem reddens iniquitatem ad prehendendum*, scilicet ab hoste; adeoque in causa sunt, quare *capiendi* sint, occurrit enim in pass. להתפש, et mox vers. 24. ita exponitur, sensus ergo est, *juramenta* et *perfidiam* ac iniquitatem regis *ipsis fore ad prehendendum* a rege Chaldaeorum, seu causam subjectionis et excidii. Cum *juramentis* addatur *iniquitatis vigor* excitatus, manifestum est, juramenta intelligi violata, et cum *juramenta* absolute occurrant, cogitare licet de foedere seque cum Deo, ac Nebucadnezare, juramento firmato; quod sequentia confirmant, ubi peccata et defectiones eorum in

in genere memorantur, tanquam causa subjugationis. *Juramenta juramentorum* itaque sunt plura, et saepius repetita, solenniter facta, quibus Deo et Nebucadnezari erant obstricti, et violata perniciem adtulerunt: vid. 2 Reg. XXIV: 19, 20, Ezech. XVII: 16, 18. et alibi. Additur in specie regis defectio et perfidia obstinata, his verbis: *et ipse acerrimo vigore pollentem faciens iniquitatem*, scilicet sibi, et *ipsis* erit *ad prehendendum*, ut capiantur, et ipse et illi. Singularis et selecta phrasis est, מַזְכִּיר עָוֹן, minus intellecta, quod vera potestas rad. זכר fuerit ignorata, quam sitam esse in *acri vigore*, et fragrantia, observavit Cl. Schult. ad Prov. X: 7, unde met. *recordari* quasi dicas *fragrare acri vigore*, et in Hiph. הזכיר *adolere; suffimenta cremare*, seu fragrantiam acrem excitare. Hic vero *iniquitati* adplicitum verbum הזכיר significat, eam acri vigore pollentem facere; adeoque famosam nobilem, constantem et obstinatam, simul acerrime spirantem, et penetrantem in vindictam facere. Transiit enim apud Arab. etiam ad acrimoniam et vigorem bellicum; quem *iniquitas* regis et populi provocavit.

§. CCCCXXXVI. β. In deductione propositionis α. repetitur excidium populi, e causa ejus in ejus iniquitate, ad summum vigorem adducta, sita, clarius traditur vers. 24. *Propterea sic dixit Dominus Jehova; propterea quod acrem odorem spirantem fecistis iniquitatem vestram, dum revelatae sunt defectiones vestrae, ut conspicua fiant peccata vestra, cum omnibus facinoribus vestris, propterea acris memoria vestri facta est, manu capiemini.* h. e. propterea quod odorem iniquitatis vestrae, defectionibus vestris revelatis, acerrime spirantem effeceritis, ita ut summum adtigerit gradum, et vindictam, ab ea sumendam, spiraverit et requisiverit, propterea acris etiam memoria vestri facta est a judice et vindice, vosque manu *capiemini*, in potestatem Chaldaeorum ac servitutem redigendi. Verba ex supra dictis non sunt intellectu difficilia; tantum notetur differentia act. et pass. conjugationis in הזכרכם in primo et

 ultimo

ultimo membro. *Prius* verbum itaque exponit, eos acrem fecisse iniquitatis odorem, suis sceleribus publicatis; *posterius* vero, eorum propterea recordationem esse apud Deum factam, et Deum excitatum ad eos puniendum.

§. CCCCXXXVII. *b.* Regis et regni domus Davidicae destructio in clariore luce collocatur. 1. Regis impii Zedekiae vers. 25. *Et tu, profane improbe, princeps Israelis, is es, cujus dies venit, tempore opportuno iniquitatis consummatae finis*, scilicet *venit.* h. e. quod modo dixi, *ipsum acrem odorem iniquitatis spirantem esse ad prehendendum*, illud ad regem Israelis improbum pertinere declaro, etenim, ut te adloquar, tu, qui profanus es et profanatus ad caedem, ac improbus, princeps Israelis, tu is es, inquam, cujus dies decretoriae poenae venit, tempore *iniquitatis* acrem odorem spargentis, venit *finis.* Not. 1. in אשר esse ellipsin pronominis הוא *ipse*, ut sit, tu *is*, cujus venit dies: de quo dixi ad Ps. X: 7. 2. *diem et finem* sibi respondere, et *finem* quoque, cum verbo *venit* construendum, adeoque sensum esse, *diem* ultimum, qui *finem* adferet, adesse; *dies* ergo est judicii decretorii, qui regnum ejus *finiet.* Sic *dies* et alibi sumitur, vel similiter, Gen. VI: 3. Ps. CXXXVII: 7. et alibi. Vid. Schult. ad Job. III: 5. Denique 3. tempus עון *iniquitatis* esse iniquitatis consummatae, quae summum gradum adtigit, et in summo est vigore, quum *acrem odorem spargit*: ut vers. 23. et 24. habuimus. Hac ratione cuncta faciles habent explicatus, et oratio recte fluit. Aliorum expositiones mitto. Addo in חלל et *profani* in vita et moribus, et *profanati* ad caedem et quaevis mala significatum recte admitti posse, quem utrumque habet vox; ut notum.

§. CCCCXXXVIII. 2. Ad regni domus Davidicae destructionem, cum fine et judicio regis conjunctam, respicit sequens pericopa, apte subjuncta, vers. 26, 27. *sic dixit Dominus Jehova, removere fasciam, auferre coronam, haec non haec est, humilem exaltare, altam humiliare.* Contorsionem,

nem, contorsionem, contorsionem ponam ipsam (notando vel irruendo in eam,) *etiam haec non erit, donec venerit, cujus est judicium, et dabo illum*, vel *illi*. h. e. regiam hanc dignitatem cum regno, corruptam et perversam, fastosam et sublimem, e medio auferam, cum non sit vera et genuina majestas, nec durabilis et firma, sed nihilum futura; contra, humilem elevabo, et ei, cujus est judicium facere, et cui competit, dabo illam, quum venerit; sicut veniet, regia illa majestate corrupta remota. Quae externi regni Davidici, tanquam corrupti, destructionem, nunc in Zedekia, postea in aliis regibus denuo exortis, faciendam, et spiritualis regni erectionem in Messia, genuino Davidis filio, vivis coloribus depingunt, uti explicatio docebit, harmonia verbi prophetici, et implementum, tempore Domini nostri exaltati, confirmat. Interpretes communiter etiam in genere admittunt. Illustrata haec est pericopa a Discipulo meo, dum fuit, egregio D. Radbodo in disp. Acad. meis sub auspiciis scripta et defensa publice, *de triplici coronae Judaicae contortae eversione, ejusque loco coronae Messiae erectione* ad Ezech. XXI: 27. Quae omnino consulenda est; quare brevioribus nobis hic esse licet. Continent verba α. *propositionem* vers. 26. β. ejus deductionem, seu expositionem respectu *causae* eversionis coronae Judaicae, et ejus *termini* ac *complementi* vers. 27.

§. CCCCXXXIX. α. *Propositio* his fit verbis vers. 26. *Sic dixit Dominus Jehova, removere fasciam, auferre coronam, haec non haec, humilem elevare, et altam humiliare*. h. e. e medio auferetur majestas haec Judaica, a vera majestate Davidica longe diversa, nec firma et durabilis; quippe fastosa et sublimis, deprimetur, et humilis ac modesta in altum ac sublime extolletur, secundum regulam providentiae Divinae, et promissa Davidi facta. Verba parum habent impediti, modo notetur. 1. Voces, *fasciam et coronam*, non diversas dignitates, *sacerdotalem* et *regiam*, sed unam eandemque, regiam scilicet, denotare; adeoque *fasciam co-*

nus, seu ornamento regio, insignem, significare. Coronam fasciam aeque esse atque ac significantiam fasciam regiam, ex Jes. LXII: 3. fascias regni, nec vox [illegible] absolute posita, de fasciatoris magis capi possit: accedit pertinere tunc principem ad principem Israelis modo memoratum vers. 25. Radix vero [illegible] proprie est, rotare, volvere, ducere quasi in formam rotundam, unde [illegible] capitis est tegumentum, fascia, quae capiti circumvolvitur. Vid. Schroeder ad Jes. III cap. 20. Quae cum sit generalis vox, additur ad eam restringendam [illegible] corona, ut de fascia regali, corona redimita, cogitaremus. 2. Verba, removere, auferre, humiliare, extollere, occurrere forma infinit., quae hic est loco fut., ut idem dicat, ac removebo etc. seu removendo removebo. Vid. Gatl. Gr. S. I. III. tr. III. can. 44. Quod non est difficile.

§ CCCCXL. His praemissis, ad sensum verborum exponendum pergimus. Primum membrum, removere et auferre fasciam coronatam, plenariam et totalem regni domus Davidicae destructionem denotare, facile apparet, et satis tritum est; quare ei non immorabor. Conf. insignem prophetiam Jes. XXVIII: 1—4. de regno Ephraimitico abolendo, simili fere sub imagine. Cum autem hic agatur de regno Judae, ad illud referendum esse dictum, manifestum est. Secundum membrum, haec non haec, et causam ablationis involvit, et ipsam ablationem confirmat. Sensus vocum, quae de aenigmate quid trahunt, est, 1. coronam illam, modo memoratam, non esse eam Davidicam, quae esse debebat, sed longe ab ea diversam; sicut mox in deductione adpellatur eversio, 2. coronam hanc non esse, aut firmam et perennem, aut veram illam, quae esse debeat, et futura sit in aeternum. Posterius pronomen [illegible] hic usum exerit, quo rem ipsam, ejusque essentiam denotat, adeoque firmam et perennem. De quo vid. Schulz. ad Job. V: 27 sic etiam sumitur Ps. LXXIII: 16. In deductione illud exponitur per voces, haec non erit, donec veniat — — et dabo ipsi. Tertium membrum praecedentis

dentis est illustratio et confirmatio, docetque, coronam fastosam deprimendam, et ejus loco humilem aliam extollendam esse, secundum regulam providentiae Dei, qua superbis resistit, et humilibus dat gratiam, et convenienter praedictionibus Dei, de regno Judae superbo humiliando, et regno Davidis humiliato denuo elevando in Messia. Hic sensus et scopus est verborum, *humilem elevare et altam humiliare*. h. e. ita soleo facere, ita faciam, Regnum Judae excelsum et fastosum ad nihilum redigam, et humiliatum in sublime feram. Prius nunc factum est, et posterius in Messia fieret: ut ex seq. elucescit. Interpretes varie instituunt, pauci, ut Castalio, veri aliquid viderunt.

§. CCCCXLI *β*. In propositionis deductione *α*. *causa* eversionis regni Judae et domus Davidicae regiae, in corruptione ejus quaerenda, clariore in luce collocatur, simul insinuari videtur, eversionem tribus vicibus eandem ob causam esse faciendam, vers. 27. in priore membro; *contorsionem, contorsionem contorsionem ponam ipsam*, notam infamiae ipsi inurendo, et in eam impetum faciendo, quod utrumque adfert verbum אשׂים. Radix enim שׂום et שׂים denotat *tum* notam imponere, signum imprimere Job. IV: 18. Nah. I: 14. adeoque *contorsionis notam* ei *inurere* erit, dicereque, eam tanquam contortam coronam traducere, et ludibrio exponere, *tum* hostiliter invadere, vid. Schult. ad Job. I: 8. quando dicit, Deum in contortam coronam hostilem facturum impetum ad eam destruendam. Sed adsumi quoque potest rad. שׁמם, cui Arab. שׁמם respondet, unde in prim. pers. fut. Hiph. אשׁים et אשׁים proprie *siderare*, tanquam urente et pestifero adflatu, inde *vastare*. Vid. ad Jer. XLIX: 20. et Ez. XX: 26. Quod ab hoc loco non est alienum. *Causa* hujus judicii comprehensa est voce עוה, quae proprietatem habet in *distorsione*, et usu suo *iniquitatem*, aequi et justi contorsionem, et mentis perversitatem, plane desperatam et insuperabilem, denotat, a qua hic non est discedendum, alia enim

 nulla

nulla ratio est, quae huc aptius quadret, nam *eversionis* modo facta erat, et mox fit mentio, et ei opponitur *jus* ac *judicium* in eo, cui corona erat danda. *Trina* vero repetitio etsi ad emphasin augendam, et gravitatem ac certitudinem rei denotandam referri possit, non male tamen adplicatur ad *trinam* coronae corruptionem et eversionem, in Tsedekia, Herode M. et Agrippa M. quemadmodum in citata disputatione recte est expositum et demonstratum.

§. CCCCXLII. *b. Tempus* eversionis coronae, ejusque translatio ad alium, his verbis subjungitur, *etiam illa non erit donec venerit, cujus est judicium, et dederim illi.* h. e. ipsa illa corona humilis exaltanda non erit, nisi cum justus ille advenerit, cui jus in eam est, cuique eam dabo. Possent voces, *etiam ista non erit*, referri ad coronam corruptam evertendam, ut sensus sit, eam contortam ante in nihilum esse redigendam, quam venerit legitimus ejus haeres, adeoque לא per *nihil* verti, ut saepe alias; sed rectius fluit oratio, si de corona vera Davidica, humili facta, et exaltanda, intelligatur, ut sensus sit, coronam corruptam esse evertendam, praeterea alteram illam humilem non esse elevandam, nisi quum venerit Messias. Qua ratione emphasis voculae גם *etiam* retinetur, a contortae coronae eversione distinguitur, et ei recte subnectitur, denique *humilis coronae exaltatio* exponitur: sicut enim *contortae coronae sideratio* ad fastosae coronae humiliationem respicit, ita nunc recte humilis elevatio illustratur, et respectu *temporis*, quo fieret, et *personae*, in qua. Cujus utriusque traditur notitia 1. *temporis* quum dicitur, *etiam illa*, scilicet humilis corona, *non erit*, nimirum exaltanda, *donec venerit* etc. 2. *personae*, quum additur, *cujus est judicium, et dabo ei.* Quo indicatur *tum qualitas moralis* hujus personae, qua jus et aequum amat, et sectatur, et ad eam normam regnum administrabit. Vid. Jes. XI: 3, 4. et ibi Cl. Comment. *tum* jus in regnum: quod utrumque vox משפט denotat. Reliqua sunt facilia.

§. CCCCXLIII.

§. CCCCXLIII. Subjungitur, per modum adpendicis, destructio Ammonitarum, per eundem gladium Dei in manu Nebucadnezaris, secus ac illi, falsa divinatione decepti, opinarentur, cujus occasionem praebuit, quod Nebucadn. supra introductus erat in ambiguo stans, quo se flecteret, ad Hierosolymitanos, an Ammonitas, et per auspicia capta determinatus ad Judaeos invadendos: ne itaque Ammonitae putarent, gladium ad Judaeos tantum esse paratum, et dein cessaturum, adeoque se salvos futuros, obiter subnectit Propheta eos eandem sortem quoque in terra haud diu post subituros, quod postea ex professo repetit et agit cap. XXV. Duae sunt *pericopae* partes, minus observatae, et propterea male explicitae ab Interpretibus; *prior* exhibet vanas Ammonitarum opiniones et voces de gladio non se, sed Judaeos tantum petituro, *posterior* tradit contrarium, et eorum excidium quoque per eundem gladium esse efficiendum, adfirmat. *Prior* occurrit vers. 28, 29, et 30. in primo membro: *posterior* vers. 30—32. Prior his verbis comprehenditur, vers. 28—30. *Et enim dixisti, gladie! gladius es, apertus ad mactationem, politus ad consummandum, ut fulgures*, vel ad *laevigandum* te, (*dum vident tibi vanum, et divinant tibi mendacium*) *ad dandum te super colla profanatorum impiorum, quorum dies venit, tempore iniquitatis finis* venit, *reduc in vaginam suam*. h. e. falsis et vanis visionibus et divinationibus decepta filia Ammon, *dixisti*, sermone ad gladium verso, eum esse unice strictum et politum contra impios Judaeos, quorum consummata est iniquitas et sermone inde directo ad homicidam, qui gladium tenet, eum gladium conditurum in vaginam ejus, adeoque a mactatione ulteriore esse cessaturum. Quae paraphrasis, ut sese adprobet, *duo* praemittenda sunt observata vel *tria*. 1. *Primum* est, verba esse Ammonitarum, quibus gladium istum contra Judaeos, non se, esse destinatum, jactitabant; cujus indicium in eo est, quod Deus mox contrarium adferat, vers. 30., ad ea verba refutanda: confirmat quod hinc unice verum

suum sensum acquirat phrasis, *ad dandum te super colla impiorum* etc. ut mox adparebit. Verbum itaque ואמרת vel punctandum est in foem., cum de gente Ammon. in foem. loquatur propheta in seq., et ad Ammonitas directe referendum, ut sit: *et*, vel *etenim*, *dixisti* gens *Ammonitica* etc. vel, si punctatio servetur, et de propheta capiatur, *dices*, ut modo in principio versus, per ellipsin intelligendum est verbum אמרת, ut sit: *dices*, *dixisti*; sicut ad Ps. XVI: 2. observavimus.

§. CCCCXLIV. 2. *Secundum* est, sermonem ab Ammonitis verti *primum* ad ipsum gladium, *dein* mox ad occisorem, qui eum in manu habet: de qua diversitate objecti sermonis testatur, quod oratio de gladio modo in *secunda* persona fiat, *ad dandum te*, modo in *tertia*, *reduc in vaginam ejus*; quae mutatio eo facilior est, quod in sermone ad gladium tacita fuerit injecta mentio ejus, qui gladium tenebat, cum dicitur, gladius politus *tu es ad dandum te super colla impiorum*. h. e. politus es ab occisore, ut *te det* etc. quando mox apte sermo flectitur ad eum, ut condat gladium in vaginam suam. Qua ratione cuncta recte fluunt, et faciles accipiunt explicatus. 3. *Tertium* est, voces, *dum vident tibi vanum*, et *divinant tibi falsum*, esse parentheticas, ut recte Syr. vidit, vel loco motas, pertinent enim ad gentem Ammoniticam, quae hic introducitur loquens; et ratio datur, quare ita loquatur, quia a falsis vatibus decepta erat aeque ac Judaica, vers. 23. Vid. Jer. XXVII: 9. Cohaerent itaque cum *dixisti*, ut sit, *dixisti dum vident tibi vana* etc. et sequentia, *ad dandum te*, pertinent ad gladium, ac cum vers. 28. construenda sunt immediate, unde verus eorum intellectus unice pendet.

§. CCCCXLV. His admissis pericopa, alias difficilis, quae interpretes valde cruciavit, et in alienas abripuit, redditur facilis admodum explicitu, adeo ut paucis defungi possim. *Sermo* ad gladium a gente Ammonitica directus, ita habet: *gladius apertus es ad mactationem* (strictus et acutus factus; quod

quod hic dicit verbum פתח *aperire;* solent Interpretes de gladio evaginato tantum capere, sed praecipue intenditur acies gladii exacata; stylo enim Orient. *aperire* gladium est *exacuere* et in *mucronem exasperare*. phrasi Taciti, tribuunt enim ei *os*; unde Ps. LV: 22. פתחות sunt *acuti gladii*; ut ibi observavi,) *politus ad consummandum*, *ut fulguret*, (Turbat haud parum verbum להכיל, nec expedire possum. Regulariter est a כול et dicet, *ad capacitate vasta complectendum*; quod quid huc faciat, maxime cum sequatur, *propter fulgur*, nescio. Rectius quadraret לְהַכְלִיל *ad consummatum* usque; sed nihil definio. Probabilius tamen mihi nunc videtur, leg. להקל, quod idem ac לְהָקֵל, ut sit *ad laevigandum*, quo nihil hic aptius est. De קלל et קלקל vidimus ad c. I. et XXI: 21.) *ad dandum te super colla profanatorum impiorum, quorum dies venit, tempore iniquitatis finis* venit, (quae ad vers. 25. respiciunt, et ibi exposita sunt; intelliguntur Judaei, tanquam huic gladio destinati, ut absumantur. Cohaerere verba cum *gladio exacuto* et *polito*, et ejus finem ac destinationem tradi, ex supra dictis constat. Interpretes in phrasi *dare super colla* exponenda varie ludunt; et aliena valde sectantur. Sed alium non patitur sensum, ac quem dedi. Gladius datur *ad colla* quatenus tenditur ad mactandos homines.) *reduc in vaginam suam* (tu, qui gladium exseruisti, et mactasti, eo facto in vaginam conde, vel condes eum; est enim השב in Hiph. infinit. vel imperat., quod perinde hic est. Sermo vertitur ad homicidam, et sensus est, mactationem esse finitam.)

§. CCCCXLVI. *Posterior* pericopae pars, responsum ad haec Ammonitarum verba, adeoque argumentum *dicti* Jehovae continens, et a verbo *dices* vers. 28. dependens, ita sonat vers. 30—32. quae recensebo, et per partes, ubi opus fuerit, exponam, *in loco*, *ubi formata es in terra conflaturae* tuae (in solo patrio, ubi nata, educata, et pulchra, dives ac fortunata facta es; de voce מכורה vid. ad cap. XVI: 3.) *judicabo* te (examine instituto judiciali, et senten-

tia pronunciata, condemnabo te) *et effundam super te spumantem meam effervescentiam* (quae emphasis est vocis זעם *in igne* (instar ignis, ב saepe similitudinis est et comparationis) *excandescentiam meam ebullientem efflabo super te* (irae meae, seu justitiae severae, effecta te experiri faciam) *et tradam te in manum virorum flagrantium* (qui flagrante ardore, quicquid adtingunt, consumunt, more et animo belluino. Quam sensus amplitudinem adfert בער proprie *vi aestuante tumuit*, inde flagravit, exterminavit, vastavit, et derivatum ad animal *brutum* transfertur, vehementiore *aestu vorandi* adfectum) *procudentium perniciei* (חרש proprie est *cudere*, *tundere*, *nempe* inde *tundendo sulcare*, *arare*, et inter alia *cudere*, *procudere* malum. Vid. Schult. ad Prov. III: 29.) *igni eris consumtioni* seu devorationi, *sanguis tuus erit in medio terrae* (bello, et fame ac peste absumeris,) *non memoraberis amplius*, (nomen tuum non erit amplius celebre, tanquam populi liberi, et alicujus pretii) *quia ego, Jehova locutus sum.* Reliqua mitto, et de implemento dicam ad cap. XXV., ubi ex professo de judicio Dei in populos vicinos agitur.

FINIS PARTIS PRIMAE.